



G. P. Morosini.
New-York.
No.







NUMISMATA PONTIFICUM ROMANORUM

QVÆ A TEMPORE MARTINI V.

USQUE AD ANNUM M.DC.XCIX.

Vel authoritate publica, vel privato genio in lucem prodiere,

Explicata, ac multiplici eruditione Sacra, & Prophana illustrata

A P. PHILIPPO BONANNI SOCIETATIS JESU

TOMUS SECUNDUS

Continens Numismata à Clemente VIII. usque ad

INNOCENTIUM XII.

FELICITER REGNANTEM.





R O M Æ,

Ex Typographia Dominici Antonii Herculis. M.DC.XCIX.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM.

I



II



III



IV



V



VI



VII



VIII



IX



X



XI



XII



XIII



XIV



XV



XVI



XVII



XVIII



XIX



XX



XXI


XXII


XX III


XXIV


XXV


XXVI


XXVII


XX VIII


XXIX


XXX


XXXI


XXXII


XXXIII


XXXIV


XXXV


XXXVI


XXXVII


XXXVIII


XXXIX


XXXX


XXXXI



XXXXII



XXXXIII



XXXXIV



XXXXV



XXXXVI



XXXXVII





XXXXVIII




XXXXIX













CLEMENTIS VIII. NUMISMATA.

I

CLEMENS VIII. PONTIFEX MAXIMVS.



Lemens Octavus, cui antea Hippolytus Aldobrandinus nomen fuit, nobili natus genere, patria Florentinus, ex Rotæ Auditore à Sixto V. supplicibus referendis libellis Præfectus primùm, deinde ab eodem Pontifice inter Cardinales adscriptus fuit. Post varia munera feliciter gesta anno 1592. Pontifex maximus renunciatur. Post dies octo Coronationis insignia à Francisco Sfortia primo Diacono Cardinali privatim accepit. Die 4. Aprilis ejusdem anni ad Lateranensem Basilicam, possessionem ex more initurus accessit, post multa gloriosè, & feliciter peracta obiit die 19. Februarii anni 1605., cui Paulus V. grati animi monumentum posuit in Sacello, quod est in Liberiana Basilicam, à se magnificè fabricato. *Ciacc. 250.*

II

FORTITVDO MEA, ET REFVGIVM MEVM.

TAntus fuit Clementis Summi Pontificis virtutum splendor, quo semper enituit, ut Cardinale Paleotto teste, in omni ætate, ac variis, quæ obivit muneribus egregia earum specimina dederit. Illum Spondanus virum magnæ apud omnes existimationis, moribus inculpatis, præstanti doctrina, & cognita in rebus gerendis prudentia nominavit, ejus virtutes agnovit Sanctus Philippus Nerius, atque ejus Pontificatum, & nomen prædixit. Inter omnes non ultima

ultima fuit pietas, qua semper claruit, eamque ejus numismata maximè celebrant: inter enim quadraginta novem, quæ à nobis proponenda sunt, vigintiquatuor inscriptionem præferunt ex verbis Sacræ Scripturæ acceptam.

Quæ in præsenti legimus verba FORTITVDO MEA, ET REFVGIVM MEVM è psalmis Regii Prophetæ Clemens pronunciat ante Christi Crucifixi imaginem genuflexus. Hoc pacto sese in monetis etiam exculpi permisit; Deo enim inconsulto nihil aggrediebatur, & illo annuente, quod susceperat peragendum prosequebatur, & absolvebat ex relatione Ciacconii. *Col.262.* Nulla ab eo actio, precox sed precum assiduitate, & considerationis maturitate (Baronio credas) decreta manabat. *To.7. epist. ad Clem. col.265.*

De eo narrat Oldoinus non priùs electioni suæ in Summum Pontificem assensum præbere voluisse, quàm genibus flexis ante altare Deum intensissimè precatus esset, ut nisi res ad ejus gloriam, & rei Christianæ bonum futuræ essent, potiùs ipse lingua faucibus adherescente obmutesceret, quàm in suam electionem consentiret.

Dum suas vires ad impositum sibi onus ferendum debiles agnosceret, è Christi vulneribus virtutem expetebat, ab Augustino edoctus ajente. *Mon. c.20.* *In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi; clavi enim, qui manus Domini, pedesque transfoderunt* (inquit S. Leo serm. 10. de Pass.) *perpetuis Diabolum fixere vulneribus; sic suam Christo consumante victoriam, ut in ipso, & cum ipso omnes, qui in eum crederent, triumpharent.*

✠ III ✠

DOMINE IVBE ME AD TE VENIRE.

OPem Divinam implorabat Clemens cum Divo Petro inter curas Pontificiæ Dignitatis, veluti fluctibus agitatus, ut ex eis feliciùs evaderet, Amicorum preces etiam expetebat. Ipso initio Pontificatus (ut constat ex Victorello) *Apud Ciac. col.251.* Joannem Franciscum Bordinum Vallicellanum Sacerdotem à Confessionibus delectum monuit, cupere se precum ejus opem, ut à Deo quamprimùm è mortalium Societate expungeretur, si eum fructum ex ejus industria, & laboribus Ecclesiam non percepturam agnoscebat, quem ab illa percipi poterat.

✠ IV ✠

FVNDATA EST SVPRA FIRMAM PETRAM.

TYpus est Ecclesiæ, quàm ut Sponsam charissimam semper Clemens dilexit, illam idcircò expressit in numismatibus Statim ac fuit Pontifex renunciatus. Sceptri loco jure Crucem præfert, ut indicet Ecclesiæ dominatum non nisi quàm per Crucem provenisse.

Hanc veritatem egregiè declaravit Rodulphus Primus Imperator. In ejus inaugurationis historia legitur, ut cum Aquisgrani corona decorandus esset, Principesq; in ejus verba juraturi, non nihil tergiversari viderentur, quòd non omnes adesse dicerent, neq; Sceptrum in promptu esse, Rodulphum arrepta Cruce, quæ propè aderat. *Hoc*, inquit, *Signum est, in quo redempti sumus, hoc ego Sceptro in omnes mihi, & imperio infidos utor.* *Sausaide oscul. ped. pag. 492.* His dictis omnes, qui aderant Principes Crucem osculati Sacramentum dixere. Ad Spiritum Sanctum sub specie Columbæ indicatum oculos attollit, ut cęlestes cogitationes à se enutriri intelligamus, quas Divino afflata Spiritu infallibilis sapientiæ concipit; Sedendo suam stabilitatem denotat, FVNDATA enim EST SVPRA FIRMAM PETRAM, & duplici quidem ratione.

Fundatur enim in Christo Jesu, de quo Paulus 1. ad Corinth. c.10. 4. *Petra autem erat Christus.* Est ille (ut notat S. Basilius) *Homil. de pœnit.* Petra Ecclesiæ primaria, secundò pro sua basi D. Petrum habet; cui inquit S. Paulinus epist. 4. ad Severum,

hujus

hujus vocabuli gratiam non negavit, illi dicens. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam. Hoc est illud Fidei fundamentum Nationibus à S. Petro positum, de quo D. Augustinus; *Petra*, inquit de Petro, *eo quòd primus nationibus fidei fundamenta posuerit, & tamquàm Saxum immobile totius corporis Christiani compagem, molemque contineat*; idcircò ajunt S. Augustinus, & S. Ambrosius, Sanctum Apostolum accepisse nomen Petræ, quia jecit prima Fidei fundamenta, non modò apud Judęos, quibus primus post acceptum Spiritum Sanctum prædicasse legitur, sed etiam apud Gentiles, ut ostendit Bellarminus lib.3. de Rom. Pontif. cap.22. *Serm.16. de Sanctis.*

Ratio præcipua ex eisdem Sancto Augustino, & Ambrosio est, quia super hunc Beatum Apostolum perillustri Divinitatis Christi confessione id promeritum, placuit Christo Ecclesiam Christianam ædificare, eique velut saxo, & rupi immobili structuram fidei nostræ imponere, quatenus omnes Fideles probant & tenent, ut Catholicum, quod Petrus, & Petri Successores proposuerint. *Raynaudus in Corona aurea pag. 91. primæ editionis.*

Fuit Erasmi imaginatio utcumque insinuata ab Etherio, & Beato lib. 1. contra Elipandum, jure autem rejecta à Pamelio ad 55. Epistolam S. Cypriani n. 35. eam petram, cui Ecclesia in ædificanda spondetur Mat. cap. 16. *Quia tu es Petrus &c.* esse omnes Christianos, vel esse confessionem fidei, ut voluit Lutherus, vel esse omnes Apostolos, ut commenti sunt Lutherani, sed vere omnia hæc tam supina esse, ut confutatione vix egeant, notat Raynandus in Corona aurea. Erasmi paradoxum abunde disiecit Jansenius cap. 66. concord. Bellarm. lib. 1. de Pont. cap. 10. Franciscus Agricola de Primatu Petri, aliique apud supracitatum Raynaudum. De firmitate locum perelegantem habemus ex Sancto Leone Serm. 2. de sua assumpt. „ De Christo principali, æternoque „ Præsidio, & Apostolici operis munimen accepimus, quod utroque ab opere „ suo non vacat, & firmitas fundamenti, cui totius Ecclesię superstruitur. Alti„ tudo nulla incumbentis sibi Templi mole lacessit; soliditas enim illius fidei, „ quæ in Apostolorum Principe est laudata perpetua, perpetua est,& sicuti perma„ net, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus „ instituit, & paulo post, hac enim obtinuit dilectissimi illa Confessio, quæ à Deo Patre Apostolico inspirata cordi omnia humanarum opinionum incerta trascendit, & firmitatem Petræ, quę nullis impulsionibus quateretur accepit hinc Chrysostomus etiam hom. de Petro, & Elia vocat illum Petram firmissimam, basis etiam immobilis dicitur Petrus, atque adamas, vide Raynaudum pag. 34. *Pag.92.*



V

AB. ORIGINE. MVNDI.

NUmmum istum referri arbitratus fuit Pater Molinetus ad Pontificis hujus sigilla plumbea bullis appensa, in quorum ambitu verba psalm. 83. habentur *Protector noster aspice Deus*. Abel enim ait ille sacrificans ab origine Mundi in eo depictus tacite hæc verba Scripturæ ad præfati lemmatis responsum usurpantur. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus*, & sub nomine Abel Clemens Pontifex designatur. Quonam consilio id exculptum à Clemente fuerit prorsus ignoro; conjicio tamen ex Sacrificio expresso virtute Religionis cusum tale numisma fuisse, qua Clemens semper claruit, ut Abel, qui ob eam virtutem, & innocentiam Deo gratus extitit; idcirco Victimas illo imolante respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus. Deum propterea expressum videmus in numismate, ex quo intelligimus, illum certo signo Sarcificium probasse, sive ignis è Cælo demissus, ut docet S. Hieronymus in lib. tradit. Hębraic. in Genesim dicens. *Siquidem eo signo legimus, sæpe Deum daclarasse, sibi placuisse aliquorum hominum Sacrificia*, sive fumus recta in Cælum tendens id fuerit, quod non liquet. *Cursum annorum 1594.* *Pag.138.* *Gen.4.*

VI

ANNONA PVBLICA.

TYpum Annonæ, frumenti Ariſtas, & Cornucopię geſtantis habet numiſma, prout ab Antiquis expreſſa fuit, ut eſt in nummis Antonini Pii, Auguſti, & aliorum, in quibus tamen ſedentem effinxere, ut Annonæ paratæ permanentem diuturnitatem populis declararent juxta explicationem Auguſtini. Flavius vero Veſpaſianus ſtantem Annona expreſſit cum panario
Tab.23.nu. 10. ſpicis repleto ad indicandam (ni fallor) Imperatoris promptitudinem, cum opus eſſet pro Annona paranda. In numiſmate pręſenti currentem cernimus, ejuſque
Medi obarba pag.116. curſus ſollicitam providentiam Clementis celebrat, qua Populo Romano penuria laboranti ſæpius ſuccurrit, tum pecunia in eum finem erogata, tum precibus publicis ad Deum effuſis; *Præcipue cum ejus juſſu fuit facta proceſſio propter penuriam Annonæ Vrbis à Fratribus Regularibus, & Clero ab Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam, uſque ad Baſilicam S. Petri, & Pontifex conceſſit Indulgentiam plenariam.* Verba ſunt Pauli Alaleona Cęremoniarum ſacrarum Magiſtri in Diariis.

VII

GREGEM. NE. DESERAS.

OB eam penuriam Annonę, qua laboraſſe Urbem diximus: hoc numiſma vulgatum mihi ſuadeo, ut publicisprecibus ſuas preces ære inſculptas uniret, cum oves ſuas in aridis campis fame laborantes videret amantiſſimus Paſtor Deum deprecatur, ne gregem deſerat, & alimentum ad vitę conſervationem ſubminiſtet.

VIII

CONFREGISTI DRACONVM CAPITA.

VErba ex pſalm. 73. v. 13. accepta uſurpavit Clemens poſtquam (ut P.
Pag.139. Molinetus aſſeruit) Regem Henricum IV. ab hæreſi abſoluit, ac Regnum Galliæ ab hujus Draconis veneno, quo omnia infici jure metuebat, liberavit, *Principes enim ob ſævitiam, aut aliud animi vitium Dracones aliquando*
Apud Novarin lib.7 num. 203. *dicti ſunt* Agell. in pſalm. 73. TV CONFREGISTI CAPITA DRACONIS, Pharaonem Regem intelligit, Nicetas Choniates lib.3. in Emanuelem Comnenum ſcribit. *Ille inſtar Draconis veneno turgentis obvia quæque inficiebat, & abripiebat, multaque noſtra oppida devorabat improbitatis ſuæ virus expuendo.*

Puto tamen, tale numiſma cuſum fuiſſe poſtquam Miles Pontificius cum Imperialibus copiis Budam Civitatem, Turcico hoſte devicto, expugnavit in
Ciacon. col.261. Hungaria. Poſtquam enim Clemens VIII. Joannem Franciſcum Aldobrandinum Eccleſiaſticę Militię ſumma cum poteſtate Præfectum, copiaſq; ad Turcarum Chriſtianis extrema minitantium, furorem, inpetumq; compeſcendum in Hungariam, & Croatiam ære Pontificio miſerat, & aluerat; Dominica die (ut conſtat ex Diariis,
His verbis. quæ ſcripſit Alaleona 20. Octobris an.. . *Venit Nuncius, quòd exercitus Imperialis debellavit Turcas, & cœpit Budam, & ideo in caſtro S. Angeli fuerunt exoneratæ Bombardæ, & Papa in Baſilica Lateranenſi, ad quam iuerat, fecit cantare hymnum* Te Deum. *Die deinde 21. Octobris Papa lectica vectus venit ad Sanctam Mariam ſupra Minervam, ex qua juit pedeſter ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Anima, ſociatus à tota Curia, Cardinalibus, & Populo pro gratiarum actione de victoria habita à Militibus Imperialibus contra Turcas in Hungaria, ibique cantatum fuit* Te Deum,

quo

quo absoluto Papa celebravit Missam. Hucusque verba sunt in Diariis expressa.

Confirmat meam opinionem Civitas in numismate expressa, in qua Budam agnosco, verba insuper addita sub Serpente, idest *intus & foris*; in ipsa enim Civitate, atque extra illam magna Turcarum strages, partim defendentium, partim auxilia ferentium commissa est; sicq; Draconis Othomanici capita, scilicet copiarum Duces, Militesq; jure dixit fuisse intus, forisq; contribulata, & Draconis imaginem, tamquam trophæum Cruci affixit;etenim Crucis virtus (in qua Pontificis beneficentiam recognosce) Serpentem adeo crudelem extinxit, cui autem latet, SS.Crucem in virga Moysis expressam, qua Serpentes vitæ Hebræorum insidiantes necati fuere; quamobrem die SS.Crucis Sacra canunt Christifideles, *gloriosum diem sacra veneratur Ecclesia, dum triumphale exaltatur lignum, in quo Redemptor Noster mortis vincula rumpens, callidum aspidem superavit*; Hinc S. Augustinus hodie ait: *Crux fixa est, & Dæmones dispersi sunt. Hodie Crux fixa est, & mors subversa est. Hodie Crux vicit, & mors victa est. Hodie Diabolus victus est, & homo solutus est, & Deus glorificatus est*, & in Joannem subdit *Signum Crucis à nobis expellit exterminatorem*. *Serm. de parasceu.*

Simile huic numismati Gretserus noster exponit To.3. de Cruce lib.1.cap.5.à Costantino Magno vulgatum, in quo Labarum Cruce, & Christi nomine conspicuum Draconi infixum conspicitur, de quo Octavianus Sada in append. ad dial. Ant. Aug. excalmat. *Quam pulchrum numisma, & quam clare ostendit victoriam Constantino Magno adversus Mundum, & Diabolum divinitus concessam*. Huius generis figuras, & imagines à Costantino amatas fuisse testatur Euseb.
„ lib. 3. cap.5. referens sic. Quin etiam in tabula depicta, quam in sublimi ante
„ palatii vestibula suspenderet,& omnium oculis contemplandum proposuit, salu-
„ tareque passionis insigne supra caput ipsius locatum in pictura exprimendum.
„ Inimicam autem, & hostilem belluam, quæ Ecclesiam Dei impiorum tyrannide
„ oppugasset in altum demersam Draconis specie, & figura describendam curavit.
„ Sacra enim Oracula in Dei Prophetarum libris eam Draconem, & tortuosum
„ Serpentem nnncupant. Hactenus Eusebius.

Sic Clemens VIII. Serpentis imagine hostem Christiani nominis Turcam expressit, quem Sanctus Joannes sub eodem symbolice prænunciaverat, ut docent Sacrorum Oraculorum interpretes apud Cornelium. Hinc nuper Solimanus Turcarum Imperator ut summum Imperium potentius esse Imperio Cæsaris ostenderet ejus Legatis dixit, se esse Draconem unius capitis, sed multarum caudarum, Cæsarem vero,& Christianos esse Dataconem multorum capitum,sed unius caudæ. Dicere enim voluit, meum Imperium est Monarchicum, ideoque concors, & validum; Christianorum verò Imperium est Polyarchicum, discors, & imbecillum. *Apoc. cap. 13. ibi pag. 214.*

IX

TV DOMINE ET MAGISTER.

ANNO V.

Lotionem pedum à Christo factam suis Discipulis repræsentat numisma, in qua Petrus renuens exclamabat. *Tu Domine, & Magister mihi lavas pedes?* Anno V. Pontificatus Clementis actam esse declarant notæ in eo expressæ. Cæterum cum abunde de pedum lotione, tum à Christo, tum à Summis Pontificibus facta dictum sit, vlterius progrediamur.

CON-

 X. 

CONSECRATIO.

Consecrationem suggerit numisma, quam Dominica 4. post Pentecostem die 26. Julii anni 1594. Clemens celebravit, ut narrat in suis Diariis Paulus Alaleona his verbis „ Consecravit Clemens Altare majus Basilicæ „ S. Petri in Ecclesia Nova, sub quo sunt recondita corpora SS. Apostolorum, „ assistentibus DD. Cardinalibus, & Episcopis, paratis &c. Totam autem „ consecrationem fecit in cantu, cantando omnes benedictiones &c. In fine „ missę Papa dedit solemnem benedictionem, & Indulgentiam plenariam omnibus „ præsentibus, & visitantibus pro tota die Basilicam Sancti Petri.

Cum enim novi Templi Vaticani pavimentum altius deduci & æquari, ideoque ipsummet antiquum, & Apostolicum altare extolli opus esset, Clemens intactum, immotumque eodem loco relinqui, nouumque desuper altare, & quidem magnificentius amplioris utique formæ erigi voluit, deinde, ut dictum est, consecravit. Col.266. Triginta, & octo Cardinales huic solemni, Sacræque actioni præsentes fuisse affirmat P. Oldoinus.

In antiqua Basilica, quam in honorem B. Petri die 18. Novembris dicaverat Sanctus Sylvester Papa, ut celeberrimus Dedicationis dies fidem facit, qui sacris in Martyologiis quotannis solemni Ritu recolitur, idem Beatus Sylvester Altare majus, sub quo B.Petri corpus collocatum fuit unctione Sacri Chrismatis delibutum ad peragendum consecrationis Ritum celebri pompa consecravit: porro hujus consecrationis, quæ tum Ecclesiæ, tum Aræ B. Pontificis manu peracta est, in perantiquo sermone de Basilica Lateranensi mentio habetur, qui M.S. in ejusdem Basilicę archiuo servatus, ex quo ad suas paginas transtulit Aringus lib. 2. cap.6. nu. 8. Hoc idem altare post longa annorum curricula nimia jam vetustate consumptum Calistus Papa II. refecit, ac sacravit, ut narrat Maffæus Veggius, scribens de memorabilibus Eccesię Sancti Petri his verbis. „ Altare Majus quod cum „ nimia vetustate, hominumq; injuria quasi violatum videretur, optimus tandem „ Calistus II. optimis, quæ adhuc apparent marmoribus denuò extruxit, atque „ ornavit, & in celebri die Annunciationis B. Mariæ magno cum Episcoporum, „ Sacerdotumque Conventu, Populorumque applausu honorifice consecravit. Hoc idem luculentius his verbis à Petro Manlio memoriæ traditum fuit, „ Beatæ recordationis Calistus Papa II. quoniam decorem domus Domini, sicut „ Propheta plurimum dilexit: Altare Beati Petri, quod nimia vetustate, & lapidum percussionibus quodammodo violatum videbatur optimis marmoribus „ vestivit, & decoravit, & in festo Annunciationis Beatę Marię cum toto Concilio lapidem altari satis honorifice, & devote consecravit, in qua videlicet „ Consecratione, ut invenimus in libris nostris scriptum, fecit remissionem trium Pag.235. „ annorum annualiter ad eam devote venientibus. Hæc Consecratio (ait Aringus) in Sancti Petri Archivii pervetusto M. S. Martyrologio peracta describitur Pontificatus Calisti anno V. qui annus numeratur à Virginis partu 1122.

Novissime verò post consecrationem à Clemente VIII. factam sacrum idem altare adhuc sublimiori situ dispositum, ac elevatum, Vrbanus VIII. solemni Ritu unà cum tota nova Basilica, quam cæteri Pontifices per partes, Veteri demolita, construxerant, eadem recurrente Dedicationis die à Beato Sylvestro peractæ nempe 28. Novembris anno 1626. consecravit, ut in Romano Breviario legitur & fusius enarrabimus in numismate ab ipso Vrbano VIII. publicato.

Tom. I. col.184. Necessaria autem illa Consecratio fuit ex antiqua in Ecclesia institutione, cujus tamen initium, non adeo certum est apud Scriptores. Oldoin. in addit. ad Ciacconium. *Fœlix Primus* (dicens) *ex Canonicorum Ordine assumptus ad Pontificatum anno 272. Templorum Consecrationes instruit*, citat Pancirol. libro 22. At inquit; huiusmodi institutionem ante Fœlicis Papę tempora sibi vindicat Ecclesia, idque tam ex Græcis, quam ex Latinis Scriptoribus Felix decreto stabilisse videtur, quod absque

absque scripto Canone, traditione tantùm servabatur, nam Evaristus Papa, qui vixit anno 100. post Christum non solùm Chrismatis unctione, ut legimus to. 1. Concil. & apud Brucard. lib. 3. de erect. cap. 27. sed etiam Sacerdotalis benedictione sacrari, imo jam inde à principio Ecclesię Christianę, ut notavimus de B. Sylvestro altaria ungi, & consecrari consuetum fuisse probant S. Dionysius de Eccles. Hierarc. cap. 44. par. 1. & S. Martialis Epist. 1. ad Burdegalenses, quare Concilium Aurelianense apud Bruccardum lib. 3. cap. 14. *Non licet missas celebrare nisi Altare prius Consecratum fuerit*, atque fuisse semper à Christi, & Apostolorum temporibus usum altarium sacrorum à pluribus deducitur, præsertim ex Apostolo Paulo ad Hebręos *habemus Altare &c.* quod vocat ad Christi mensam Domini. Et quamuis hujusmodi Ritus Scriptura Apostolica non meminerit in particulari pręsertim cum primis illis temporibus non nisi in privatis Oratoriis, & domibus Christiani sua sacra peragerent, idque clam metu imminentis persecutionis, attamen simul ac affulsit spes aliqua quietis, & templa passim erigi cœperunt, etiam dedicationis, & consecrationis Ritus adhiberi cœpit.

Notat Walfridus Strabo de exordiis, & incrementis rerum Ecclesiasticarum cap. 1. Altaria antiquiora fuisse Tabernaculo & Templo. *Altaria nempe* (inquit ille) *hoc Abraham Isaac, & Jacob Domino extruxerunt. Moyses vero primus Tabernaculum juxta exemplar divinitus sibi demostratum in deserto Synai erexit, Salomon deinde Templum illud magnis ædificavit sumptibus.* Gen. 8. 12. 26. 36.

Ritum verò consecrandi Altaria pluribus enarrant Jo: Stephanus Duranti lib. 1. Ration. cap. 7., & de Turrecremata in d. Canon. *Altaria* de Consecratione dist. 1. idemque adhibetur in Ecclesia exemplis Antiquorum veteris legis edocta. Legitur Jacob Patriarcha, erexisse lapidem, & oleo desuper fuso unxisse eum, & vocasse domum Dei, idemque super Altare erectum invocasse fortissimum Deum Israel. Altare enim Βωμὸς Gręcis ab altitudine dictum voluit alta ara: veteres in ædificiis à terra elevatis Diis superis Sacra faciebant; Terrestribus in solo ipso Infernlibus autem effossa priùs ampla scrobe: majori cum ratione Fidelibus populis usitatum erigere Altaria, & ibi Deo vero in altissimis habitanti Sacrificare. Genes. c. 28

Hoc Altare à Clemente consecratum refert Torrigius unico lapide formatum fuisse, quem in Foro Nervæ propè turrim, quàm Speculorum Romę dicitur invenere. Certum autem agnoscimus, quod ab initio nascentis Ecclesiæ ad quartum Sæculum usque, & saltem in tertio, incruentum novę legis Sacrificium Sacerdotes obtulerint super ligneas aras, ut plurimùm, & in privatis plerumque domibus furtim rem divinam facere coacti. Ponuntur in Altaribus consecratis Sanctorum Reliquię, & ex Concilio Chartaginensi quinto sub Anastasio Papa anno 390. celebrato statuitur, Altaria evertenda esse, in quibus Sanctorum reliquiæ non habentur. Vide Card. Brancatum dissert. de Altarium consecrat. Postquam enim Sacris Reliquiis Martyrum, & Sanctorum hominum publica accessit veneratio, Summorum Pontificum Constitutionibus, & Sacrarum Synodorum decretis requisita fuerunt Sanctorum Lipsana in Altaribus, templisque, pręsertim consecrandis, & de S. Felice Pontifice refert Anastasius in ejus vita. *Hic constituit super memorias, seu Sepulchra Martyrum Missas celebrari*, unde Baronius tom. 2. Annal. pag. 636. asseruit, ante S. Felicem Martyrum Sepulchra substinuisse Altarium vices, & super illa offerri consuevisse Sacrificia, adeo ut Pontifex, quòd traditione servabatur scripto Canone sanxerit. De crypt. Vatic. pag. 471. Pag. 336.

Adhibetur Sacrum Oleum in eadem consecratione, ut olim Jacob oleum super Saxum effudit, aliasque Sacras Ceremonias ab Authoribus disce. Hic tantùm innuo, quod sicuti consecratio Altaris distinctis ceremoniis à consecratione tabernaculi fiebat in lege veteri; Sic Altare diverso ritu à ritu consecrandi templa modo perficitur. Fortunatus Schaccus in libro Sacr. Eleochrismaton myrothecio 2. cap. 66. post formam Altaris mosayci descriptam refert, in veteri lege septem dierum spatio Altare consecrari solitum, juxtà illud Exodi 29. Septem diebus expiabis Altare, & dies, deindè octava solemnis erat terminus consecrationis, in quo Sacerdoti holocausta facere post consecrationem licebat. Nunc verò unica actione, unicoque die Altaria consecrantur.

MA-

XI. XII

MAGNVM GRATIAE SACRAMENTVM.

Duplex numiſma proponimus, quorum alterum exhibet Tabernaculum, in quo Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſervatur, alterum Dominicam Cœnam, adjecto in utroque hoc lemmate MAGNVM GRATIAE SACRAMENTVM. In cęteris enim Eccleſię Sacramentis Divinas gratias Deus nobis largitur, in Euchariſtia verò fontem ipſum gratiæ communicat *Magnum ob id pietatis Sacramentum*, vocatur Euchariſtia à D. Paul. 1. ad Timoth., & ad Hebr. cap.13.10. Altare commemorat Evangelicum, in quo tàm grande Sacrificium offertur: Corpus nempè Chriſti, quod novi fœderis Paſchalem Agnum appellat, eſſeque ait omninò diſtinctum à legali Ara Carnalium Victimarum ſanguine cruenta, quæ unicę hoſtiæ Chriſtianę ſigna, & umbra erant. Quapropter pulchrè, & eleganter Sugerius Abbas Sandioneſtanus Baſilicæ illius inſtaurator cum fabricam illam vitreis feneſtris adornaret, Paulum in una depingi ſtuduit, frumentum à Moyſe, & ceteris Prophetis præparatum mola terentem, farinamque à furfure ſecernentem, de qua panis verus formaretur, cujus myſticę figurę ſenſum piiſſimus Abbas carmine ſubjecto aperuit.

Cap. 3. 16.

Apud Sauſai. de myſt. Gall. Scri- pt. Rit. 1.

Tollis agendo molam de furfure Paule farinam
Moſaycæ legis intima nota facis.
Fit de tot granis verus ſine furfure panis,
Perpetuoque Cibus noſter, & Angelicus.

Hoc tamen Divinum myſterium, quod à Græcis dicitur *Taleta Taletorum*, hoc eſt myſterium myſteriorum, quamplurimi perditiſſimi homines Diabolico auſu contemnere auſi ſunt, nihilque penitùs Divinum beneficium facientes illud conculcarunt. Narrat Stringa tempore Clementis VIII. fuiſſe Romę hominem audaciſſimum natione Scotum, qui vel dementia, vel hęretica pravitate agitatus dum à Sacerdote Sacroſancta Euchariſtia per publicas vias deferretur, adeo valido ictu argenteam thecam, in qua claudebatur, percuſſit, ut in fragmenta diviſę vitreę laminæ in terram ceciderint, horrore omnibus comitantibus ob ſacrilegam actionem ingenito. Pœnas tamen tanti facinoris luit indignus, juſſu æquiſſimi Pontificis vivus in flammis concrematus, fertque adhuc in inferis, cum ſine ullo pœnitentiæ ſenſu è vivis exceſſerit.

Pag. 767.

Ut violatę ab indigno Pietatis, ac Religionis damna reſarciret piiſſimus Clemens, venerationem erga Divinam Euchariſtiam excitare omni conatu ſtuduit, ob idque anno 1592. Romæ inſtituit, ut quadraginta horarum Oratio in Templis ità diſtribueretur, ut diù, noctuque, toto anni curriculo preces Fidelium velut incenſum ad Deum Optimum Maximum in Pane latentem dirigerentur, quam piam conſuetudinem Paulus V. conſtitutione perpetua ſtabilivit, utque ea devotio nunquam intermitteretur, ſed continuò ſuccedentibus diebus, menſibus, & annis perennaret, aſſignatis Templis, præſcriptiſque pro ea re legibus inſtituit. Idem Clemens anno 1600. ob Jubileum Sacroſanctam Euchariſtiam in Templo Farneſiano Societatis Jeſu juſſit exponi celebriori pompa tribus ultimis diebus Bacchanaliorum, ad quam adorandam acceſſit à Senatu Patrum Purpuratorum comitatus, ut in ceteris ſuo exemplo Religionem confirmaret.

Ciacconius col. 251.

Oldoinus col. 377.

Victorellus hiſt. Jubil. pag. 440.

Eximiæ ejuſdem pietatis monumentum eſt inſigne extructum ab ipſo opus in Baſilica Lateranenſi Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Divinique Regis Regia. Tranſverſam enim Templi partem colorato marmore, exquiſitis picturis, inaurato laqueari, ſegmentato pavimento pulcherrimè ornavit. Erant in Templo ſub arcu maximo propè Apſidem veteres quatuor æneæ Columnæ ſtriatæ, quarum æneis capitellis erant ſuppoſitę Imagines aliquot Sanctorum aureæ, argenteęque, & lucernę inſuper diſpoſitæ, quæ in potioribus anni celebritatibus non oleo, ſed balſamo infuſo ardebant, fragrantes odore ſuaviſſimo. Has columnas multi arbitrantur à Tito Veſpaſiano in Urbem adductas, quo tempore de ſubacta Judeorum gente,

Raſponus de Baſilica Later. pag. 59.

te, everſiſque Hieroſolymis magnificentiſſimum triumphum duxit. Alii tradunt ab Auguſto fuſas, atque formatas fuiſſe ex roſtris navium Reginæ Cleopatræ, poſtea verò à Domitiano collocatas in templo Jovis Capitolini, ut monumentum ſibi victoriæ populi Romani perpetuò extarent. Plerique in antiquo Nemeſis templo, quod erat ex ære conſtructum olim poſitas exiſtimant. Alii demùm in ea ſententia ſunt, ut Athenis ex templo Jovis à Sylla Romam invectas credant. Cęterùm in tanta opinionum varietate illud compertum videri ait Raſponus antiquiſſimas eas eſſe in hanc Baſilicam à Conſtantino Magno primùm illatas. *Cap. 12. pag. 44.* Neque omittendum hic eſt, quod plerique memoriæ prodidere ex veterum Patrum traditione acceptum, Columnas haſce opera S. Helenę Hieroſolymis deportatas terra à Monte Calvario repletas.

Has igitur Columnas lamellis auri coopertas, baſibus, ſpiris, & capitulis ornatas, coronam, & faſtigium ex ære inauratum ſubſtinentes ad Aram compoſuit Clemens, in qua collocavit altare ligneum ad Arcę ſimilitudinem concavum, quòd S. Sylveſter erexit, reddita Eccleſiæ Pace, honoris cauſa Principis Apoſtolorum, qui in illo Sacrificaſſe dicitur, & reliquorum Pontificum, qui uſque ad id tempus ad myſteria conficienda eo uſi fuerant, & ſancivit, ne quiſquam in eo præter Romanum Pontificem miſſam deinceps celebraret. *Lect. Brev. 9. Nov.* Pro ornatu ejuſdem Aræ donavit Clemens Dominicam Cœnam, in qua Chriſto Domino aſſident Apoſtoli duodecim fuſili opere ex argento, cujus pretium eſt duodecim millium aureorum, cam Curtium Vannium Romanum confeciſſe affirmat Philippus Titi. *Studio di Pittura pagin. 191.*

E regione hujus Altaris ad paraſtatę, & reliquę navis ſimilitudinem elegantiſſimę tres portæ marmoribus variis enitent, quarum media, ampliorq; duabus magnis, & pretioſis columnis fulcitur, ſuperſtat verò ejuſdem Clementis VIII. gentilitium ſtemma; Portæ aliæ duæ Regis Davidis, & Regis Salomonis ſimulachris ornantur, ſuperne demum Organa ad Cantu pſalmodiæ pulcherrimè concinnata, & auro obducta ſpectantur, ea extruxit Joannes Baptiſta Montanus, inſignis Sculptor, & Architectus Mediolanenſis. At Vitalianus Pontifex, ſicut & alia inſtrumenta muſica primùm in Templis adhibuit anno 700., ut notat in ſuis Tabulis Chronologicis P. Dominicus Muſantus noſtræ Societatis. *De Sac. Rit.*

Navem præterea, quàm Crucem vocant, picturis laudatiſſimis, & Statuis exornavit: Regem Davidem, & Regem Ezechiam exculpſit Ambroſius Malvicinus, ex Apoſtolis S. Tadęum depinxit Horatius Gentileſcus, S. Thomam Cęſar Nebbia, S. Philippum Joannes Balleonus, S. Barnabam Jo: Baptiſta Novarienſis, S. Bartholomęum Paris Nogari, S. Simonem Eques Pomarancius, Florum, fructumque contextus Cæſar Arpinas, octo Angelorum ſigna Camillus Marianus, Nicolaus Corderius, Hippolytus Butius, Joannes Antonius Vaſoldinus, Ambroſius Malvicinus, & Stephanus Madernus exculpſere, dirigente totum opus Jacobo à Porta, excepto Altaris ornatu, quem Petrus Paulus Oliverius Architectus Romanus delineavit.

Candelabra itidem ad Aræ ornamentum, argentea, ſeu auro illita addidit Clemens. Verùm quod cætera omnia longè ſuperat eſt Tabernaculum elegantiſſimis lapidibus pretioſis extructum, quod Petrus Paulus Oliverius delineavit, Pompejus verò Targonus compoſuit. In eo ſigna ænea Angelorum Camillus Marianus conflavit, qui etiam exculpſit ſtatuam marmoream Eliæ, ſtatuam verò Moyſis Vacca, Aaronem Silla, & Melchiſedech Ægydius Flander inter Sculptores ejus Ævi celeberrimi. *Jo: Balleonus in Vit. Pictor. pag. 760. & 76*

In eo conditorio gemmis, & auro præclaro ſol vitæ contegitur, perpetuoque ſervatur, juxtà antiquiſſimum morem apud Catholicos Sanctiſſimam Euchariſtiam ſervandi. *Ritus pag. 191.* Dixi antiquiſſimum morem contrà Calviniſtarum errores, qui affirmant, propter Innocentium III. in Concilio Lateranenſi anno 1215. celebrato dogma tranſubſtantiationis ſtabilientem, parata fuiſſe tabernacula, thecas, & ædiculas, quibus Sacramentum fuerit incluſum. *De Sac. Proceſſionibus lib. 1. c. 19.* Illos mentiri demonſtrat P. Jacobus Gretſerus, nam Canones, quos Gratianus profert longè ſunt antiquiores Concilio Lateranenſi, quòd & ipſe Gratianus anteceſſit, qui anno 1151. Opus, quod Decretum vulgò vocatur, confecit, ut notatur in præfatione ad Lectorem æditionis Gregorianæ. *Cap. Statuimus ext. de Cuſtod. Eccleſ.*

Non igitur primus fuit Innocentius, qui conservationem Eucharistię præcepit, sed tantùm mandavit, ut tutiùs asservaretur, clavibus nimirùm adhibitis, *nè possit ad illam temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda*. Nec dubitandum, antè etiam Eucharistiam sub Clavium custodia fuisse asservatam, sed ut hoc porrò, quoque ab omnibus diligenter præstaretur, non immeritò percipiendum putavit Innocentius, & cum illo Synodus.

Concil. Later. IV. Canon. 20. apud Labbe tom. 2.

Mentitur etiam prędictus Calvinista *ex his mandatis tàm districtis colligi custodiam illam Eucharistiæ esse rem novam. Neque enim* (ait) *edictis tàm severis habemus opus in his retinendis, quæ aut vetus consuetudo, aut honesta aliqua ratio majorum authoritate confirmata commendet*. Sunt hæc igitur nupera, perinde ac si quis diceret, Concilium Tridentinum nostro ęvo habitum severè, & seriò pręcepit Eucharistię asservationem; est igitur res nupera, neque ante Concilium Tridentinum in Ecclesię usu. Quasi verò vetera non possint iterùm pręcipi, etiamsi consuetudine, & solidissima majorum authoritate nitantur. Pręcipiuntur enim non tantùm nova, sed vetera, ex quo genere etiam est consuetudo Eucharistię in Sacrario asservandę, quę ut in Concilio Tridentino dicitur Sess. 13. de Eucharist. cap. 6. adeò Antiqua est, ut eam Sęculum etiam Niceni Concilii agnoverit.

Rursùs resumit Gretserus in dissertatione pro Sacratissima Corporis Christi solemnitate adversùs Rodulphi Hospiniani Calvinistę impietatem ex cap. 11. de asservatione Eucharistiæ hæc habet. Ait Calvinista *ex Canonibus, non liquere ubi nam Presbyteri Eucharistiam asservare debuerint, num in Ecclesiis, an in Aedibus privatis: Item non posse indè evinci Eucharistiam positam fuisse in ædiculis, & tabernaculis, prout hodiè moris est*. At Gretserus; fuisse testantur Canones apud Gratianum de Consecrat. distit. 2. cap. 161. & cap. 94. & Canon. Concil. Turonen. apud Brucchardum, quo jubetur, *ut omnis Presbyter habeat pixidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi Corpus Domini cum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus à Sæculo*. Constat ergo de asservatione.

Item en Tibi Can. 20. Concil. Niceñ ex Cathalogo Ruffini, ex quo colligitur quàm verè affirmaverit Concilium Tridentinum asservationem Eucharistiæ à Sæculo quoque Nicenæ Synodi agnitam fuisse. Dicitur enim, *ut Diaconi Presbyteris præferantur, neve sedeant in consessu Presbyterorum, aut illis præsentibus Eucharistiam dividant, sed illis agentibus solùm ministrent; Si verò Presbyter nullus sit in præsenti, tunc demum etiam ipsis licere dividere*. Si ergo in absentia Presbyterorum poterant Diaconi Eucharistiam aliis distribuere, manifestè sequitur, Eucharistiam consuevisse asservari, nam à Diacono confici non poterat, quod tamen contrarium gratis affirmat Calvinista, erat ergo præsens, & in promptu, ut à Diaconis administrari posset.

Sess. 13. c. 6

His adde Can. 14. ejusdem Concilii, qui est: *De his verò, qui vita excedunt pœnitentibus decernunt vacuum nullum debere dimitti*. At hoc fieri non poterat, nisi Eucharistia asservaretur; quid enim si quis in periculum mortis incurrisset, absentibus Presbyteris, præsentibus solis Diaonis? Quid si extra tempora Liturgiæ celebrandæ præscripta?

Vetustissima igitur Ecclesiæ Catholicæ consuetudine receptum fuit propter infirmorum Communionem, necnon ob alias, & necessarias causas Eucharistiam asservari. Ejus Antiquitatem maximè demonstrat Clementis epist. 2. ad D. Jacobum fratre Domini, sive potiùs ad Simonem fratrem Jacobi non ad ipsum Jacobum, ut probat eruditissimus Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis. *Reliquias fragmentorum* (ait) *Corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, ne cum negligentia agitur Corpori Domini gravis inferatur injuria*, & paulò post. *Qui autem residua Corporis Domini, quæ in Sacrario relicta sunt consumunt*. Idem Clemens lib. 8. Const. Apost. cap. 13. si tamen à Divo Clemente sancitę illæ sunt, de quo dubitat Bellarminus. *Sumant Diaconi reliquias, & inferant in Tabernaculum*.

Ibidem.

Remanet tamen inquirendum qua nam in parte, seu Templi, seu Domus privatæ Eucharisticus panis asservaretur, cujus generis Vase fuerit inclusus; variis enim modis apud Romanos præcipuè, asservatum fuisse scimus. Illos indicat R.P. Mabillonius in suo erudito Commentario in ordinem Romanum. Itaque antiquior modus

Pag. 139.

modus illi esse videtur, ut in Sacrario, seù Sacristia servaretur, quo ex loco Pontifici ad Altare accedenti capsula Eucharistiam continens præferebatur. Hic modus tempore Gregorii XI. perseverasse videtur, nempè circa annum 1370. saltèm in Basilica Lateranensi, quod innuunt hujus Pontificis Constitutiones ibi æditæ num. 18., vbi præscribitur, ut vetera ejusdem Ecclesiæ instrumenta in Sacristia, *ubi est mensa Domini reclusa custodiantur*. Ejus Ecclesiæ rubricas vulgavit idem P. Mabillonius in appendice ad ordinem Romanum, ubi rubr. 2. de reliquiis habetur. *Jubemus, quod statuta, privilegia, inventaria, sigilla Ecclesiæ, & Capituli intrà claves reliquiarum, & Cancellorum Sacristiæ, ubi est mensa Domini.*

Alius modus est, ut Eucharistia servetur in Altari, seu principe, seu peculiari, qui posterior Ritus hodie passim in Urbe viget, ubi notandum est, aliquando in Columba aurea, vel argentea inclusam super Altare appensam fuisse; aliquando ad basim Crucis medio in Altari erectę collocatam. Ideo Synodus Turonica 2. sub Pelagio Primo, qui vivebat anno 560. can. 3. dicitur. Ut Corpus Domini in Altari, non in armario, sub Crucis Titulo componatur, & eadem Synodus cap. 4. apud Bruccard. lib. 5. decret. cap. 9. Vt omnis presbyter habeat pixidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi Corpus Dominicum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus à sæculo. Quæ tamen Sacra oblatio, & paulò post, semperque sit super Altare observata propter mures, & nefarios homines, imo ab anno 536. tali in loco servatam habemus ex Concilio Costantinopolitano sub Menna celebrato, in cujus actione quinta legitur supplicatio Clericorum, & Monachorum Antiochiæ ad Joannem Patriarcham, & Synodum congregatam contra Severum, in qua dicitur neque Sanctis Altaribus pepercisse, neque Sacris Vasis, nam Columbas aureas, & argenteas, *in figuram Spiritus Sancti super Divina lauacra, & altaria appensas unà cum aliis sibi appropriavit*. In Conciliis à P. Labbeo vulgatis tom. 5. col. 866. in notis Severini Binii prohibetur, ne Corpus Domini inter Sacras Imagines super Altaris poni solitas ponatur, sed potius collocetur sub ipsa Cruce, quę in meditullio ipsius Altaris poni consuevit.

Tertius modus, qui in sola Sanctæ Crucis Basilica Romæ locum obtinet, is est, quod Eucharistia penè Majus Altare ad summum Basilicę parietem absque ara supposita servatur in vasculo patente, adjectis illi loco ornamentis, quod opus est Francisci Quignonii Cardinalis. Innuit hoc Abbas Carolus Bartholomæus Piazza in sua Jeroxenia, seu sacra Peregrinatione ad septem Urbis Ecclesias his verbis. *Sotto la Tribuna si conserva secondo l'uso antico della Chiesa è si adora il Santissimo Sagramento in una piccola fenestrella ornata di pretiose gemme, e lavori.* *Pag. 201.*

Plura his non inveni ad locum spectantia, in quo Sacra Eucharistia servabatur. Aliqua adiiciam de vase, in quo manebat inclusa, & primò notandum est illud variis nominibus appellatum fuisse in libellis Sacrarum Ceremoniarum; vocatur enim *conditorium*, *cophinum*, *armarium*, quod utrumque postremum pro uno & eodem habet Petrus Amelius. Capsæ vocabulo utitur primus Ordo Romanus, sed in diversa significatione, nimirum ita ut capsa ad præferendam Eucharistiam Pontifici sacra peracturo sumatur, cum alia vocabula rem loco fixam significent. Eadem in significatione capsa usurpari videtur in Canone 17. Concilii primi Arausicani, *cum Capsa, & Calix offerendus est*.

Ejusmodi capsam alio nomine *Turrim* appellat D. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum, quam turrim putat P. Mabillonius fuisse capsam gestatoriam, non fixum Eucharistiæ reconditorium. *Cap. 86.*

Cophinum autem vocat Petrus Amelius in Cæremoniali, qui Amelius vixit tempore Gregorii XI. cujus fuit Bibliothecarius circa annum 1370. ubi sic habetur cum sermo fit de vesperis. *Ad magnificat Papa accedit ad Altare, & thurificatur, & cofinum, ubi stat Corpus Christi*. Quid autem significetur ea voce *cophinum* putat Macrus fuisse Tabernaculum, in quo Eucharistia conservatur. Adducit authoritatem Davantrie, qui in suo Cæremoniali illud vocat *Armariolum*. Cophinus enim cum vas rusticum sit vimine contextum à levitate dictum à Gręcis χαφίν@, quod Priscianus *corbem* interpetratur, indignum profectò est arbitrari in ejusmodi Vase S. Eucharistiam reconditam esse, dum cætera templorum vasa,

puta candelabra, lampades, aliaque hujus generis ex argento, auroque tunc temporis fabricari consuevisse notissimum sit.

In Columba argentea, seu aurea aliquando asseravatam fuisse scimus, & tali pacto asservatam fuisse à Sancto Basilio Magno, teste Amphilochio in actis S. Basilii, notat Labbeus Noster in tom. 5. Concil. pag. 159. Hic asservandi modus à Synodo Turonensi prohibitus esse videtur, dum præcipit, ne in ordine imaginario collocetur, hoc est inter imagines, ne figura ideo putaretur, inquit Illustrissimus Suasaius in Panoplia sacerdotali pag. 286. quamobrem in notis Severini Binii dicitur (Tom. 5. Concil. Column. 866.) *Probabile est, quod occasione illius prohibitionis Fœlix Episcopus Bituricensis, cujus nomen huic Synodo subscriptum est ad Sacratissimam Eucharistiam conservandam curaverit fieri instar turris vas aureum perelegans, illud, quod Venantius Fortunatus celebravit, & descripsit eleganti epigrammate.* Ab eo tempore cessasse talem Ritum sibi suasit P. Mabillonius qui ait, Tabernacula sola nunc in usu esse, vidisse tamen in Bobiensi Ecclesia Columbam ex Auricalcho conservandæ Eucharistię olim destinatam, qui Ritus forte Columbano Auctore ex Gallia in Bobiense Monasterium inductus fuit.

Hæc Tabernacula Cyboria etiam usitato nomine vocamus, in quibus alia pixis saltem ex cupro deaurato Eucharistiam continet. Verba Clementis Primi recolenda sunt lib. 8. constit. Apost. cap. 13. *Sumant Diaconi reliquias, & inferant in Tarbernaculum.* Leo Pontifex ad Michaelem Imperatorem scribit Hierosolymis, Eucharistiam in pixide pro advenis, & quotidie eam sumere volentibus asservari solitā. Hanc pixidem Græci vocarunt χιβωριον quam vocem, & Latini, & Galli de Græcis retinuerunt, ciboriumque latinè nuncuparunt. S. Chrysostomus homil. 42. in actis Apostolorum enarrans verba, *illa faciebat delubra argentea Dianæ*, ait & quomodo possibile erat fieri delubra argentea, fortassis parva ciboria, quæ vocant. E Latinis legimus in lib. Pontifical. *Symmachum Papam Altaribus duarum Basilicarum S. Andreæ, & S. Sylvestri argentea ciboria destinasse, quæ quidem vascula vocantur*, S. Gregorius (ut in eodem lib. Pontifical.) & apud Diaconum in ejus vita *in Basilica S. Petri super altare ciborium fieri jussit*.

Quanam forma hujusmodi Tabernacula constructa primò fuerint, & successu temporis variata, ex antiquis monumentis eruere non licuit. Quamplurima eorum miro artificio extructa, prætiosisque lapillis exornata ubique videmus, ac Romæ precipue, ubi Pontificum Summorum pietas, & magnificentia construi jussit. Inter precipua, quę Romę extant est Tabernaculum, de quo loquuti sumus à Clemente VIII. in Laterana Basilica collocatum, cui adde aliud æneum inauratum, & lapide cianeo prætiosissimo decoratum, quod in Vaticana Basilica Eques Laurentius Berninus sub Clemente X. delineavit. In Templo Farnesiano, quod Jesu titulum præfert aliud extat magnificentissimum variis pretiosis lapillis compositum, aliud in Templo &c.

Narrat P. Oldoinus in Paulo IV. hunc Pontificem mandasse Pyrrho Ligorio Apostolici Palatii Architecto, ut daret operam Archetypum ligneum ad figuram templi conficiendi, ad cujus similitudinem aliud ipsemet argenteum formandum deinceps curaret, ut in eo Sacrosanctum Christi Corpus quoties iter longius Pontifici faciendum erat deferretur, fingeret præterea laternas quasdam grandiores, quæ illud antecederent.

Tom. 3. pag. 4.

Idem Pirrus exhibuerat lineamenta cujusdam Tabernaculi, quod in Pontificia Cappella ad Sacramenti Eucharistiæ custodiam cullocari debebat. In cujus circulo circumducta vitis Divinam repræsentabat æternitatem, vitisque palmites fideles omnes qui sunt Jesu Christi Salvatoris nostri germina. Exprimebatur etiam humanitas ejusdem Salvatoris à Nativitate, usque ad Passionem, & Resurrectionem suam, deinde Apostoli duodecim apparebant, quasi Columnæ firmissimæ, & custodes SS. Corporis Christi. Hic eminebat Sanctissima Trinitas, illic Cherubini inter faces, supra candelabra accensas, circuibant loca Templi rotundi, quod complectebatur universum Orbem. Primam hanc delineationem ipsamque Pyrrhi inventionem probavit piissimus Pastor Paulus IV. ut illud Tarbernaculum, quasi exemplar voluerit proponi, ad quod reliqua omnia per Urbis Paræcias

Taber-

Tabernacula fabricarentur. Hucusque supradictus Author.

Verùm & si nullibi juxta hanc ideam Tarbernaculum sit extructum, omnia tamen videmus instar Templi fabrefacta, quæ in aureis prætiosissimisque pixidibus inclusum servant, MAGNVM GRATIAE SACRAMENTVM à numisate explicato nobis propositum.

XIII

TV.SCIS.DOMINE.

SAlvatorem Mundi à Divo Petro petentem *Petre amas me?* supponit numisma & in lemmate ejus responsum suggerit TV SCIS DOMINE, *quia amo te*, ut dicitur apud D. Joannem cap. 21. 15. nil aliud ex nummo hoc deduci posse mihi suadeo cum P. Molineto, quam ipsius Pontificis Clementis sinceri amoris erga Deum argumentum. *Pag. 133.*

XIV

HINC. PAX. HINC. VICTORIA.

TRiumphum Sanctæ Crucis voluit denotare Clemens VIII. in qua vicit Leo de Tribu Juda Princeps pacis. A Cruce enim victoria, & pax emanarunt, hæc per oleam, illa per palmam designatur. Exculptum fuit numisma post Victoriam Ferrariensem, de qua in sequentibus numismatis dicendum erit.

Numisma rarissimum huic persimile est Flavii Anicii Olibrii, viri nobilissimi, qui in uxorem duxit Placidam Valentiniani III. filiam & post captam à Vandalis Romam, Costantinopoli concesserat, de quo Du Cange in Famil. Bizant. ubi hunc nummum recenset. In eo Crux in medio nummo, & inscriptio SALVS MVNDI testantur plurimi Historici, uxorem Olibrii Placidam pietate fuisse insignem, cui maritum etiam deditum hic nummus ostendit, quo cum D. Paulo de Cruce Christi gloriatur, quam rectissime mundi salutem appellat. Insignis profectò inscriptio, in qua plus glorię, ac triumphorum reconditum est, quàm in omnibus aliis magnificentissimis epigraphis. *Fol. 74. & 78.* *Apud Morellum Specim. rei numm. pag. 89.*

Hanc victoriam, & pacem à Christo in Cruce partam indicat Sanctus Leo serm. 8. de Passione, ubi notat, quòd loquens Jesus de Passione sua dixit. *Nunc Judicium Mundi est, nunc Princeps hujus Mundi eiicitur foras*, ex quibus verbis victoria indicatur pax verò ex aliis. *Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum*. Pace enim, & quiete fruitur quicumque Deo unitur; quamobrem meritò testatur Ecclesia. *O magnum pietatis opus! mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit.*

Cæterum sicuti Christi Salvatoris, sic & Crucis ejus signum semper in Ecclesia celebre fuit. Quod Alexandriæ, ut habet Ruffinus lib. 11. cap. 29. unusquisque in postibus in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque depingebat. Sozomenus ait lib. 1. cap. 8. Constantini mandato Crucis figuram nummis impressam esse. Quò etiam spectat quod concionatus est Ambrosius serm. 55. *Veluti malum in navi Crucem erectam esse in Ecclesia, qua inter Sæculi naufragia servatur incolumis, undè pax quieta maximè probatur*. Victoriam verò victoria Constantini Magni demonstrat post visam in Cęlo Crucem, quamobrem ad illius effigiem Vexillum suum, quod Romani Labarum appellabant, fabricari curavit, qua de re Eusebius in vita Constantini lib. 1. apud Minutium Fœlicem in Octavio cap. 22. Catholicis dicitur, signa ipsa, & Vexilla Castrorum quid aliud, quàm inauratæ Cruces sunt, & ornatę. Ejusdem Sanctæ Crucis signum atramento in frontibus Turcarum pictum, eos (quantumvis infideles) apertè præservavit, ut est apud Nicephorum Calistum, ideò Chrisostomus homil. 55. in Matthęum hortatur, ut &

in

in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque, ac mente magno studio Crucem inseramus, *Unde Pax, & Victoria*.

✠ XV ✠

FERRARIA RECVPERATA.

✠ XVI ✠

FERRARIA RECEPTA.

Annal.Urbis.

FErraria Ædificiorum splendore, ac magnificentia celebris inter Romandiolæ Urbes à Trojanis condita juxta Gabrielem Venetum, seù, ut refert Gasparus Sardius hist. Ferrarieñ lib. 1. Asiaticis Nini tyrannidem fugientibus Ferrariam dixit Ferratus ex eorum Procerum numero, qui dominatum sortitus fuit ejus regionis, quæ Atesi, & Pado Amnibus interjacet, ibique ædificavit anno ab Orbe condito 2105. post Trojanorum dominium, ac Gallorum, deinde Romanorum, tandem Ecclesiæ subjecta dono Caroli Magni Francorum Regis, qui Desiderium Longobardorum Regem ex Italia depulerat. Deindè cum ad Imperatorem Fridericum II. qui hostis erat Pontificis defecisset, Gregorius è Monte Longo Legatus Apostolicus Fœderatorum Insubrum, & Venetorum auxiliis succinctus recuperavit mense Augusto 1240., eique Azo tertius Estensis Marchio, qui eo bello strenuè operam navaverat præfectus est. Ex quo tempore Estensis inclyta gens Ferrariæ administrationem habere cœpit. Hæc cum Baronio Blondus, Volaterranus, & Ciacconius memoriæ prodiderunt.

Baron Annal. 1240. num. 19. Ciacc. to. 2. col. 69.

Anno denique 1597. Die 29. mensis Octobris Alphonso II. istius nominis quinto, & ultimo Ferrariensium Duce successit Cæsar Estensis, qui suæ ditionis hæres scriptus fuit ab Alphonso; at Clemens VIII. ut Alphonsum mortuum cognovit, Estensem Ferrariensi Ducatu jussit abstinere, deinde convocato Cardinalium Concilio conatus est armis illicò expellendum persuadere; Deindè consilium fuit, ut Virum prudentem, atque in rebus gerendis peritum Pontifex Ferrariam mitteret, qui Familiares Cæsaris ab eo Duce desciscere studeret; neque sperato fine res caruit, quippe multos Legatus in partes Pontificis pertraxit. Deindè exacerbatus animus Pontificis post affixum Ferrariæ Pontificium Monitorium militem conscripsit, jussitque argenteam monetam cudi, & partem unam Aldobrandinæ gentis insignibus, alteram verò Petri navicula fluctibus jactata signari, adscripto lemmate NON PRAEVALEBVNT, postea vergente ad finem anno 1597. ipsa Natalis Domini die latæ excommunicationis in Cæsarem sententiæ rumor percrebuit, qua illicitus detentor Civitatis est declaratus. Demùm Cæsar re maturiùs considerata Clementi cessit, & 28. mensis Januarii 1598. Ferraria Mutinam cum Virginia Coniuge, Ludovico filio, & Julia filia discessit.

Declaravit Clemens Legatum Ferrariæ Petrum Card. Aldobrandinum, ut constat ex actis Consistorialibus die 18. Januarii ejusdem anni in Consistorio secreto apud S. Petrum, in quo etiam ex voto Cardinalium confirmavit (verba sunt ex actis assumpta) „ Capitula inita inter D. Cardinalem Aldobrandinum nomine „ Sanctitatis Suæ, ac Sedis Apostolicæ, & Lucretiam Urbini Ducissam, uti pro- „ curatricem Cæsaris Estensis super restitutione Ducatus, & Status Ferrariæ cum „ cæteris annexis, & connexis, seu alia ad Sedem Apostolicam devolutum, & „ devoluta, ipsumque Cæsarem, & alios absolvit, & alia etiam disposuit, & de- „ crevit, prout in literis Sanctitatis Suę ab ipsa, & cęteris Cardinalibus subscriptis. Idcircò post discessum Cæsaris Cardinalis Aldobrandinus, qui jam Bononiæ commorabatur Feria quinta Bacchanalium Bononia Ferrariam contendit Pontificio, ac Romanę Sedis nomine: processere adventanti obviam Judex, ac Magistratus Sapientum, quos ut conspexit Cardinalis descendit ex equo: ac Judex Sapientum magno Ferrariensium numero stipatus, & ad Cardinalem accedens universorum nomi-

Jo: Blaeu in theatro Civit. Italiæ. pa. 119.

nomine Claves Civitatis in polubris argenteis positas obtulit, quas Cardinalis placido vultu accipiens suum in Ferrarienses testatus est amorem, studiumque quibusvis in rebus juvandi.

Hanc actionem Sculptor in numismate indicavit, in quo Cardinalis claves ab illustri viro accepit, non tamen in ancili argenteo, ut fert historia, neque à Cęsare Duce Estensi, ut P. Molinetus. Aberat enim tunc temporis Cęsar, ut diximus: Acceptis à Cardinale Civitatis clavibus illum excepere sub umbellæ è serico albo viginti tres Primates juvenes Ferrarienses, induti vestibus è serico albi coloris, ornatisque togis, & galeris olosericis coloris nigri, & octo ex his umbella deferentibus, cęteris Cardinalem stipantibus. Ut ad Pontem pervenere supra Padum Ferrariam perfluentem extructum, obvius Cardinali Joannes Fontana Ferrariensis Episcopus cum universo Clero eumdem pedibus incedentem ad Portam Civitatis deduxit. Hic Mannum argenteo textili exornatum Cardinalis ascendit, quemadmodum & Judex, & Magistratus Sapientum cum equestri ordine suos quisque equos conscenderunt. Pręcessit Cardinalem miles Pontificius, hunc sequutę Opificum Tribus; post hos Religiosus ordo venit, & Clerus cum Episcopo, tum Cardinalis equitans sub umbella coequitantibus à dextra ejus Judice Sapientum, atque à sinistra Alphonso Turco Comite, Cardinalem subsequutus est Magistratus, Magistratum Collegium Jurisperitorum, tandem Pręlatorum, atque Episcoporum ingens numerus agmen conclusit. Cardinalis purpureo galero obtectus tres ante se pedites habuit, totidem polubris argenteis claves Civitatis in capite deferentes, demùm ad summam ędem Sancti Dominici processit, eamque ingressus ante Principem aram in genua procubuit Musicis interea hymnum *Te Deum* decantantibus. E Templo postea progressus in arcem, ibi permansit. Explicata tunc fuere, & quaternis arcis turribus S. R. E. Vexilla incensi ignes, publicaque omnium acclamatio subsecuta est. Pag. 134

Quamobtem die 11. Februarii ejusdem anni fuit Romę Consistorium secretum, in quo Sanctissimus Dominus Clemens dixit, *Ducatum, & Statum Ferrariæ jam fuisse recuperatum, idque sola Omnipotentis Dei misericordia factum esse, & propterea illi ingentes gratias agendas, maximè cum id absque ulla sanguinis effusione contigerit*. Hoc factum memorat nummus sequenti numero indicatus.

XVII

SINE CLADE. 1598.

IN eo duę decussatę Claves adjecto lemmate SINE CLADE cum laurea corona clavibus superposita, qua Ecclesię triumphis declaratur. Triumphalis nummus dici potest, fuitque in usum pecunię ejusdem generis, in quo *Julios*, seu *Paulos* vulgò dictos numeramus, tunc temporis cusus, quando Pontifex Clemens profectus est Ferrariam, ut mox exponemus.

Eodem in Consistorio undecima Februarii habito significavit Pontifex, *se post octavam proximi Paschatis Resurrectionis Domini velle accedere ad ipsam Civitatem Ferrariæ, secumque ducere Curiam, nempè duos de quolibet Collegio*; Quamobrem mense Aprilis Sacro in Vaticana Basilica ad Aram Apostolorum facto, verba illa itinerarii pronunciavit *In viam pacis &c.* Statimque cepit iter Ferrariam versùs, die 24. ejusdem mensis Lauretum petiit, 27. Anconam pervenit, & die Maii octava Ferrariam introiit in Sella gestatoria ab octo Servis vectus, Tiara triplici coronatus, comitate, & pompa eximia. Hęc in Diariis Pontificiis indicatur.

Angelus Rocca Apostolici Palatii Sacrista in tractatu de Sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus, pręferendo fusiùs describit iter Clementis Ferrariam proficiscentis, ejusque solemnem in eam Civitatem ingressum. Ex illo pauca, & scitu digna delibavimus. Discessit igitur Clemens, pręeunte Sanctissimo Sacramento ab equo mansueto delato itinere unius diei, cujus deferendi ritum exactè idem Rocca descrpsit. Tandem die octava Maii ad primam, & vigesimam ejus diei horam Ferrariam favente Deo, Sanctissimoque Sacramento prævio solemnitèr tandem ingressus est cum hac sequenti pompa. Pag. 71.

Sarci-

Sarcinaria in primis jumenta circitèr centum, pannoque rubeo gentilitiis Clementis Octavi Stemmatibus insignito cooperta præcedebant, inter ea, & muliones,& Bajuli mixti cernebantur. Duo indè Tabellarii, qui huc, atque illuc literas deferendi munere fungi solent statim sequebantur. Post Tabellarios quinq; Equitum Turmæ, quinque Centuriis distinctæ subsequebantur, duę Thoracatę galeatæ sclopo sque gerentes, tres verò Lanceatæ thoracatæ item, & galeatæ, quæ levis armaturæ equites vocitari solent, suo loco Tubicines, & Vexilliferi equitabant. Turmarum ductores erant Alexander Mantica, Octavius à Bufalo Romani, Paulus Monaldescus Urbevetanus, Prosper Jacobatius, & Franciottus Ursinus Romani, quorum singuli singulis Centuriis præerant. Post equitum turmas septem, ac viginti deferentes bulgas auro, ac Stemmatibus gentilitiis S. R. Eccl. Cardinalium S. D. Nostrum Comitantium insignitas sequebantur. Deindè totidem eorumdem Cardinalium Claverii vestibus violaceis induti equis insidentibus, argenteasque clavas manu gestantes.

Hos subsequebantur septem, & viginti Caudatarii S.R.E. Cardinalium hyacinthinis induti vestibus oblongis. Deindè multi nobiles eorundem Cardinalium Aulici, & Familiares elegantèr, & sumptuosè amicti equitando sequebantur. Post eos Tubicines. His succedebant Tonsor, ac Sutor Papæ rubeis induti vestibus bulgas item rubeas, quas *Valisias* vocant deferentes. Hos subsequebantur Scutiferi Papę Vestibus oblongis, ac rubeis sine capitiis induti, necnon ex Curia non pauci. His succedebant Cursores, deindè Achinea deferens Scalam duobus gradibus panno rubro coopertā constantem, qua Summus Pontifex in equum insiliendum juvatur. Post Achineam deferentem scalam sequebantur Mulę albę sine sessoribus, duæ, Sanctissimo Domino Nostro destinatæ, pulcherrimisque phaleriis exornatæ, rubeoque cooperto oloserico laciniis, sivè fimbriis auro contextis insignito, manuque à Famulis, sivè à Stabulariis veste rubra indutis ductæ. Post Mulas albas duodecim Asturcones albi sine sessoribus pulcherrimè phalerati à duodecim Stabulariis rubea veste indutis manu etiam ducebantur. Hos Lecticæ duæ subsequebantur oloserico rubro contectæ, fimbrisque auro contextis exornatę. Post Lecticas Sella gestatoria ejusdem coloris contexta oloserico à quatuor Parafrenariis rubea veste indutis super humeros deferebatur; post Sellam gestatoriam equitabat Equilis Præfectus.

His succedebant Adjutores, sivè ut aiunt Sanctissimi D. N. Cubiculi Adjuvantes quatuor, rubeis amicti Vestibus, & oblongis sine capitiis, quorum duo bulgas Papę ex oloserico rubeo deferebant. Deindè sequebantur Cubicularii ex minùs intimis, extra muros passim vocitati, rubea veste sine capitiis amicti. Hos subsequebantur tres Advocati Consistoriales vestibus violaceis induti capitiis; ad collum inversis, deindè Sacellarii ex intimis, quos Cappellanos Secretos passim vocant, necnon Cubicularii; quos appellant honoris, atque item ex intimis, omnes rubeis induti vestibus, capitiis ad collum inversis, quatuor Summi Pontificis pileos purpurei coloris olosericos fastigio hastarum, quæ eodem erant contectę panno affixos gestantes.

Hos propè sequebantur multi Nobiles, ac titulis insignes ditissimo vestium cultu, eleganterque in equis phaleratis. Hos sequebatur Joannes Bardius, utriusque Militiæ Sacræ Romanæ Ecclesiæ Ducis Generalis Locumtenens, item equitum, quos *Sclopetarios* vocant pro Pontificia custodia Præfectus. Hos subsequebantur Acolyti, Abbreviatores, Clerici Cameræ Apostolicæ mantelletto, palliolo scilicèt paulò infra humeros ad Bracchia extrahenda perforato, & rocchetto candido amicti, duoque statim Auditores Rotæ nigris lacernis, quas *Croceas* vocant, & rocchettis induti, deinde duo Subdiaconi Apostolici mantelletto, & rocchetto induti.

His succedebant Oratores quatuor, Bononiensis videlicèt solus, alii scilicet Franciæ, Venetiarum, & Sabaudiæ pares equitabant, intermedio Oratore Franciæ. Post Oratores Tubicines, quos sequebatur pedester Ferrariensis Clerus ex singulis Ordinibus bini gradiebantur ejusdem Civitatis, Episcopo pontificalibus amicto, vestibus subsequente. Hunc locum Episcopus cum Clero tenere cœpit extrà Portam Civitatis Clerum sequebantur, duo clavigeri argenteas clavas manu gestan-

gestantes, inter quos altero Ceremoniarum Magistro equitante. His succedebat Subdiaconus Crucifer inter duos Ostii Magistros virgam rubeam gestantes lacerna violacea, & rocchetto, pileoque ad Prælatum pertinente indutus. Hos propè Cappellæ Pontificiæ Cleri duo violaceis induti Vestibus equitabant, laternasque argenteas in fastigio hastarum affixas lumine intrà eas occluso deferebant. Post hos Ecclesię S. Georgii Monachi cerea funalia hinc indè ad Sanctissimum Sacramentum ardentia pedestres deferebant.

Inter hos Asturco equus albus, & pacatus, pulcherrimèque phaleratus à duobus Paraphręnariis manu ductus, cui imposita erat Arcula sub umbella ex serico, & auro contexta, in qua erat Sacratissima Hostia loculo cristallino inclusa. Umbella insuper magna ex serico rubeo à Monachis S. Georgii delata fuit, Sanctissimum Sacramentum Apostolici Sacrarii Pręfectus sequebatur, Mulę albæ nigro instructæ opertorio insidens, albumque baculum Jurisdictionis insigne manu præseferens.

Post Sacristam à Sancti Georgii æde ad Portam Civitatis Sanctissimus Dominus noster equitavit, eumque Cardinales subsequuti sunt, post hos Prælati, Prothonotarii videlicet Referendarii, & alii permulti.

Cum ad Portam Civitatis pervenit Sanctissimus Dominus noster, Ferrarię Magistratus obviam ivit, clavesque Civitatis in polubro argenteo delatas illi obtulit una cum triginta nobilissimis adolescentibus ditissimè indutis. Hoc loco Pontifex à Mulo desilivit, & in domicilio ex tabulis constructo peristromatis exornato vestibus Ecclesiasticis indutus est. Ex hoc ad Templum Cathedrale itum est, præcedentibus triginta illis Juvenibus Pontifici, qui Tiaram, quod *Regnum* vocant capite gestabat quinquies centenis nummum aureorum millibus, & ampliùs æstimatam sumptuosę Sedi insidens super octo Paraphręnarios rubeis vestibus indutos, hinc inde Helvetiis, hastiferisque stipatus Umbellam supra Sanctissimum Dominum caput Magistratus Proceres deferebant. Interim Questor generalis, sivè Ærarii Apostolicæ Sedis Pręfectus, quem nunc Thesaurarium generalem vocant, equitando subsequebatur Tyberius Cerasius, ad anteriorem Sellæ partem Sacculos duos ex oloserico rubeo confectos habens nummis argenteis plenos. Istam ad dimovendam turbam, tùm etiam ad excitandam Populo lętitiam per singulas viarum regiones certis pasuum intervallis in populos dispergebat monetam, Julios scilicèt argenteos, & nummos illos, quorum singuli tribus juliis argenteis constant, quosque italicè *Testones* appellant.

Nummus primus ad anticam duabus Clavibus in formam Crucis laurea sub corona coaptatis signatus erat sub hisce literis SINE CLADE, ut expressimus. Ad posticam verò Stemma gentilitium Clementis VIII. erat impressum his caracteribus insignitum

CLEMENS VIII. PONTIFEX MAXIMVS.

Nummus alter ad exteriorem partem Justitiæ, & Pacis imaginibus invicem sibi manum porrigentibus, ac sese osculantibus signatus erat hisce litteris

DEOSCVLATÆ SVNT.

In altera nummi parte sculpta erat Clementis Octavi imago his cum literis

CLEMENS VIII. PONT. MAX.

Talem nummum invenies apud Luckium pag. 367., quem vocat *Irenicum*, quod verbum ab Irenarchis derivari ait Dominus Du Cange in Glossar. ad Scriptores mediæ latinitatis; qui erant Magistratus Militares constituti ad pacem, & concordiam curandam per singula territoria, ut est in lege 7. Cod. Theodos. de Irenarch.

Porta, quæ Civitatem ingredientibus sese offerebat recens aperta fuit gentilitiis Papæ stemmatibus insignita, infra quæ hæc legebatur inscriptio.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.
FERRARIAM BELLO PETRI ALDOBRANDINI CARDINALIS
IMPERIO FOELICITER GESTO,
ATQVE INCRVENTA PRORSVS VICTORIA
RECVPERATAM INGREDIENTI EXVLTANS,
SECVM IN TERRIS ESSE NATVM DOMINVM,
QVO CÆLVM APERITVR, PORTAM
HANC PRIMVM APERVIT,
ALDOBRANDINÆQVE GLORIÆ ÆTERNVM DICAVIT
POPVLVS FERRARIENSIS
ANNO DOMINI M. D. IIC.

Pontifice Ferrariam ingrediente majora, & minora tormenta bellica diplosa sunt. Per omnes vias, qua transeundum erat, anteriores domorum parietes tapetis vestiti extabant, atque pulchris imaginibus decorati.

In quibusdam præcipuis viis assurgebant etiam Arcus, quos triumphales vocant pulcherrimis cum simbolis, ac inscriptionibus. Has recensuit etiam supracitatus author Angelus Rocca. Ad Comitatus confusionem evitandam Milites pedestres omnes longo ordine hinc inde per vias consistentes cernebantur. Religiosorum insuper, & Laicorum Conventus hinc indè distributi Pontificii adventum expectabant. Interea tubarum clangor, Timpanorum sonitus, acclamantinm voces Cælum implebant. *Pag. 87.*

Dum hæc agerentur ad Ecclesiam perventum est, omnes è Mulis desilivere, & ante Altare Cappellæ Pontificiæ Cantores hymnum *Te Deum* decantarunt alternantibus choris, interim Pontifice genuflexo orante. Post absolutam Orationem ascendit Altare, ex qua ad Populum se convertens solemnem benedictionem elargitus est, & Pontificalibus indumentis exutus in Arcem se recepit, ad cujus Portam claves ipsius Arcis oblatę fuerunt. Hæc de splendidissimo apparatu, & Comitatu, quo Clemens Ferrariam recuperatam sine clade fœlicitèr ingressus est sint satis. Qui plura desiderat adeat ipsum Roccham.

Post aliquot menses die 26. Novembris ejusdem anni 1598. Pontifex audivit Missam, (verba sunt ex Diariis.) *Et Sacra Eucharistia accepta ivit in Sede parva ductus ad Ecclesiam Cathedralem, in qua ante Altare Sanctissimi Sacramenti dixit Itinerarium, deinde absolvit Populum Ferrariensem, & ejus Dominium à quacumque censura, &c. Et in lectica vectus, Cruce præcedente discessit Ferraria, reversurus Romam associatus ab Eminentissimis Cardinalibus, Baronio, Montalto, & Cæsio.*

XVIII

REMIGRAVIT ERIDANVS.

1598.

SVb forma nudi Senis significatur in numismate Padus fluvius Italiæ, quem Metrodorus dicit apud Plinium, nomen accepisse ad Arbore picea, quæ Pades gallicè vocatur, quoniam circa fontem arbor multa ejusmodi germinet. A Græcis Poetis dictus Eridanus à Jugis Alpium fusus ex tribus fontibus oritur, cadensque prope Paisanam Castrum sub terrę Visceribus se abscondit, deinde post duo milliaria rursus emergens versus Salutios labitur, receptisque aliis, atque aliis fluminibus mirum in modum augetur, auctusque aquarum accessione 30. flumina per septem ora defert in Adriaticum Mare. *Lib. 3. cap. 16.* *Isidor. orig. lib. 13. c. 21* *Solinus c. 8*

Ob aquarum copiam fluviorum Regem vocat illum Virgilus Georg. 1.

Proluit insano contorquens vertice Sylvas
Fluviorum Rex Eridanus.

Et Lu-

Et Lucanus lib. 2.

Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem.
Eridanus fractusque evoluit in equore Sylvas.

Hoc fluvio mersum esse è cursu solari decidentem poetæ ferunt Phaetontem, propterea Syderibus expressum, & Cælo Arieti proximum, ut legitur in Claudiano.

Stellifer Eridanus sinuati fluctibus errans
Claram noti convexa rigat gladioque tremendum.
Gurgite Sydereo subterluit Oriona.

In hac expressione verba sunt REMIGRAVIT ERIDANVS, quibus Ferrariæ Ducatum in ditionem Pontificiam rediisse indicatur, parte pro toto metonimicè accepta. Eridanus enim (docente Baudrando) post ditionem Mantuanam auctus Ollio, Gabello, Mincio, aliisque minoribus fluviis, tandem in ditione Pontificia, & Ducatu Ferrariensi in duo bracchia scinditur ad castrum Stellatum, & Mare versus excurrit. De Ferraria recuperata satis dictum est in numismate superiori. Enarrationi coronidem imponat distichon, quod apte legitur in marmore ad muros Arcis Sancti Angeli Romæ affixo.

Eridani imperio Clemens, & pace per Orbem.
Aurea reddiderat secula Roma tibi.

XIX

VNVS. DEVS. VNA. FIDES.

Typus fidei cum suis attributis hic depingitur, Cruce scilicet, & Calice, quibus Mysterium Passionis Christi, & Sacramentum Eucharistiæ, quæ sunt precipua fidei nostræ fundamenta exhibentur.

Una autem est fides, sicut & ipse Deus unus est. *Deus enim* (inquit sapienter Tertullianus) *si non est unus, non est*, nam si plures Dii essent, vel plures essent ob dotum, ac Diuinorum attributorum defectum, vel ob eorum possessionem; non quidem ob defectum, cum Deus omnis prorsus sit expers; non ob dotum possessionem, cum earum cumulus necessario à summo bono contineatur. *Porro nihil summum bonum* (inquit Prudentius) *nisi plenis viribus unum*. *In Marc. lib. 1. cap. 13.* *Apud Segnerum cap. 18.*

Esset proculdubio Dei Ecclesia tamquam in Mari navicula pluribus inter se diffidentibus ventis agitata à quorum nullo se se ducendam esse jure arbitraretur. Animal insuper cui plura capita dominarentur, idcirco jure apud Angelicum Doctorem *multitudo Numinum nullitas Numinum*. *1. par. qu. 11. art. 4.*

Unitati Divinæ unitas Fidei Catholicę respondet, cujus semper dogmata eadem permanet, cæterarum verò dissentiunt: *Diversæ doctrinæ personant* (inquit S. Augustinus) *diversæ hæreses oriuntur. Curre ad Tabernaculum Dei, ibi protegeris à contradictione linguarum.* *Con. 1. in l. fol. 30.*

Ipsa res (idem Augustinus addit) *quæ nunc Religio Christiana nuncupatur erat & apud Antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quo usque ipse veniret in carne, unde vera Religio, quæ jam erat cœpit appellari Christiana.* *Lib. 1. Rat. c. 13.*

Eam ipsa veritas docuit, quæ nec fallere potest, nec falli. Vna est Christi Ecclesia, omnium Christianorum parens, quam lacerant Hæretici in plures Ecclesias, quæ ait D. Hieronymus ad Ageruchiam juxta Apocalip. Joannis, *Sinagogæ magis Diaboli appellandæ sunt, quam Christi conciliabula: super hanc petram dixit Christus Petro ædificabo Ecclesiam meam.* Egregie Sanctus Cyprianus. *Deus unus est & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata, multi in Christiano Orbe Episcopi singulis à Romano Pontifice hic huic ille illi Populo regendo præfecti omnes sub ejus imperio ad regendam Ecclesiam operam conferunt. Considerandа Divi Pauli verba attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Eccesiam Dei unum Corpus sumus in Christo, unus Dominus una Fides unum Baptisma.* *Epist. 11. cap. 4.* *Lib. 1. epist. 8. ad plebem.* *Act. 20.*

Ecclesia una est in radice, & capite, quamuis propagine multiplex fiat, radi-

radicis, Fontis, & Solis exempla S.Cyprianus recensuit, *rami arboris à radice vim habent, rivi fluunt à fonte, solares radii à Sole ipso lucem accipiunt, membrorum corpus virtus à capite manat.*

His addo descriptionem Ecclesiæ doctissimi Bellarmini, quam unam, non duas fatetur hoc modo cap. 2. de Eccles. milit. *Ecclesia est unus, verusque hominum cætus ejusdem Christianæ fidei professione eorumdem Sanctorum Sacramentorum Communione colligatus, sub legitimorum Pastorum, præcipue vero unius Romani Pontificis Christiani Domini in terris Vicarii Religione.*

Videndus etiam est D. Augustinus de unitate Ecclesiæ contra Epistolam Petiliani.

Quando autem publicatum fuerit hoc salutare documentum in proposito numismate numeri appositi indicant MDCII. quo videlicet anno aliud numisma vulgavit à nobis sub numero VIII. expositum cum Serpente in sublime elato, & lemma CONTRIBVLASTI CAPITA DRACONIS postquam hæresis Calvinianæ caput contusum est absolutione Henrici IV. Gallię Regis, cujus veneno Regnum posse infici jure metuebat.

XX

RVTHENIS RECEPTIS.

Anno 1595. die Januarii duodecima Archiepiscopus Michael Metropolita Kioviensis, Huliciensis, & totius Russię Episcopi septem, Ruthenorum grecum ritum sectantes, concordia cum Latina Ecclesia Apostolica Romana cupidissimi, ex Polonię Regno, & Magno Lithuanię Ducatu literis ad Clementem VIII. datis significarunt, se, conscio, & libente Sigismundo Serenissimo Polonię, & Suetię Rege, magnoque Lithuanię Duce ad eam concordiam, & coniunctionem accedere, quę floruit olim inter Occidentalem, & Orientalem Ecclesiam, queque Isidoro Ruthenorum, & Bessarione Nicęno Archiepiscopis juvantibus in Florentina Synodo renovata, & constituta fuerat. Delecti ex iis Oratores Hypatius Pocici Protothronius Wlodimiriensis, & Bressensis Episcopus, Cyrillusque Terleczki Exarcha Metropolitæ Kioviensis, Luceoriensis, & Ostresiensis Antistites, & ad obedientiam Clementi prestandam missi Novembri mense Romam venerunt. In itinere variis in locis Pontificis nutu ab Episcopis honorificè excepti. Qua benignitate Clemens Romę eos exceperit, munificentia aluerit, & omnibus, quæ opus erant instruxerit, qui Clementissimi Pontificis pietatem, benignitatem, & munificentiam cognitam habuit, dicere facilè poterit. Die 23. Novembris in Vaticana Constantini Aula Pontificis in throno sedentis, & Cardinalium corona stipati Rutheni Legati venerabundi publicè deosculati sunt pedes, literasque ei obtulerunt, quę primùm Ruthenicè, Latinè deinde perlectę fuerunt, habentur in Annal. Baron. tom.7. de illis agentis.

Victorellus apud Ciaccon. col. 253.

Rutheni concordiam inituri Grecos ritus ab Ecclesia Romana non improbatos nolebant deserere; quamobrem Sacramentorum administrationem, ritus, cęremoniasque Ecclesię Orientalis eo modo quo tempore unionis iis uti consueverat integrè sibi à Clemente etiam pro Successoribus conservari, & confirmari postularunt, & subjecere. *Quæ omnia petita à nobis, si obtinuerimus Sanctitati Vestræ cum omnibus Successoribus suis nos, & Successores nostri dicto audientes, sub quo regimine Sanctitatis Vestræ semper esse volumus.*

Silvius Antonianus Pontificii Cubiculi Præfectus, & ipsi Clementi à secretis præstita à Ruthenis Legatis obedientia prudenti Oratione Pontificio nutu jis respondit, & hęc inter alia pronunciavit. „ Implete gaudium Sanctitatis Suę, & „ hujus sacri, atque amplissimi Collegii, & fidei Catholicæ professionem jam „ facite. Paratus est Sanctissimus D. N. paterna benignitate Vos, & Metropoli- „ tam vestrum, & Coepiscopos vestros, & nationem vestram Ruthenam, aperto „ charitatis sinu ad communionem admittere, & obedientiam vestram unà cum „ his Venerabilibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus recipere. Oratores deinde

de singuli fidei Professionem scriptis exaratam à se subscriptam pronunciarunt, statimque deinde iterum ad osculum pedum Pontificis occurrerunt. Eos autem Pontifex brevi, sed perhumano, prudenti, pioque sermone allocutus est.

„ Deinde Procurator Generalis Fiscalis, & Fiscalis Sancti Officii Inquisi-
„ tionis (verba sunt Pauli Alaleona in suis Diariis) fecerunt suas solitas prote-
„ stationes, & rogarunt Prothonotarios, & Notarios præsentes, ut conficerent
„ instrumentum de more ipsorum, quo absoluto dicti duo Reverendissimi Domi-
„ ni Episcopi petierunt à Papa, ut sui Familiares possent osculari pedes Suæ San-
„ ctitatis, quod Papa gratiosè concessit, quamvis laboraret podagra, quo fa-
„ cto Papa omnibus signo Crucis dedit benedictionem, & rediit ad suas ca-
„ meras.

Numismata deinde aurea, & argentea Ruthenorum Legationem indicantia Pontificis jussu cusa anno subsequenti die Sanctorum Apostolorum natali Clemens ex veteri more distribuit. In una eorum parte Clementis erat effigies, in altera eiusdem Pontificis imago tiaram in capite gestantis, solio insidentis, Ruthenosque flexis genibus humiles benedictione cumulantis, ut in nostra tabula expressimus. *Victorellus col. 254.*

❧ XXI ❧

IVBILAEI INDICTIO MDC.

Numisma in una fronte exhibet effigiem Clementis his literis coronatam CLEMENS VIII. PONTIFEX MAXIMVS ANNO VIII. In altera eumdem Pontificem in throno cum duobus Cardinalibus ibi assistentibus sedentem, ac Jubilæi publicationem ex ambone lectam auscultantem, duosque tubicines tubis canentes repræsentat cum lemmate IVBILAEI INDICTIO ANNO MDC.

Anno enim Sæculari 1600. adventante Clemens in Consistorio secreto festivitati Dominicæ Ascensionis proximo illum Jubilæi thesauris insignire decrevit. Mox ipso Ascensionis die cum ad Vaticanam Basilicam sella delatus pergeret sub ejusdem porticu Marcello Vestrio Barbionio Brevium à secretis Bullam indictionis manibus gestanti benedixit, ac simul ejusdem publicationem iniunxit. Missarum deinde solemniis in Basilica interfuit. Inter hæc idem Marcellus adhuc cappa de more indutus, uti erat etiam Abbreviator Curiæ diploma consuetis cæremoniis, ac Officialium præsentia ex ambone alta voce perlegit, prout Dominica quarta Adventus ab Angelo Rogerio Abbreviatore de Parco Maiori repetitum fuit. *Phœbeus de Jubil. par. 2. cap. 12.*

Post talem Jubilæi publicationem narrat Victorellus, diploma fuisse à Cursoribus Pontificiis affixum parietibus Basilicarum Sanctorum Petri, & Pauli, Sancti Joannis in Laterano, & Sanctæ Mariæ, quam de Nivibus dicunt. Ad valvas insuper Cancellariæ, atque in Campo Floræ. Ejus diplomatis initium est. *Annus Domini placabilis, Annus Remissionis.* Literas deinde misit Clemens ad Reges, & Principes, monens, ut itinerum securitati consulerent, paceque jam jam inter Christianissimum, & Catholicum Reges sancita, literis sacro zelo conscriptis Gallicanæ Ecclesiæ Antistites ad Pastorale munus ritè obeundum incitavit. *De Iubilæis* *Idem.*

Alterum pariter Diploma Pontifex edidit die 21. Maii, quo omnes indulgentias plenarias, etiam perpetuas per totum annum Jubilæi suspendit, quod incipit. *Cum sancti Jubilæi solemnitatem.* *Paulus Alaleo in Diariis.*

Talis Jubilæi indictio indicatur in numismate ad sonitum buccinæ Sacerdotalis facta, ut mos erat apud Hebræos.

Fuit Jubilæum Israelitarum festum divinitus institutum hac lege ut quinquagesimo quovis anno celebraretur. Institutio ejus habetur Levit. cap. 8. vers. 8. & 9. *Tunc facies, ut ubique personent buccinæ*, & Levit. 25. 9. *jussit itaque Deus, ut sub fine anni quadragesimi noni in festo propitiationis publice tubarum clangore instantem Jubilæi annum denunciarent in universa terra Israel*, quæ res excitare sole-


solebat in Populis lætitiam. Typus erat Servatoris nostri, cujus sanguine jus redeundi in regnum Cælorum, quod ob peccatum amiseramus, nobis restitutum est, & sonus verbi Divini se diffundit per universam terram id quod per clangorem tubarum olim erat significatum.

Nomen Jubilæi habere originem à Jubal primo instrumentorum musicorum Auctore inter alios putat Marbachius in Levit. 25. & Andręas Marius in Josue 6. alii vero putant, originem habere à voce hebræa *Jobel*, quæ Arietem item cornu arietinum denotat, seu Buccinam arietinam, cujus clangor in Jubilæi auspiciis personavit. Sic Lyranus, Pagninus, Vatablus, Augustinus in cap. ultim. numeror, de quo vide Serarium in Josue 13. & Cornelium in Levit. 25. Meminit istius modi buccinarum Josue cap. 6. 7. *Et septem Sacerdotes tollant septem Jubilæorum buccinas*. Vide Thomam Goduynum de ritibus Hebræorum lib. 4. cap. 10.

Has septem buccinas fuisse ex argento in hunc præcipue usum de mandato Moysi in deserto fabricatas affirmat Torniellus ad annum Mundi 2584. num. 6. undenam hoc acceperit non indicat. Hoc ipsum docet Joseph Hebræus lib. 3. antiquit. cap. 11. ubi ait *Moyses invenit buccinæ speciem ex argento factæ talem: canna erat tibia paulò crassior, longitudo paulò minus cubitali, cujus os tantum patebat, quantum ad inflandum sufficeret desinebatq; iu extremitatem campanulæ similem quemadmodum tuba. Duas tales fecit, quarum una plebs ad concionem vocabatur, altera Principes ad consultandum de Republica exciebantur, utrisque vero clangentibus universus populus convocabatur*.

Negat autem Cornelius à Lapide in Levit. 25. nam Josve 6. vers. 13. dicuntur, septem fuisse buccinæ Jubilęi, nec in nullo alio festo eis utebantur, nisi in Jubilæo, ideo dicitur *quarum usus est in Jubilæo*. Erant hę non argenteæ, sed corneæ, nam ita S. Hieronymus in cap. 5. Oseę interpetratur Hæbraicam vocem Scophar, quæ in hoc loco habetur. Non erant insuper ex cornu Arietino, quia eo tantum clangebant in festo tubarum in memoriam Arietis substituti Isaaco á Patre immolando, sed erant ex cornu Bubulo, ita visum est Masio in Josue 6. & Riberæ lib. 5. de Templo cap. 24. citatis à Bonfrerio in cap. 25. Levit. Et S. Hieronymus *Buccina (ait) pastoralis erat. Pastorem autem non Arietum, sed Boum cornua inflant, qualia*, & Veterum fuisse cornua docet Varro lib. 4. de lingua latina. *Cornua (inquit) quæ nunc sunt ex ære tunc fiebant ex Bubalo cornu*, additque, Buccinam dici à bobus vel à sono Bo uum, & idem D. Hieronymus apud Bonfrerium, *Buccina cornu recurvo efficitur, tuba autem de ære perficitur, vel argenteo, qua in bellis, & solemnitatibus concrepabant*. Hujus generis fuisse tubas existimo, quibus indictum est Jubilęum tempore Clementis VIII. quibus passim ad solemniores dies celebrandos Itali pręcipuè utuntur, innumeris ferè ritibus antiquę legis penitùs extinctis.

Remanet inquirendum de voce IVBILAEI in lemmate usurpata. Putat Cornelius à Lapide in Levit. 25., vocem *Iubilæum*, seu *Iobilæus* deduci à radice hebręa *Iobal*, idest afferre, idque cum gaudio, & lætitia, vel ejus, qui ducit, vel ejus, qui ducitur, ut ostendit Serarius in Josue 6. Annus ergo *Iobel*, ideſt annus afferens omnia bona, & reducens quemque in pristinam libertatem, & hæreditatem: Ità Oleaster, Ribera, Seracius, & alii; favet & Cajetanus, qui *Iobel* à *Iebel*, idest germen deducit, ut annus *Iobel* idem sit, quod annus germinans omne bonum: Cajetano consentit Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 1. Quoad nominis orthographiam attinet rectiùs *Iobilæus* scriberetur, ut apud D. Hieronymum lego in cap. 1. epist. ad Galat. *Iobelum mallem*, ut Josephus cum sit in hebręo *Iobel*, aut certè *Iobeleum*, sed quoniam consuetudo obtinuit, ut *Iubilæus* dicatur, usus populo relinquitur, Scientia apud Eruditos, ità Ribera de templo Hierosolymitano lib. 5. cap. 25.



POR-

XXII

PORTA COELI, DOMVS DEI.

1600.

SUmmum Pontificem Portam Sanctam reserantem videmus, illam Clemens pervigilio Circumcisionis aperuit, quod pervigilio Nativitatis libentèr fecisset ex more, nisi articulari morbo laboravisset adeò graviter, ut è cubiculo egredi non potuerit. Hanc sacram actionem enarrat in suis Diariis Magister Cęremoniarum. *Feria sexta ultima Decembris à Cappella fuit facta Processio ad* „ *Portam Sanctam, ubi Pontifex accepit malleum de argento inauratum de manibus* „ *Cardinalis S. Severinæ, Majoris Pœnitentiarii, & stans cum Mitra ante portam di-* „ *cens, Aperite mihi portas justitiæ*, & responso à Cantoribus *ingressus ea confitebor* „ *Domino*. Percutit semel Portam sanctam, qui postea dicens, *Introibo ad domum* „ *tuum Domine*, & responso, *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*. Per- „ cutit secundò portam, deinde dicens: *Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus*, „ & responso, *Qui facit virtutem in Israel.* Dedit tertium ictum portę, ubi lapides „ erant talitèr dispositi, quòd percutiendo ruerent, & fecit foramen, deindè dedit „ malleum eidem Cardinali, & Papa retrocessit, & ivit ad Sedem. Interim Porta „ cecidit,& statim fuerunt exoneratę bombardę à Militibus Helvetiis, & in Castro „ Sancti Angeli. Interim Cantores cantabant psalmum *Jubilate*, & Pœnitentiarii „ lavarunt postes Portæ cum aqua benedicta spongiis,& abstergebant linteamini- „ bus. *Postea Papa dictis aliquibus Orationibus lachrymatus est, & accepta Candela* „ *accensa, & Cruce introivit Portam Sanctam, & cum eo duo Diaconi assistentes, de-* „ *indè cæteri &c.*

Cùm autem à Portæ Sanctę aperitione octiduo abstinere coactus fuerit, nè exterorum pietas ob id frustraretur publico edicto per Urbem affixo declaravit, à prædicta Vigilia, (tametsi Portis aureis non reseratis) qui quatuor Basilicas inviserent, eos Jubilæum fore consecuturos.

Cùm autem excussa vi morbi aperitionis solemnia perficere valuit, tunc Cardinales Gesualdum, Columnam, & Pinellum Legatos ad aperiendas in Basilicis Patriarchalibus Portas renunciavit, deinde Portam auream reseravit, ut diximus. DOMVS DEI, ET PORTA COELI in lemmate appellatur verbis, quæ olim Jacob protulit postquam vidit in somnis Scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens Cęlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam. *Non est hic locus aliud, nisi domus Dei, & porta Cæli*. *Gen.28.17*

Sicuti enim verè Christus, quem visum in spiritu à Jacobo, Tertullianus putavit *Domus Dei est, & simul porta, per quam intramus in Cælum*, ità allegoricè inquit Cornelius, *Ecclesia est domus Dei, & porta Cæli, quia in ea quasi domo sua Deus habitat per præsentiam, tùm spiritualem, tùm realem in Eucharistia, & quia in Ecclesia sunt merita Christi, quibus porta Cæli nobis reserata est, tunc maximè cum anni sanctioris, sivè Iubilæi dies celebrantur*. *Tertull. lib. de fuga. In Genes. 28. 17.*

XXIII

LAVDATE NOMEN DOMINI.

VErba, quibus Regius Vates ad laudes Dei Mortales excitat legimus in lemmate numismatis, in quo peregrinorum multitudo Portam Sanctam ingreditur. Putavit P. Molinetus, in hoc nummo depingi Sodalitatem Sancti Benedicti Florentię conspicuam pietate, quæ ut narrat Ciacconius ex centenario hominum numero composita peregrino in habitu præeunte Cruce ad Sacras Jubilæi opes promerendas advenit. Hanc potuisse indicari non nego, puto *Psal 112.* *Pag. 136.*

tamen,

De Iubilæis pag. 437. Relatione della Santiss. Trinità. MS.

tamen, numisma cusum ad rem celebrandam perpetuo monimento digniorem. Memoriç proditum est apud Victorellum, aliosque Auctores, eo anno quadringentos è variis falsis religionibus Hæreticos ad fidem Romanam reversos à Summa Clementis VIII. charitate in hospitio Sanctissimæ Trinitatis illectos, eosque pia, celebrique supplicatione ad Basilicam Vaticanam processisse, ibique à Pontifice sacra benedictione cumulatos. Inter quos Joannis Calvini maximi Hæresiarchę affinis, quem Clemens paterno amore complexus est, alendum suscepit liberaliter, & Sacramento Confirmationis donavit.

Atque ob id Angeli imago jure insculpta conspicitur olivarum coronam manu gestantis, illam enim merebantur quotquot, hæresis immani monstro superato, ad gremium Romanæ Ecclesiæ Victores redierunt: Porrò nomen Domini laudare tenebantur, quorum mentes ob suam infinitam in miseros pietatem Sancti Spiritus lumine cumulavit, ut proprios errores, ac veritatem agnoscerent.

XXIV

EGO VOS REFICIAM. MDC.

CHristus Dominus in nube sedens peregrinos invitans ab hujus numismatis fronte præfertur, circumpositis verbis, quæ Christus ipse olim protulit apud Matthęum cap. 2. In mentem revocat nummi hujus inscriptio Clementis liberalitatem, qua ut dignus in terris Christi Vicarius accedentes cujusque generis homines cibis, tùm spiritualibus, tùm corporalibus mira charitate refecit.

Integro ejus anni spatio aderat non longè à sua duodecim Peregrinorum mensa, quos diebus singulis lautior cibus nutriebat. Ad hospitium sumptibus Apostolicis pro Episcopis, & nobilibus Ecclesiasticis peregrinis conductum, & paratum pluries se contulit. Hi, teste Victorello, quatuor millium numerum eo anno complevere. Exterorum, quos ibi invenerat pedes lavit, & osculatus est, quin etiam in mensa demisse ministravit, idemque in hospitio Sanctissimæ Trinitatis pauperibus peregrinis præstare non destitit.

Ad eos pie excipiendos, ac liberalius alendos ultra certam pecuniæ summam è Pontificio ærario per hebdomadas Sodalitati assignatam, aliam deindè suppeditari præcepit. Etenim ut ex rationario Codice, in Archivo ejusdem Sodalitatis asservato, colligitur, scuta septem millia ducenta quinque Clemens eo Jubilæi anno in pios Xenodochii usus attribuit.

Eadem pietatis officia Clementem obiisse testatur marmorea tabula in eodem Xenodochio ad parietes Cœnaculi, quod magnum vocant sub æneum ipsius simulachrum exposita, ac sequenti inscriptione insignita.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.
QVOD XENODOCHIVM
PATERNA CHARITATE INVISERIT
SINGVLARIQVE LIBERALITATE
SVSTENTAVERIT
SODALITAS OPPORTVNA EIVS OPE
CONSERVATA POSVIT M DC VII.

ILLVSTRISSIMO DIDACO DE CAMPO PRIMICERIO.
IOANNE FRANCISCO SALOMONIO IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE.
CVRTIO SERGARDO, PROSPERO IACOBATIO, ET MARCO SERREMEDIO CVSTODIBVS.

Fuit autem adeò frequens eo Jubilæi anno in idem hospitium Peregrinorum concursus, ut ducenta septuaginta millia Peregrinorum, & ducenta quadraginta octo Societatum aggregatarum, quæ quinquaginta quatuor millia, & sex centum homi-

hominum numerum constituebant, eò confluerint, prout habetur in relatione, Venetiis impressa apud Juntas, & sanè idem prorsùs numerus in prædicto Xenodochii Rationario accuratissimo inita ratione, recensitus apparet. Andreas autem Victorellus ex alia relatione à quodam ex eadem Sodalitate collecta, quatuor centum quadraginta quatuor millia virorum, fœminarum verò vigintiquinque millia, Universim quatuor centum sexaginta novem millia Peregrinorum eo anno ibi hospitio excepta fuisse commemorent. Alia Urbis Xenodochia vigintiquinque circitèr millia hominum excepere. Constat insuper ducenta circitèr millia peregrinorum Solemni Pontificis benedictione ipso die Dominicę Resurrectioni Sacro interfuisse, ac ex illis triginta sex viros Lutheranam hęresim abjurasse.

De Iubil. par. 2.

Phœbeus de Iubil. cap. 17. par. 2.

Ne quid verò optimi Pontificis muneris Clemens pręter mitteret, eodem Jubilęi anno quęlibet Sacramenta, Baptismate tantùm excepto, Christifidelibus ministravit, pręcipuè centum Confratribus Societatis Sancti Benedicti Civitatis Florentinæ Sacra Communione refectis, & prandio exceptis fercula propriis manibus in Gregoriano ambulacro Palatii Vaticani ministravit.

Hic pręter mittenda non est rara Clementis munificentia à Victorello commendata. Asserit ille, Clementem trecenta millia circitèr scuta argentea eo anno in pio pauperum subsidio erogasse, atque in paterna charitate accedentes omnes refecisse.

XXV

IVSTI INTRABVNT PER EAM.

XXVI

INTROITE IN EXVLTATIONE.

EX his numismatibus primùm Portam auream clausam exprimit cum epigraphe IVSTI INTRABVNT PER EAM. Aliud numisma simile cum eodem lemmate cusum eo anno fuit, sed in altera parte loco Pontificiæ imaginis legebatur.

ALPHONSVS EPISCOPVS OSTIENSIS, SACRI COLLEGII DECANVS
S.R.E. CARDINALIS GESVALDVS,
IVSSV CLEMENTIS PAPÆ VIII.
APERVIT, ET CLAVSIT
ANNO IVBILÆI MDC.

Aperuit enim Portam Basilicę Sancti Pauli.

Aliud etiam numisma cusum fuit eo anno cum simili lemmate, in quo cernebatur Porta Sancta Basilicę Liberianæ clausa cum literis.

APERVIT, ET CLAVSIT ANNO IVBILEI MDC.

Ex altera facie

DOMINICVS S.R.E. CARDINALIS PINELLVS
ARCHIPRESBYTER.

Nec defuit numisma, in quo cernebatur Porta aurea Lateranensis cum epigraphe.

CLEMENS VIII. PONT. MAX.
ANNO IVBILÆI MDC.

Ex altera verò parte

SIMON DE ARAGONA C. TERRANOV.
LOCO ASCA. C. COLVMNÆ ARCHIPRESBYT.

Apud Phœbeum lib.2. cap.12.

Cum dicitur IVSTI INTRABVNT PER EAM in memoriam revocatur admonitio Hieremiæ,qui cap.17. his verbis nos admonet. *Cuncti habitatores hierusalem, qui ingredimini portas has, ut adoretis Deum, hæc dicit Dominus, custodite animas vestras, & nolite portare pondera, nec inferatis per portas hierusalem.* Pondera autem esse culparum sarcinas Sancti Patres interpetrantur. Si autem hæc deponantur per pœnitentiam, è reis Justi efficiuntur, ut deindè in Dei templo supplicibus, deleto culparum reatu, pœnarum etiam debitum condonetur.

Secundùm autem numisma sub Ovium specie Christifideles indicat, quos Pontifex eorum Pastor ad templum, veluti ad tutissimam caulam invitat verbis Psal.99. *Introite in conspectu ejus in exultatione.* Præscribitur autem hic psalmus in Ritibus ad Jubilęi consecutionem spectantibus, & in ingressu Portæ Sanctę devotè enunciatur. Ait Pientinus de Jubilęo lib.3. c.6. *Non solùm eam ob rem, ut insinuetur quanta Angelorum, & Sanctorum lætitia in triumphante Ecclesia recolatur Jubilæus, aut ea de causa, ut quicumque Cæremoniis illis præsentes fuerint, rectè intelligant, quàm religiosè, ac piè debeat in militante Ecclesia à Christifidelibus celebrari.*

✠ XXVII ✠

ABSOLVTO ANNO IVBILAEI MDC.

✠ XXXVIII ✠

PORTAM SANCTAM APERVIT, CLAVSITQVE
ANNO IVB. MDC.

Clementem continet Pontificem numisma primo loco positum Sacris Vestibus una cum Cardinalium cętu indutum, & primum lapidem pro clausura Portæ Sanctæ supra limen deponentem. Alterum Portam Sanctam lapidibus obstructam ostendit, utroque à Clemente VIII. illam fuisse clausam dicitur.

Sicut autem distulerat Pontifex podagra impeditus Portæ Sanctæ aperitionem, ut diximus. Ità eadem de causa anno absoluto Jubilæi protraxit ad vigiliam Circumcisionis Domini clausurę solemnia. At cum neque eadem die pedibus adhuc debilis clausuræ munus obire valuisset, novo edicto ad octavam Epiphaniæ Jubilæi beneficium protraxit. Hac igitur die ad Basilicam Vaticanam Sede delatus, absoluto Missæ Sacrificio à Cardinale Antonio solemnitèr celebrato, inchoata Antiphona in Sacello Sanctissimi Sacramenti *Cum jucunditate*, pedibus ad Basilicæ atrium per Portam auream contendit, eamque, servatis jam decretis Cęremoniis, obstruxit: ità enarrat Magister Cęremoniarum. „ Pontifex pedester „ accessit ad Portam Sanctam, tenens candelam, ibique benedixit lapides, & cę- „ menta pro clausura Portæ Sanctæ, deindè genuflexus collocavit duodecim cap- „ sulas plumbeas plenas numismatum de auro, argento, & ære, in totum cen- „ tum vigintiquinque de auro, 25. de argento, & 50. de ære. In limine Por- „ tæ Sanctæ in marmoribus perforatis, deindè posuit cæmentum supra prę- „ fatas capsulas plumbeas, & supra cæmentum posuit tres lapides, unum in- me-

In Diariis.

„ medio, alterum à dextris, alium à finiſtris, ſubmiſſa voce dicens. *In fide, & virtute Jeſu Chriſti filii Dei vivi, qui Apoſtolorum Principi dixit Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam collocamus lapidem iſtum primarium ad claudendum hanc Portam Sanctam, ſingulo Iubilæi anno reſerandam in Nomine Patris &c.* Quo facto quatuor Pœnitentiarii Sancti Petri, parati Planetis quatuor trullis de ære inargentatis incœperunt ædificare, deindè cæmentarii perfecerunt, & totam Portam clauſerunt, & Papa dictis aliquibus aliis Orationibus incœpit *Te Deum*, quo abſoluto ivit ad Lodiam publicæ Benedictionis, quàm dedit Populo, & conceſſit Indulgentiam plenariam, poſtquam in Sede delatus rediit ad ſua cubicula.

XXIX

HENRICVS IIII. DEI GRATIA FRANCIAE, ET NAVARRAE REX CHRISTIANISSIMVS.

HEnrici IV. Galliarum Regis effigiem Numiſma oſtendit, in cujus averſa parte Clementis Pontificis faciem habebat; Ideò ſimul conjuncti fuere, ut ſincera eorum reconciliatio æterno monumento Orbi innoteſceret, cum Rex ab Anathemate ſolutus in Eccleſiam Divi Petri per Oratores à Pontifice admiſſus eſt. Totam rei ſeriem paucis exponamus.

Geſta Henrici, Regis Navarræ minimè probans Sixtus V. ut erat ingenii prçfervidi, nec offenſionum timidi, Henricum Apoſtolica uſus authoritate, tanquam hæreticum, & hçreticorum patronum percuſſit anathemate. Hanc aſſertionem habet D.Joannes Baptiſta Palatius in Sixto pag.391. negat autem Ciacconius dum in vita Sixti col.115. ait. *Henricum tamen IV. excommunicatum pronunciare, & maledictis perſequi noluit.* Attamen ex actibus Conſiſtorialibus habemus hanc narrationem. *In Conſiſtorio habito die 9. Septembris 1585. (Pontificatus Anno primo) fuit lecta declaratio, cujus titulus erat contra Henricum Borbonium aſſertum Regem Navarræ, & Henricum item Borbonium prætenſum Principem Condenſem, hæreticos, eorumque poſteros, & ſucceſſores; ac liberatio ſubditorum ab omni fidelitatis, & obſequii debito; quæ incipit Ab immenſa Aeterni Regis Potentia &c.* deinde „ die 21. hæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Baſilica Principis Apoſtolorum „ de Urbe, & in Acie Campi Floræ per Hieronymum Lucium, & Nicolaum Fogliettum Pontificis Curſores. Extat hæc Bulla in bullario Romç impreſſo anno 1588. pag.35. ſub anno XII.

Gregorius deinde XIV. anno 1591. miſit literas, quas dicunt *Monitoriales* etiam ſub cenſuris, & pœnis ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, cçteroſque Eccleſiarum Sçcularium, & Regularium Prælatos, Capitula, Collegia, & Conventus, ac perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque per Regnum Franciæ conſtitutas, ut ab Henrico Borbonio quondam Navarræ Rege, ac ab ejus ſequacibus, fautoribus, & defenſoribus, illique adhçrentibus Principibus, ac Proceribus, & aliis, qui apud eum ſunt omninò recedant, atque illum, & illos prorsùs deſerant, & derelinquant. Quæ literç incipiunt Beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri Cathedrç, ſuper quam &c. & die 25. Maii in locis ſolitis Romæ affixæ, & publicatæ fuerunt.

Mortuo Gregorio Clemens VIII. electus initio Pontificatus ad Gallici Regni ſalutem procurandam animum incendit. Gallicanam ille Eccleſiam vetuſtate, ſanctitate, & doctrina multorum celebrem unicè diligebat, pro illa non mediocritèr afflicta, aſſiduis precibus repetitis Sacrificiis, & (loquor cum Baronio tom.6.) indeſinentibus lachrymis Deum precabatur, quam clementinarum (ut ità dicam) lachrymarum filiam Chriſtianus Orbis religione, pietate, reverentia in Apoſtolicam Sedem, doctrinaque de duobus maximis Regibus Henrico Patre, & Ludovico filio florere vidit. Galliæ confœderatos monuerat Pontifex, ut virum Catholicum, ad Gallicanam Coronam eveherent. At cum ab iis magna pertur-

Victorellus apud Cia. col.251.

perturbatione celebrantur comitia, Henricus Divina luce perfusus Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesię rationibus, dogmatibusque optimè instituitur, & errores detestatus ex animo avitam S. R. E., & Sanctorum Galliæ Regum Religionem in Sandosiana Civitate profitetur.

Misit propterea ad Clementem Henricus, veniam, & absolutionem suo nomine petiturum, Petrum Cardinalem Gondium, deinde Marchionem Pisonium, quos primos Nuntios Clemens ne audiendos quidem censuit. Demum Ludovicum misit Ducem Nivernensem. At Clemens fœderatorum ardentissimo studio abreptus in opinionem, mutationem ejusmodi esse frudolentam, & mendacem, certus non admittendi Oratoris, Possevinum è Societate Jesu præmiserat, qui Nivernensi literas Pontificias daret, quibus Pontifex testabatur, se ab Henrico Borbonio Oratorem nullum admissurum. Nihilominus perrexit Nivernensis, & tacita Oratoris appellatione Romam ingressus, & Clementi colloquutus contentionem omnem, & industriam, quæ in solertissimo Principe plurima erat, adhibuit, ut Clementis animum ad absolutionem impartiendam inclinaret. Eam Pontifex differendam censuit, & post Consistorium habitum in Palatio Apostolico die 20. Decembris ann.1593. *Retulit, fuisse missum P. Antonium Possevinum Societatis Jesu, ut retraheret ipsum Ducem Nivernensem ab Adventu in Urbem, & protestandum, quod reciperetur aliquo modo, & quod fuerit admissus, ut privatus, non autem ut Legatus, & Orator Regis Franciæ, illumque audiverit in quatuor audientiis, & per multas horas super conversione Regis.*

In de Bussieres hist. lib. 23.

Ex actis Consistorialibus.

De hæc loquens Jacobus Perronius, eloquentissimus, & eruditissimus vir cum viro acris judicii, & impigro Arnaldo Ossato (quos non longo post tempore Roma Vaticana purpura insignes vidit) ad beneficium absolutionis impetrandum incubuit, affirmans, Henricum Divina inspirante gratia ab omnibus, & singulis erroribus ex corde recessisse. Optimam operam navasse Henrico Sanctum Philippum Nerium, cujus consilio pręcipuè Clemens ad pietatem se inclinavit, Baccius est auctor. Ut autem consultiùs, & maturiùs id Clemens perageret, singulorum Patrum Purpuratorum sententiam explorare decrevit, assignata proinde binis ante meridiem hora, & alteri postmeridiana, usque dum eorum numerus absolveretur, omnibus maturè perpensis, atque discussis in Consistorio habito sub „ die 20. Decembris anni 1595. Dixit, se audivisse sententias, & vota Cardina„ lium, & esse satisfactum de eorum omnium pietate, & doctrina in negotio re„ conciliationis Regis Navarrę, & invenisse majorem partem inclinare, & sen„ tire, ut reciperetur, & ideo esse recipiendum, & quod Sua Sanctitas egit, & „ tractavit cum his agentibus, & Procuratoribus Regis, & hucusque conclusit „ conditiones aliquas in ejus reconciliatione servandas, quas illi promittunt „ implendas, retulit autem istas.

In ejus vita

I. Quòd irrita, & nulla declarata absolutione obtenta per eum ab aliis Episcopis, & Prælatis in Francia, ipse de novo abjurabit Calvinismum, & omnes hæreses hìc per suos Procuratores, & petet absolutionem à Sua Sanctitate cum pœnitentiis imponendis arbitrio Sanctitatis Suę.

II. Iterum abjurabit principaliter in Francia in manibus Legati, vel Nuncii, vel alterius Ministri Sanctitatis Suę.

III. Reducet Principem Condęum è Rupella, & è manibus Hęreticorum catholicè educatum Parisios, uti Regni Successorem intra sex menses.

IV. Introducat Religionem Catholicam, & illius exercitium in Principatum Bearni, & aliis in locis, ubi non habetur.

V. Episcopos Ecclesiarum dicti Principatus restituet, & ubi defuerunt, alios Catholicos nominabit, & donec illarum Bona restituantur, providebit eis de victu, & necessarium ad substentationem de suo.

VI. Recipiet Clerum Sęcularem, & Regularem in suam protectionem peculiarem.

VII. Faciet restitui omnibus Ecclesiis, & Monasteriis omnia illa bona aliis Catholicis, vel Hæreticis concessa, infeudata, aut alias alienata absque litibus, & tela judiciaria.

VIII. Publicabit, & publicari faciet, & observari Concilium Tridentinum inter quatuor menses.

Non

IX. Non nominabit ad Monasteria, & Ecclesias, nisi Catholicos, & probatos viros.

X. In officiis temporalibus ostendet, se diligere Catholicos, & eis favere.

XI. Scribet ad omnes Principes Catholicos de sua conversione ad fidem Catholicam.

Subjungens, hęc hactenus obtinuisse, quod si quis amplius poterit obtinere melius erit. A Deo benedicente, hæc acta esse.

Benedixit profectò Deus lachrimis, ac precibus piissimi Pontificis, qui ut beneficium absolutionis à Deo impetraret Henrico, Scalam Sanctam submissis poplitibus (quamvis podagra vexatus) bis aliquando una, & eadem hora lustravit, atque oculorum imbre, osculis singulis in gradibus repetitis, madefactus. Antequam tale beneficium Henrico impenderet, à Quirinali ad Sanctam Mariam Majorem nudis pedibus non semel lacrimantem contendisse, & rem Divinam fecisse affirmat Cardinalis Ossatus in suis epistolis italicè Venetiis cusis, atque post sacrum demisso capite nudis pariter pedibus domum remeasse addit Illustrissimus Sausaius de osculatione pedum pag. 105.

Decreta autem die ad publicam absolutionem concedendam. Tertia Dominica Septembris 17. ejusdem anni 1595. in porticu S. Petri solemni pompa res fuit peracta. Ejus Ritum narrat Andreas Victorellus in addit. ad Ciaccon. Narrat itidem fusè in libro 23. suæ Historiæ P. Joannes de Bussieres, Nos illum exponemus verbis, quibus in suis Diariis recensuit Magister Cæremoniarum, qui Sacræ huic actioni præerat. Col. 25.

„ In porticu Sancti Petri (ait ille) fuit facta absolutio solemnis Henrici „ Borbonii Regis Navarræ, & Franciæ, ubi pridie fuerat constitutum tabulatum, „ & factus apparatus, & parietes ornati pro solio Sanctissimi Domini nostri Papæ, „ atque Prælatorum, & Officialium curiæ ad id monitorum die præcedenti „ S. D. N. vespere venit ex Quirinali in Palatium Apostolicum Sancti Petri cum „ DD. Cardinalibus Nepotibus, mane autem ad horam 15. descendit more solito „ cum Processione DD. Cardinalium, & Prælatorum, & cum maxima Procerum, „ Domicellorum, & Nobilium, & Ecclesiasticorum frequentia ad porticum prędictam. Ad suum Solium ascendit cum DD. Cardinalibus, ubi ego (idest „ Martinus Cappellettus, unus ex Magistris Cæremoniarum) & D. Cardinalis „ Saxus, & D. Cardinalis Florentinus prestolabamur, ac vbi erat magna virorum „ turba; & circa tabulatum, & circa consessum Dominorum Cardinalium, & „ Prælatorum innumera multitudo, & similiter in area, & vestibulo, & ipsa „ porticu Basilicæ.

„ Sanctissimo Domino nostro consedente cum suis assistentibus de more, & „ minoribus Pœnitentiariis cum Cottis, & Virgis, & Auditoribus Rotæ, & aliis „ Officialibus, & Fiscali generali, Assessore, & Commissario, & Fiscali Sancti „ Officii Inquisitionis fuerunt adducti DD. de Perona, & Doxat Procuratores „ Regis ad conspectum, & pedes Sanctitatis Suæ, & ipsi fecerunt instantiam pro „ absolutione Regis eorum principalis brevi Oratione ad Sanctitatem Suam, qua „ finita Dominus Cosmus de Angelis Assessor Sancti Officii perlegit Decretum „ Sanctitatis Suæ, quo præcipiebatur, ut facta per eos procuratorio nomine „ dicti Regis abjuratione Calvinismi, & aliarum hæresum, quibus ipse Rex ad„ hæserat, & deinde fidei Catolicæ professione cum allis promissionibus implendis „ sibi iniungeretur pęnitentia &c. absolveretur &c. quare ambo ex scripto hujus„ modi abjurationem juxta consuetam antea, & tunc traditam formam ab eis sub„ scriptam fecerunt D. Perone altius, Dossat vero demissiore voce, & jurarunt ad „ Sancta Dei Euangelia sibi proposita, supra pulvinar, succeffive similiter emise„ runt professionem fidei Catholicæ, ambo, ut supra, juxta formulam præscri„ ptam, paucis quibusdam prætermissis, similiter ab eis subscriptam, & „ juratam.

„ Tum D. Cosmus Assessor ex scripto legit Decretum Sanctissimi pro abso„ lutione Regi impendendam cum pœnitentiis, promissionibus, & conditionibus „ expressis, quarum pleræque memoratæ sunt in Consistorio habito die 20. „ Augusti proxime præterito.

Quibus

„ Quibus quidem acceptatis osculati sunt pedes Sanctitatis Suæ, & Fiscalis „ Generalis, & Fiscalis Sancti Officii rogaverunt DD. Prothonotarios, Clericos „ Cameræ, & alios Notarios ibi præsentes, ut de hujusmodi sententia, abjura- „ tione, & professione fidei conficerent unum, vel plura publica instrumenta ad „ perpetuam rei memoriam, Sanctitas Sua sedens cum mitra accepto libro reci- „ tabat Psalmum *Miserere mei Deus*, Cantoribus alta voce illum cantantibus, & „ ad singulos versus percutiebat capita DD. Procuratorum, & deinde juxta for- „ mulam Pontificalis in ordine recipiendi Apostatam, Hæreticum, vel Schisma- „ ticum illos absolvit, dicens. Deus, cui proprium est &c. Tunc accersito Cardi- „ nale Sanctæ Severinæ majore Pœnitentiario consignavit ei DD. Porcuratores „ de Perona, & Dossat, ut introduceret in Ecclesiam, & Altare S. Petri & reli- „ quas orationes diceret. Sanctitas vero Sua ad se vocavit de Perona, & nescio „ quid dixerit & tunc facto signo lætitiæ, tormenta custodiæ Helvetiorum, & Arcis „ Sancti Angeli explosa sunt, cum magno strepitu.

„ At Cardinalis Sanctæ Severinæ accipiens manibus utrũque Procuratorem, „ ac unum dextris, alterum à sinistris ducens descendit à tabulato, deducti à „ Cæremoniariis, & Pœnitentiariis minoribus, præcedentibus Cantoribus, & „ ubi ad mediam proximam portam Basilicæ dixit juxta Pontificale. Ingredimini „ in Ecclesiam Dei procuratorio nomine vestri Regis, à qua incaute aberravisse, „ & evasisse cum laqueos mortis agnoscite, horrescant omnes pravitatem Hære- „ ticam, colant Deum Omnipotentem &c. & ità eos introduxit procuratorio „ nomine Regis & procedens præcinuit *Te Deum ladamus*, & Cantores alta voce „ cantarunt, & prosequuti sunt usque ad ultimum solemniter, & morose.

„ Tunc Cardinalis eo ordine accessit prius ad Altare Sacramenti cum præ- „ dictis Procuratoribus, & deinde deducens eos secum venit ad Altare Sancti „ Petri, ubi cum eis similiter adoravit, & ipse accessit ad cornu Episcopale. „ Procuratores vero genuflexi jussi sunt manere in ultimo gradu altaris, Canto- „ ribus interim dictum hymnum prosequentibus, ac frequentissimo Clero, & „ Populo ibidem præsente, & concurrente.

„ Quo finito idem Cardinalis dixit *Kyrie eleyson*, & descendens de Altare „ complexus est Procuratores atque eis & Regi gratulatus est, & dimisit eos in „ pace & recessit de Ecclesia. Illi magno cum comitatu recedentes cum Illustris- „ simo Cardinali de Giojosa se contulerunt ad Ecclesiam Sancti Ludovici, & ibi „ fecerunt cantare *Te Deum*, & preces, & explodi tormenta, & glandulas æneas „ per duos sequentes dies. In domo ipsius de Perona fuit factum magnum „ convivium.

Hucusque supracitatus Magister Cæremoniarum. Quanto deinde gaudio fuerit cumulatus Henricus in hac reconciliatione cum Sancta Romana Ecclesia Dei beneficium agnoscens, ejus Epistolæ sua manu scriptæ ad Clementem Pontificem Maxime declarant. Præter gratias, quas egit optavit Rex Romam advolare, ut Pontificios pedes deosculahim, at gravissimis distractus impedimentis non potuit, Clemens benignitate incredibili se in Galliam ad ipsum, Regnumque solatio recreandum profecturum affirmaverat, quæ res Regium animum majori obligatione devinxit. His beneficiis & Christianissimi titulo à Pontifice decoratus Henricus factis egregiis effecturum se subscripsit, ut Christianus Orbis, beneficia non male collata cognosceret, promisitque, se Oratorem ad obedientiam ipsi Clementi exhibendam legaturum, & anno 1596. litteras Rothomagi ad ipsum dedit, indicans, missi à se id muneris obiturum Ducem Pignejum consobrinum suum, & dicens mittimus Ducem Pignejum, ut Beatitudini Vestræ, Apostolicæ Sedi justam, & meritam præstet obedientiam, & submissionem, quam nos, & Regnum nostrum debemus & eodem modo quo Christianissimæ memoriæ Majores nostri præstiterunt.

In hujusce rei memoriam extat Romæ in Exquiliis ante templum Sancti Antonini Abbatis sacrum, columna è marmore, quod Italis dicitur *granito*, quam ciborium tegit quatuor columnis suffultum. Eidem imminet Christi Servatoris in Cruce affixi imago. In basi hæc legitur inscriptio.

D.O.M.

D. O. M.
CLEMENTE OCTAVO PONT. MAX.
AD MEMORIAM
ABSOLVTIONIS HENRICI QVARTI
FRANCIAE ET NAVARRAE
REGIS CHRISTIANISSIMI
Q. F. A. D. XV. KAL. OCTOBR. MDXCV.

XXX

ET NON POENITEBIT EVM.

1594.

SUmmum Sacerdotem Antiquæ Legis Melchisedech, panem, & vinum ante Aram offerentem cernimus, ante quam miles genuflexus adest. Notæ sub his positæ indicant, numisma cusum fuisse anno 1594. scilicet post adventum Ducis Nivernensis, quem Henricus IV. de quo loquuti sumus ad Pontificem misit, ut supplex peteret à censuris absolutionem. Hic in milite indicatur. In Sacerdote Pontificem, Oratori Sacra Romana Ecclesiæ dogmata servanda proponentem. Verba lemmatis adiecta accepta sunt ex psalmo 109. Illa proferri a Regio Oratore putandum est, dicente *juravit Dominus*, hoc est, Henricus *custodire judicia justitiæ tuæ*; *& non pœnitebit eum*. Cum sincero, & stabili cordis affectu ad Sanctum Ecclesiæ Romanę gremium redire percupiat. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Quàm aptè sacrificium panis, & vini in tali numismate sit exculptum inde scias, quòd Henricus pestifera Calvini labe antea infectus dein conversus pręcipuè sacram Eucharistiam debito cultu veneraretur, atque in eo, tamquam pręcipuo omnium Sacramentorum cętera significari arbitraretur.

XXXI

PAX. ET. SALVS. A. DOMINO.

M DC I.

HUjus numismatis lemma verbis constat passim in Sacra Scriptura adhibitis. *Gratia vobis, & Pax à Deo*, inquit D. Paulus 1. Corinth. rursus ad Galatas 1. ad Ephes. & in pluribus aliis locis dicitur enim Deus Pacis, & in Psal. 3. *Domini est salus*, & Psalm. 36. *Salus autem justorum à Domino, quia vana salus hominis*. Psal. 59. Et quidem de duplici salute, ac pace cum Catholicis interpetrandum hoc est. Salus enim, ac Pax æterna, quæ vera, & unica salus dicenda est nullo pacto ab hominibus conceditur, sed à Deo, merita hominum coronante, quæ autem in hac vita possidetur à Deo ipso dependet, in cujus manu *Cor Regis est, quocumque voluerit inclinabit illud*. Prov. 21. Porrò. Vanæ sunt hominum industriæ, quibus Deus non obsecundat, dicente Regio Vate. *Nisi Dominus ædificaverit Domum in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*.

Hac doctrina optimè imbutus Clemens Deo tribuit in numismate pacem, quam suo labore, tamquam arbiter conciliavit inter Regem Christianissimum, & Ducem Sabaudiæ anno 1601. cum ob Marchionatum Salucii inter se dissiderent, agente Cardinali Aldobrandino Summi Pontificis nepote, & ejus à Latere Legato.

An hoc lemmate ludatur in verbis, nomine SALVS pro Salucii Marchionatu usurpato, ut dicit P. Molinettus, judicet Lector. Mihi sufficiat, ex illo Clemen- Pag. 1..

tis

tis animi demiſsionem arguere, qui nihil ſuis viribus tribuens Deo referebat quiquid perſeipſum ageret, edoctus ab Apoſtolo 2. Corinth. 3. *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Figura pacis eſt, typus face ſcuta comburens, meritò Crucem geſtat, qua innuitur, Pacem ab Eccleſia manaſſe, cujus labarum eſt Crux, quę (docente Sancto Leone in ſermone 8. de paſsione) *Omnium fons eſt benedictionum omnium eſt cauſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

XXXII

PAX REIPVBLICAE CHRISTIANAE.

CUſum numiſma fuit anno 1598. poſtquam inter Philippum Tertium Hiſpaniarum, & Henricum Quartum Galliarum Regem firmata fuit Pax, quorum vultus fuerunt expreſſi, qui in ſignum pacis, quam per Legatos inierant die Maii tertia. Jungunt dexteras, ex quibus frumenti ſpica oritur, qua ex pace naſci abundantia deſignatur. In averſa nummi parte fuit imago Pontificis, qui ad hanc pacem conciliandam miſerat Menſe Majo 1596. Legatum à Latere in Galliam ad Henricum Quartum Alexandrum Cadinalem Mediceum, quod opus vidit perfectum, antequam è Gallia diſcederet. Rei ſeriem his verbis recenſuit in ſua Hiſtoria P. Joannes de Buſieres Societatis Jeſu. *Tom. 2. lib. 23.*

Provehebatur pax ſummis Regum ſtudiis, ac Philippus Hiſpaniæ Rex in eam toto prorſus animo incumbebat. Jam ſenio gravior, & morborum acerbitate feretro proprior pacem filio cupiebat aſſerere, patrimonium tutiſſimum, & opulentiſſimam hæreditatem. Eam ob cauſam Secuſium Franciſcanorum Generalem Miſſum à Pontifice lætus exceperat, eumque ad pacem conciliandam in Flandriam ad Archiducem miſerat. Jamque Franciſcanus in Franciam venerat, habueratque de pace Sermonem, convenerat Villaregius cum Ricadoſo in Picardię finibus Regis, & Archiducis aſſenſu; pacti, ab utroque Legati mitterentur Vervinum, quod oppidulum eſt in Veromanduis; ea una pace famam adeptum. Nuncupati à Rege Legati Poponius Bellicurius, Nicolaus Brulartus Syllerius ab Archiduce, cui Philippus authoritate totam ſcripto promiſerat Joannes Riccadotus. Joannes Baptiſta Taſſius, & Ludovicus Verrei Kenus, jique ſerio, & bona fide operam adhibent. Atque ut Reges paribus animis pacem cupiebant; nec enim ea Henrico neceſſaria minus quam Philippo erat. Legati de conditionibus ſtatim conveniunt. Primum de prærogativa ſedis diſceptatum ac cum præſens Legatus eſſet, eam in rem à Pontifice deſignatus controverſiam dirimit. Tandem poſt plurimas diſceptationes Menſe Junio inſtrumentum pacis perſcribitur, ut quod ad Salutios ſpectabat controverſię arbiter ſit Clemens Pontifex, qui intra annum ſententiam ferat. Eodem menſe Junio Rex Pariſiis pacem ſanxit jure jurando ſolemni adſtantibus ab Archiduce Legatis; Bruxellis Archidux præſente Birone, ac Bellieurio, & Silleſio.

Philippus ſubſcripſit fœderi, & eodem anno obiit eò maxime dolores acerrimos ſolatus, quod pace parta cum Francia liberis tranquillitatem teſtamento legaret, legatumque traderet, nec Henrico levior erat gaudendi materia, qui Franciam bellis aſſiduis tanto annorum tractu laniatam miſere divulſam, ac prope diſceptam, pacis beneficio recrearet, tandem reſtitueret atque perſanaret.

Hæc eadem omnia exponunt plurimi Authores, inter quos Catherinus de Avila lib. 15. de civilibus bellis Galliarum.

Hoc opus vidit perfectum Clemens, dum adhuc Ferrariæ commoraretur, ubi optatæ pacis Nunciis ipſum Pontificem Cardinales cęteroſque Aulę Romanę viros lætitia Henricus affecit. *Ciacc. 258.*

VENI

XXXIII

VENI. DILECTA. MEA.


CUm adhuc Pontifex Clemens Ferrarię degeret Margharita Austriaca Philippi Tertii Hispaniarum Regis Sponsa designata in Hispaniam proficiscens Pontificios pedes deosculari voluit, exoptans in matrimonio absentis Regis ab eodem Summo Pontifice conjungi. Illa ante Pontificem in puella exculpta significatur, à quo florem recipit adiecto lemmate ex Sacris Canticis excepto VENI DILECTA MEA, *Veni coronaberis*. *Cap.4.8.*

Illi Coronam donatam fuisse à Pontifice affirmat P. Molinetus, sed falso Pontifex enim Rosam auream dedit, non Regiam Coronam, ut ex his quæ addam liquido apparebit acceptis ex itinerario Clementis Ferrariam ab Angelo Rocca conscripto. *Pag. 133.*

„ Inter Principes (ait ille) quos Ferrariæ ad suos pedes exosculandos „ recepit, fuit Serenissima Margharita Austriæ Archiducissa Caroli Archiducis „ filia, pronepos Impetatoris Ferdinandi, ac tandem Hispaniarum Regina. „ Illam die 13. Novembris Regio sane apparatu excepit. Hinc Illustrissimi, ac „ Reverendissimi Domini Cardinales, Sancti Clementis, & Bandinus S. D. N. „ Legati à latere ad insulam usque tribus milliariis à Ferraria distantem, cæteri „ vero Cardinales ad Portam Angelorum usque Reginæ obviam prodiere; Ur„ bem inter Cardinalem Sfortiam, & Montaltum equo vecta intravit. Cardinales „ alii septendecim mulis ornatu purpureo, & phaleris egregie cultis Reginę Mater „ Serenissima Archiducissa Maria ab Austria, Albertus Archidux Austriæ, Duces, „ Principes, Proceresque in eodem equitatu processerunt ad Palatium usque, „ ubi S. D. N. in publico Consistorio Reginam, ejusq; Matrem, & Archiducem „ primum ad pedem, deinde ad manum exosculandam admisit. Archiducem „ verò sinu etiam & complexu recepit. Hunc primum ad Pontificem accessum „ his verbis enarrat in suis Diariis Magister Cæremoniarum.

„ Post præstitam obedientiam à Dominis Cardinalibus Papæ in publico „ Consistorio duo Antiquiores Diaconi Cardinales, qui fuerunt Illustrissimi „ D. Sfortia, & Montaltus iverunt ad Serenissimam Reginam, quæ erat in qui„ busdam Cameris vicinis Aulæ Pontificis pro ipsa Regina paratis, ad illam in „ Consistorium publicum ducendam, fuit ducta media inter ipsos ante Papam „ sedentem in Throno sub Baldacchino indutum pluviali rubeo, & Mitra præ„ tiosa, & illam sequebatur Serenissima Mater ejus, & Serenissimus Archidux „ Albertus Augustinus Austriacus, qui omnes ter genuflexerunt ante Papam, & „ osculati sunt pedem, & manum Papæ. In Consistorio publico cantores Papę „ cantarunt mottetum quando venit Serenissima Regina, & Cardinalis de Flo„ rentia Decanus habuit verba congratulatoria nomine Sacri Collegii, Serenissima „ Regina erat induta veste nigra propter mortem Philippi Secundi Regis Hispa„ niarum Patris Philippi Tertii Sponsi. Fuerunt omnes hospitati in Palatio „ Apostolico, sive Castello expensis Papę.

Splendidissimum, verèque Regium apparatum, quo Serenissimi Principes Ferrariam ingressi sunt aliis describendum relinquo. Si enim omnia vellem enarrare sermonem nimis longum tenerem à nostro sanè instituto alienum. Hoc tamen loco tres tantùm apponam inscriptiones ad Reginæ adventum pertinentes, quarum prima ad Portam Angelorum nuncupatam ingredientibus sese offerebat.



ANGELI GAVDENT.
MORTALES EXVLTANT,
MARGARITAM AVGVSTI SANGVINIS PIETATIS,
VIRTVTEMQVE OMNIVM SPLENDORE LVCIDISSIMAM
SIMVL LÆTISSIME EXCIPIVNT.

Altera ad anteriorem eiusdem Portæ parietem in hæc legebatur verba.

VRBEM ADVENTVS
TVI LVMINE ILLVSTRATAM REGINA
REDDE NVNC HOSPITIO GLORIOSAM.

Tertia ad Atrii Palatii arcum è regione Cathedralis Ecclesiæ hisce verbis.

PHILIPPO, ET MARGARITÆ AVSTRIACIS
AVITA IMPERATORVM GLORIA,
SVAQVE PIETATE INCLYTIS,
VT CATHOLICORVM REGVM SOBOLES
PROPAGETVR MATRIMONIO DIVINITVS IVNCTIS
ANNI MVLTI LIBERORVM COPIA
PERPETVA FOELICITAS.

Die deinde 15. Novembris S.D.N. Missam de Spiritu Sancto præsentibus Sac. R.E. Cardinalibus solemnissimo ritu Pontifex cantavit, in qua tàm Philippi Tertii Hispaniarum Regis, & Margaritæ Reginæ, quàm Alberti Archiducis Austriæ, & Isabellæ Hispaniarum Infantis absentis Matrimonia lecto Offertorio celebravit. Rem sic exponit Bulengerus hist. lib.10. *Pag. 314.* „ Cum Pontifex Maximus tergemino „ diademate, quod Regnum vocant, fulgens in Solio consedisset, Regina candi- „ da veste gemmis, & adamantibus insignis inter duos Cardinales, Sanctiqua- „ trium, & Farnesium, Matre & Archiduce proximè sequentibus ad idem „ Templum frequenti comitatu deducta, postquam sub aureo cum Matre conopęo „ consedit, Sacrum solemne Pontifex auspicatus est. Apostolico Fidei Symbolo „ decantato Regina à Cardinalibus cum matre ad Pontificem deducta est; Tùm „ lectis mandatis specialibus procuræ à Reverendiss. D. Maffeo Barberino Pro- „ thonotario Apostolico, Serenissima Regina venit ante Pontificem media inter „ supradictos Cardinales Diaconos Dalmaticis indutos, & Pontifex matrimo- „ nium inter Regem Catholicum per Albertum Auunculum Legatum, Regiam „ vicem implentem, & Margaritam Reginam celebravit, & ratum esse jussit, si- „ militer aliud inter Albertum, & Isabellam.

„ Postquam verò Sanctissimus Dominus noster Sacram Communionem sum- „ psit, Regina, etiam ejusque Mater, necnon Archidux Albertus Sacratissimum „ Christi Corpus è manibus Summi Pontificis susceperunt. Missa denique com- „ pleta Pontifex auream Rosam in quarta Dominica quadragesimæ benedici so- „ litam Reginæ dono dedit, cæremoniis præstitis in ea tradenda consuetis. „ Quem aureum Florem ante Reginam, ad suum talamum redeuntem, gessit Ex- „ cellentissimus Comes Belmontius.

Dum de Flore hoc aureo mentio fit, quem ritu Sacro solemni benedictione solent Pontifices consecrare, non inutile erit aliqua ad eum ritum spectantia hic addere.

Rosa hæc ità passim appellatur à forma rosæ, quàm utplurimum præsefert, tametsi præter morem Sixtus IV. anno 1478. transmittens Rosam à se benedictam ad patriam suam Savonam, non formam rosæ transmisit, sed auream plantam quercinam, aureis instructam glandibus, ut gentilitia insignia suę Ruvereæ familiæ dono daret; utplurimum tamen speciem præfert rosæ. Eam Horatius Tursellinus ità depingit, describens pietatem Gregorii XIII. erga Virginem Lauretanam, ad quam talem Florem transmisit. „ Ea stirps est, seu planta Rosarum vernantium ex au-

Theoph. Raynaud. in Prolusione de Rosa.

„ ex auro, quę aureo inserta vasculo, & ex tripode eminens aureo sexquicubi-
„ talem altitudinem facilè non excedit. Aureis nummis ęstimari fertur circiter
„ mille.

De hujus ritus vetustate difficilè est liquidò statuere. Unicum repertum à se Scriptorem affirmat eruditissimus, & antiquitatum ferè omnium exactissimus indagator P. Theophilus Raynaudus, videlicet Josephum Bonamfidem, qui de rebus Sancti Nicolai agens ait Sanctum Leonem IX. anno 1051. domito ope Ludovici Ursini quodam Pontifice, turbas ciente, ut gratiam erga Ludovicum testaretur, Rosam benedixisse auream, quæ est insigne gentis Ursinæ Tesserarium, & speciali diplomate constituisse, ut quotannis in Paschate, quod *Rosarum* appellant, benediceretur Rosa ad perpetuum ejusdem Stirpis ornamentum, & capiti illius traderetur perenne monimentum gestorum Ludovici Ursini pro Ecclesia. Deinde Pontifices Sacrum Rosæ munus à Leonis instituto deflectentes ad alios Magnates, & ad Reges delatum voluerunt. Hanc narrationem impugnat idem Raynaudus, cum tale diploma (ait ille) nullibi apparuerit, probatque talem ritum multò ante viguisse in Ecclesia, nec liquere de tempore, & auctore primę institutionis hujus Sacri Ritus. *Cap. 2. de Rosa.*

Illustrissimus Carolus Cartarus, Advocatorum Consistorialium Decanus, & Præfectus Archivi Apostolici, in Arce Sancti Angeli servati, in libro, quem de hac Rosa edidit multorum sententias refert, adhæretque Patri Raynaudo, & demùm concludit in Cæremoniali Romano mentionem ejus ritus fieri. Hunc autem Ordinem scriptum fuisse afformat Illustrissimus Phœbeus de identitate Cathedræ pag.127. tempore Stephani V. Pontificis, & Caroli Magni Augusti, nempè circa annum 816. Pater verò Oldoinus in Athenæo Romano pag.270. & Bartholomæus Gavantus in Comment. rubr. Missalis Baronii authoritate illum attribuunt Gelasio primo qui vivebat anno 495., licèt plenior exierit sub Stephano Papa. Quibus positis, ejus ritus antiquitas deducitur, clarèque dignoscitur, haud fuisse institutus, post annum 1600. vt P. Dominicus Musantus recensuit in suis Tabulis Chronologicis tabula secunda, Sacra complectente, columna IX. ad ann.800. *Ad an.692*

Erravit etiam Cæsar Caracciolus cum scripsit in sua Neapoli Sacra, Innocentium IV. qui ad Pontificatum evectus fuit anno 1242. ante omnes Pontifices Rosam auream primò consecrasse. Manifesta enim est in ordine Romano undecimo loco impresso à P. Mabillonio in suo secundo tomo Musæi Italici hujusmodi Rosæ mentio, ubi numero 36. hæc habentur. *In Palatio Sessoriano ubi Dominus Pontifex honorificè cantat Missam habens in manu sua rosam de auro cum musco. Post Evangelium ascendit Pulpitum, & prædicat de flore, & rubore rosæ, & de odore, ostendens eam populo.* Hunc autem ordinem Benedictus Canonicus obtulit Guidoni Cardinali, qui postea fuit Cœlestinus Secundus, proindè scriptus fuit ante annum 1143. *Pag.29.*

Ipsum Cartarum, & Theophilum Raynaudum percurrat qui scire cupit ritum, eam Rosam consecrandi, finemque talis benedictionis ab Ecclesia propositum, videbitque multiplicem esse, scilicèt exhilarationem ex objectu Floris speciosissimi ad reliquum quadragesimale jejunium exigendum erectionem; expressionem in flore caducitatis humanę; Stimulum, rosę ostentatione admotum Fidelibus, ad jejunii expletionem &c.

Finem propositi numismatis explicationi imponat relatio Magistri Cæremoniarum, qui in suis Diariis hæc verba exaravit. *Feria secunda decimasexta Novembris Regina ejus mater, & Serenissimus Archidux Albertus pransi sunt cum S.D.N. Papa in mensa disjuncta de more. Die 17. Papa in Missa privata Communicavit Serenissimam Reginam matrem, & alias nobiles fœminas, & viros familiares illarum, & dedit prandium Reginæ, quæ die 18. discessit Ferraria post auditam Missam, & antequam discederet habuit cum aliis benedictionem à Papa in lecto jacente. Ferrariæ his tribus diebus fuerunt facta festa, mascheræ, & alia signa lætitiæ, & Scholares Societatis Jesu repræsentarunt Repræsentationem Judittæ in Aula Palatii Apostolici.*

XXXIV

LILIA PROPAGANTVR IN ORBEM.

FIrmata pace inter Hispaniarum, & Galliarum Reges Clementis industria, ut dictum est in Superiori numismate XXII. Rex Henricus de liberis, & futuro hęrede sollicitus seriò animum ad quærendam Uxorem applicuit, Margaritam Valesiam jamdiù Conjugis loco non habebat, statueratque impetrata solutione initi cum ea matrimonii Belfortiam ducere, nam mulieri spem fecerat, à qua susceperat jam liberos duos, quibus sequente Conjugio natales legitimi parabantur, eratque præterea tam incensus, & flagrans in fœminam amor, ut in omnes obicum difficultates eluctaturus planè videretur. At fœmina apoplexia corruente ingens malum Franciæ detractum est ea morte, & Conjugium cum Margarita consensum præbente multas ab causas irritum declaratum est; Unde Mariam Mediceam neptem ex fratre Ferdinandi Magni Hetrurię Ducis, nam nata ex Francisco erat, in Uxorem adamavit. Ob id Dominum de Alincort Florentiam, & D. Sallerium Romam suos Oratores misit. Conjugio tandem decreto ad illud Florentiæ celebrandum, tanquam Procuratorem elegit Dominum Bellegardum, qui ducentorum Nobilium comitatu triremibus Magni Ducis è Gallia Liburnum translatus illicò fuit. Pontifex autem, ne suis, quibus poterat, partibus deesset, die 25. Septembris ejusdem anni 1600. in Consistorio Legationis honorem Petro Aldobrandino Cardinali detulit, tum, ut Regis nuptias pontificia authoritate sacraret, tum etiam, ut eumdem Henricum adiret, aliosque Principes, ad quos, ut ab armis discederent contendere oportuisset. Illum ipse Magnus Hetruriæ Dux humanitèr excepit propè Carthusianorum Cœnobium, è quo Florentiam usque simul equitarunt, nobili, & frequenti comitatu pręcedente; Clerus deindè obviam eidem ivit, & Urbem ingressus sub ampla oloserica umbella reliquum iter ad Templum usque confecit. Illam deferebant quadraginta nobilissimi Juvenes, veste alba induti, teniis ex auro distincta cum palliolis ex oloserico nigro, & galeris, gemmis perpulchrè exornatis.

Bussieres lib.23. hist. Franc.

Oldoin. to. 4. col.282.

E templo ad Palatium Magni Ducis se contulit. Die deinde quinta Octobris nobilissima equitatus pompa Conjugium celebratum est. Præcedebant Equis insidentes centum nobiles Viri, pretiosissimis vestibus induti, aliique Magnates, deindè Milites Ducis custodiæ adscripti. Post hos Maria in Reginam electa Curru nobilissimo vecta, quam trecentę nobiles Fœminæ in aliis curribus dispertitæ comitabantur. Aderant in templo Mantuæ, Hetrurię, & Bracchiani Ducissæ, ubi Sacra Legato Cardinali celebrante, Divino pane Maria refecta est, quàm Magnus Hetruriæ Dux Sponsam acceptavit, Regis Vices adimplens. Conjugio celebrato Rosam auream Sponsa à Legato accepit, Clementis Pontificis munus.

Signa lætitię à Florentinis edita Michael Angelus Bonarota luculenta descriptione numeravit, eodem anno Florentię impressa typis Georgii Marescotti. In eadem discessum Reginę ex Hetruria enarratum invenies, quem breviter hinc indicamus. Eam Liburnum usque nobilissimo equitatu Florentini penè omnes deduxerunt, ubi septem triremes Ducis Hetruriæ, quinque Pontificiæ, & quinque Melitensium Equitum cum alia Regis Galliarum prestolabantur; Cum hac triremium Classe decem millibus Militum onusta ex Italię littore Galliam versus discessit Regina, spe futurę prolis relicta. Pętoria navis, qua vehebatur, undique auro fulgebat, ejus margines centum equites occupabant, quos dicimus Sancti Stephani, albis vestibus induti, Cruce rubra exornati, & grandioribus Sclopetis muniti. Vela, quæ ventos excipiebant liliis Gallicis, & globis Mediceis alterno situ invicem oppositis distinguebantur. Remiges rubra veste circumtecti. Puppim ferrea pergula, auroque oblita, gemmisque distincta circumtegebat. Supra illam tres ex ære deaurato laternę, in quibus lumina noctu micantia globos Mediceos exprimebant, quibus lilium imminebat. Sub pergula cubiculum laminis cristallinis, undique obductum, adjectis ad solares radios arcendos ex textili auro mobilibus pannis.

pannis. Hæc omnia, plurimaque alia Italice descripsit supracitatus Michael Angelus Bonarota. Imaginem Henrici, & Mariæ Medices. Ostendit numisma cum Rosa, quàm Summus Pontifex dono eidem Sponsæ miserat, ut diximus.

XXXV


REGNI NATVS, ET ORBI.

IN Puero describitur Ludovicus Galliæ Delphinus anno 1601. die 27. Septembris natus ad regimen Galliarum, imò totius Orbis aptus. E montibus proficiscitur, ideſt ex Alpibus, juxtà P. Molinetum, quibus adjacet Florentia, ubi ortum habuit ejus Mater inclyta Maria Medicea: Gallus autem illi obvius Coronam offert, quam capite gerit, Sceptrum proindè manu gerit, quod novimus monimentum Regni insigne. Illud aureum gestasse Assuerum Sacræ paginæ confirmant, sed Varium pro Regionum varietate depromitur, sicuti variasse diademata legimus, de quibus vide Andream Cirinum de Urbe Roma lib.1. cap.40. Idque Alexander Antiquissimorum è scriniis Scriptorum collegit, è quo nonnulla perhibere loci opportunitas monet. Enimverò Persarum, Lidorumque Regum, teste Diodoro in Bibliotheca post Sacra in templo Isidis, Diis ritè peracta, insigne regium fuit Sceptrum aureum, Phrygii utebantur pro sceptro bacillum insigne gemmis; Apud Siculos, auctore Livio Dec.3. lib.4. argenteus Baculus ferebatur; Antigonus, quo Liberum Patrem referret pro Sceptro thyrsum gestabat; aliquorum Regum Sceptra in summo Ciconiam in imo hippopotamum habuere effictum. Lidiæ, verò Reges Sceptri loco Securim habuisse feruntur; Romanis Regibus lituus cuspide incurva, ipsis etiam virga auguralis erat Sceptri loco; Tarquinio Prisco Sceptrum fuit eburneum in summo Aquilæ figuram habens; Babilonii in suis Sceptris diversas figuras habebant, puta Mali, Rosæ, vel Lilii, aut Aquilę, alteriusve Avis. Hebręi Virgam pręstantem Oculo pro sceptro colebant. Lilium vero hic Regius Infans exhibet.

Refert Paulus Alaleona in suis Diariis. Quòd feria sexta die quinta Octobris, „ dum Pontifex erat Tusculi, venit Tabellarius ex Gallia, qui tulit Nuntium, „ quòd die 27. Septembris circa horam quartam noctis in festo Sanctorum Cosmæ, & Damiani Serenissima Maria Regina peperit Filium masculum, & die 6. „ Octobris Sancti Ludovici nationis Gallorum fuit cantatus hymnus *Te Deum* „ pro supradicto Filio masculo Regis Franciæ, fuerunt pulsati tympani, & exoneratæ Bombardæ, & à multis fuerunt facta signa lætitiæ cum luminaribus, & „ ignibus per tres dies continuos.

Misit postea Clemens in Galliam Regi, & Reginæ de nato Primogenito suo nomine gratulaturum Apostolicum Nuntium Maphęum Barberinum, qui deinde in Divi Petri Sede universam Ecclesiam Sapientissimè gubernavit, de qua re extant verba Clementis in Epistola quadam Romę data die vigesima Octobris. 1601. Post annum X. Pontificatus relata à Ciacconio. *Interea ad nostram singularem lætitiam testificandam, & ut Regi, & Reginæ filiis nostris charissimis tam optatam primogeniti Filii nativitatem gratulemur mittimus nostrum extraordinarium Apostolicum Nuncium &c.* Col. 264.

Narratur Henricus Delphini Infantuli recens orti dexteram gladii capulo admovisse, addita prece, ut is ævo, viribusque firmatis bellica virtute, ac robore Dei optimi Maximi gloriam quæreret, quod factum vidimus; Fuit enim ille Ludovicus XIII. cognomento *Justus*, qui hæresi subjecta victis hostibus, Ecclesiasticis Ordinibus reformatis obiit clarus meritis, & innocentia mense Maio 1643. cum regnasset annos 33.



IVSTI-

XXXVI

IVSTITIA, ET CLEMENTIA COMPLEXAE SVNT.

EJusmodi numisma sub pluribus Pontificibus cusum inveni, nulla prorsùs variata forma neque magnitudine, imò plura ex iis adulterina esse non unica ex ratione dubitavi. Puto tamen Clementi VIII. optimè convenire, non quidem ex ipsius authoritate vulgatum, sed à Privato Viro in ejus Pontificis Encomium. Porrò in Clemente hæ duæ Virtutes maximè claruerunt, quę à se invicem separari non possunt. Justitia enim absque Clementia in crudelitatem vergit; Clementia sine Justitia in animi segnitiem degenerat. Clemens ille non tantum nomine, sed factis vocatus est, quæ ob justitiam maximè claruerunt. Cardinale Paleotto teste, inquit Victorellus, *in omni ætate, ac variis, quæ obivit muneribus egregium prudentiæ probitatis, justitiæque specimina dedit*; Illum Spondanus nominavit *Virum magnæ apud omnes existimationis moribus inculpatis, præstanti doctrina, & cognita in rebus gerendis prudentia*. Has virtutes agnovit Sanctus Philippus Nerius, qui cum eo usus est familiariter, & Pontificatum, & nomen prædixit.

Apud Ciacon. col. 251.

Baccius in vita S. P. Nostri.

XXXVII

DA. QVOD. IVBES. M DC III.

GEnuflexo Pontifici, dum Christus in ovibus exculpt is Ecclesiæ gregem committit, ut olim Petro dicens, *pasce oves meas*, Clemens quamplurimas virtutes tale manus optime agendum sibi pern ecessarias esse dignoscens, ac vires tuas tanto oneri impares existimans, orationi sedulo vacans, Christum ipsum exorabat verbis Divi Augustini; *da Christe quod jubes, & jube quod vis*. Hanc in Deo fiduciam, & sui animi demisionem in percusso numismate agnoscimus.

XXXVIII

SALVA. NOS. DOMINE.

DEi opem in alio numismate imploravit Clemens, in qua Petri navim Ecclesię typum ventis agitatam exculpsit, dum eam regeret maxime procellis impetitam novit, idest hæresibus Calvinistarum, & Lutheranorum, quæ tunc temporis maxime vigebant, quam ob rem ad Deum cofugiebat, ut portæ inferi adversus eam non prævalerent. In expressione hujus navis; Christum in puppi clauum regentem non inconsulto collocatum vides Christus enim non fortuna, neque homo ullus illam gubernat, & quicumque sine Christo Duce ad quietem Patriæ Cælestis, quasi ad fidam littoris stationem pervenire præsumit, hujus vani sunt labores, & vana Religio. Insuper Christus inter procellas hujus vitæ non oblivifcitur orationem pauperum inquit Venerabilis Beda, *quin potius & certantes cum hostibus, ut vincant adjuvat, & victores in æternum coronat*.

Lib. 2. c. 28. in c. 6.

SEQVE-

❀ XXXIX ❀

SEQVERE. ME.

VErba, quibus olim Redemptor Sanctum Matthęum invitavit, componunt lemma hujus numismatis. Similibus verbis allocutus etiam fuit Christus Philippum. *Et dicit ei Jesus* SEQVERE ME. Cum tamen in numismate Christus exculptus sit cum aliquibus Discipulis, inter quos Divus Petrus illi proximus. Ad illa verba referendum esse puto quæ Petro pronunciavit relata à Divo Joanne cap. 21. 19. *Cum autem senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis, cum hoc dixisset dicit ei* SEQVERE ME, & paulo post in eodem capite interrogante Petro de Divo Joanne, *Domine hic autem quid dicit ei Jesus sic eum volo manere donec veniam. Quid ad te? Tu me sequere.* *Lucæ 5.27* *Joan. 1.43.*

Hanc sibi ideam proposuit Piissimus Pontifex inter hujus vitę calamitates, ut Christo unice intentus cætera contemneret, nec curis plusquam par esset angeretur, imò nec ipsam mortem formidaret, ab Apostolorum Principe ob Dei amorem generose in Cruce obitam, & publico percusso numismate ad Divi Petri imitationem omnium animos excitavit.

❀ XXXX ❀

EXVRGAT DEVS ET DISSIPENTVR INIMICI EIVS.

NUmisma votivum, in quo Clementis pia vota declarantur, contra inimicos Dei tunc concepta, ait P. Molinetus cum Ducatum Ferrariæ ad Ecclesiasticum spectantem Dominium invasisset Cæsar Estensis, Urbemque Ferrariam occupasset, Clemens Copias conscripsit, eisque Cardinalem Aldobrandinum præfecit, cui Vexillum tradidit benedictum, ut Bellum Ferrariensibus inferret.

Sed cum in actis Clementis VIII. nullam de traditione hujus Vexilli mentionem invenire potuerim, & Numisma Pontificem referat, tradentem Vexillum Militi armato, non vero Cardinali purpurea Toga circumtecto, alio tempore tale numisma cusum dicendum est, scilicet quando vexata à Turcis Hungaria Copias auxiliarias duodecim millium peditum, ac mille equites mittere decrevit, eisdemque Joannem Franciscum Aldobrandinum nepotem suum præfecit, postquam ex Hispania redierat. Huic militare baculum, & vexillum tradidit solemni Ritu benedictum in Basilica Liberiana, ut fuse narrat in suis Diariis Paulus Alaleona, tunc temporis ipsorum Rituum Magister.

„ Dominica (ait ille) Pentecostes die quarta Junii in Ecclesia Sanctę „ Mariæ Majoris absoluta missa Papa benedixit duo Vexilla tradenda Excellen„ tissimo Domino Joanni Francisco Aldobrandino Capitaneo Generali Sacrę „ Romanę Ecclesię contra Turcas in Hungaria, & eidem tradidit baculum Gene„ ralatus, his Cæremoniis precedentibus.

„ Venit Excellentissimus Dominus Joannes Franciscus Aldobrandinus arma„ tus cum supra veste pretiosa à Cappella Sixti V. medius inter Excellentissimos „ Dominos Virginium Ursinum, Ducem Bracchiani, & Marcum Antonium „ Columnam Magnum Comestabilem Regni Neapolis, præcedentibus Illustris„ simis, & Excellentissimis Dominis Paulo Sfortia, Locumtenente Generali, „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Petro Gaetano, Joanne Antonio Ursino, Marco Pio, „ Mario Farnesio, Francisco de Monte, & Ascanio Sfortia armatis, duobus Cleri„ cis Camerę Apost. cum duobus Vexillis supra brachia, & Baculo Generalatus „ cum Vexillo Sac. Rom. Ecclesię, & Vexillo Papę, & duobus Accolitis cum dua„ bus lanceis pro Vexillis cum cottis, & rochettis, ac Mazzeriis Papę à lateribus, „ & Magistris Cæremoniarum, & factis reverentiis Altari, & Papæ Excellentis-

simus

„ ſimus Dominus Capitaneus Generalis genuflexit in infimo gradu Solii, & „ Papa ſtans ſine mitra benedixit Vexilla aſperſit aqua benedicta, & thurificavit „ illa. Quo facto Excellentiſſimus D. Capitaneus Generalis acceſſit ante Papam „ in plano Solii ſedentem cum mitra, & genuflexus in manibus Papę præſtitit „ ſolitum, & debitum fidelitatis juramentum: interim Vexilla in haſtis accom- „ modata fuerunt. Præſtito juramento, tactis & oſculatis Sacroſanctis Dei „ Evangeliis, Papa ſedens cum Mitra dedit baculum Generalatus Excellentiſſimo „ D. Joanni Franciſco Capitaneo Generali, legens ex libro. Accipe baculum „ poteſtatis, authoritatis, & correctionis, quo uteris contra inimicos Domini „ noſtri Jeſu Chriſti, & Sacræ Romanæ Eccleſiæ in nomine Patris, Filii, & „ Spiritus Sancti Amen. Et Capitaneus Generalis baculum, & manum Papæ „ oſculatus eſt, illud tenendum dedit Excellentiſſimo Domino Paulo Sfortiæ „ Locumtenenti Generalis S. R. E. deinde Papa tradidit Vexilla eidem Excel- „ lentiſſimo Domino Capitaneo Generali Sacrę Romanæ Eccleſię ex libro legens „ accipe Vexilla Cæleſti benedictione ſacrificata, ſintque inimicis Populi Chri- „ ſtiani, ac S. R. E. terribilia, & det tibi Deus gratiam, ut ad ipſum nomen, & ho- „ norem cum illis hoſtes cunctos potenter penetres incolumis, & ſecurus. Et „ primùm tradidit Vexillum Sacrę Romanæ Eccleſię, quod portandum Excellen- „ tiſſimus Dominus Capitaneus dedit Excellentiſsimo D. Petro Caetano, Duci „ Sermonetę. Deinde Papa tradidit ſecundum Vexillum, quod Capitaneus gene- „ ralis dedit Excellentiſſimo D. Antonio Urſino, Duci Sancti Gemini. Abſolutis „ cæremoniis rediit Papa ad Palatium montis Quirinalis, & Excellentiſſimus Do- „ minus Capitaneus generalis, & omnes alii ſupradicti equos formoſos aſcende- „ runt, & cum ſolemni equitatione equitatum fuit uſque ad Domum Excellen- „ tiſſimi Domini Capitanei generalis.

„ In Vexillo Sacræ Romanæ Eccleſiæ erat depicta imago Sanctiſſimi Crucifi- „ xi, & hinc indè ad Crucem imagines Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, „ & inſigne Sacræ Romanæ Eccleſiæ: ad pedem Crucis erat ſcriptum

EXVRGAT DEVS ET DISSIPENTVR INIMICI EIVS.

„ (quæ eadem inſculpta nos legimus in numiſmate) In Vexillo Papæ, in quo erat „ depictum inſigne illius, erat ſcriptum

PROTECTOR NOSTER ASPICE DEVS.

Ciaccon. col. 262. His etiam verbis ſapienter in diplomatibus ſuis uſus eſt Clemens, ut oſtenderet omnia nuda, & revelata eſſe apud Altiſſimum, qui corda noſtra perſcrutatur, & à longè aſpicit.

✠ XXXXI ✠

PORTV CENTVMCELLARVM INSTAVRATO

ANNO MDCIV.

CUſum fuiſſe hoc numiſma anno *1606.* affirmat P. Molinetus, ſeu tutiùs dicam expreſſit ob ſuam incuriam impreſſor, ponendo has notas MDCVI. loco MDCIV. quæ notæ hoc pacto leguntur in numiſmate. Ejus expreſsio, & inſcriptio adeò claræ ſunt, ut nulla indigeant explicatione. Si autem quæras quid eo anno juſſu Clementis actum fuerit in Portus reſtauratione paucis expediam indicando. Antemurale ejus Portus, quod aſsiduis procelloſi maris ictibus labefactatum aditum procellis prębebat. Illud Clemens refici voluit, ſaxiſque ingentibus obſtrui, nè in ipſo portu naufragium naves pertimeſcerent.

VELINO

XXXXII

VELINO EMISSO ANNO MDC.

DIximus in Paulo Tertio in agro Reatino fossam existere, quam *Curianam* vocant, in quam aquis receptis è vicinis Collibus effluentibus exundatio arcebatur, sed cum ea aqua petrificæ facultatis efficacia polleat, paulatim limi in saxum conversi incremento totalem ruinam ager ille exuberantibus aquis subibat ob clausam ferè totam fossam, per quam aquæ in mare decurrebant. Hic Canalis Clementis authoritate expurgatus primò fuit, deindè ejus latitudo, quæ palmos æquabat septuaginta ad totidem ferè alios palmos amplificatus. Profunditati verò ejusdem viginti quinque palmi fuerunt additi, in quo opere Marchionis Joannis Baptistæ Castelli de Sancto Eustachio operam eluxisse refert Ciacconus. *Col.261.* Nè autem nimia aquarum copia per fossam adeò amplificatam excurrentium, Arvis tùm Interamnensium, tum Romanorum nocumento esset, Eques Joannes Fontana, celebris Architectus supra illam fossam Pontem extruxit, cujus arcuatum spatium quindecim tantùm decempedas cubicas aquarum potest recipere. Cæteras verò excludere, si tempore hiemis ob frequentes pluvias nimium excrescant, validissimo murorum ejusdem Pontis aggere sustentatæ. In hoc opere conficiendo plusquam septuaginta quinque millia scutorum insumpta fuisse fertur; atque ipse Pontifex cum Ferraria Romam repeteret ad illud videndum deflexit, pluribus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Nobilibus viris comitantibus. Opus sanè magnificum, quod veterum Imperatorum præclara ædificia æmulatur.

Verùm cum per eum Pontem ab Ecclesiastica ditione in Regnum Neapolitanum facilis aditus pateret, atque plurimi nefarii homines post patrata scelera promptum asilum invenirent. Tempore Vrbani Octavi validissimo muro obstructa fuit hæc Via, præsidente Illustrissimo Petro Ottobono, tunc temporis Interamnensium Gubernatore, qui postea Alexander Pontifex ejus nominis Octavus dictus fuit. Extat adhuc Inscriptio marmori incisa tali parieti imposita, hoc est.

IVBENTE EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPE
FRANCISCO CARDINALI BARBERINO
S. R. E. VICECANCELLARIO
HVIVSCE SVPRA VELINVM PONTIS
OCCLVSVS EST ADITVS
VT NON TAM INVNDANTIS FLVMINIS
QVAM
INVADENTIVM HOMINVM AVDACIA
COMPRIMERETVR
PETRO OTTOBONO VENETO V. S. R.
INTERAMNAE GVBERNATORE
ÆRE PVBLICO INTERAMNATVM
ANNO DOMINI MDCXL.

Sub Inscriptione sunt duo carmina

Plus datur Vrbano, qui muro crimina frænat
Nam solo Clemens Ponte coercet aquas.

XXXXIII

SENATVS, POPVLVSQVE ROMANVS. MDCIII.

IN Area Capitolina præter Palatium, quod Senatori ædem excitarunt Superiores Summi Pontifices, inter quos Gregorium XIII. enumeravimus, sunt hinc inde aliæ ædes nobilissimæ, quarum fundamenta jecit Clemens Octavus. Illam, quæ in parte meridionali assurgit repræsentat numisma; octo parastatis co-

lumnis totidem exornatis absolvitur, inter quas septem arcus totam edem suffulciunt, & nobilem porticum efformant. Superior contignatio fenestris distinguitur, arcubus respondentibus, prope tectum supra coronicem cimasium efformant Balaustra, exornantque pulcherrima marmorea signa, suppositis parastatis imposita. Interior pars aulas continet amplissimas, ubi Romanæ Urbis Conservatores negotia sibi commissa expediunt, Aulas easdem præclara antiquorum signa, Inscriptiones, & monumenta condecorant, de quibus Fulvius, Blondus, Nardinus, & Michael Angelus de Rubeis in sua Roma.

Earum Ædium structuram delineavit Michael Angelus Bonarota, fundamenta posuit Clemens, lapide à se benedicto, & hac Inscriptione insignito.

CLEMENS OCTAVVS
PRIMVM HVNC LAPIDEM
CVI RITE BENEDIXIT
IN FVNDAMENTO POSVIT
IVSTITIAE VRBIS PACIS TOTIVS ORBIS FVNDATOR
ANNO SALVTIS MDCIII.

Cum tamen morte præventus absolvere non potuerit, Innocentio X. regnante, eodem ordine Architecturæ servato, constructæ fuerunt, ùt suo loco exponemus. Cusa deinde fuerunt numismata, in quorum altera parte Clementis Imago, & verba
CLEMENS OCTAVVS PONT. MAX. ANNO XIII.
In altera Ambulacrum, seu frons Palatii, quam ex numismate ipso delineavimus.

XXXXIV

NUmisma nullo lemmate, seu inscriptione insignitum, & quidem rarissimum. Theatrum exhibet semicirculare, Fontibus, & Statuis exornatum, atque in opposita parte Imaginem Clementis habet. Cusum illud non fuit, sed fusum, fortasse, ut cum lapide primo jaceretur in fundamentis Villæ, quam regnante Clemente Petrus Cardinalis Aldobrandinus ejus nepos Tusculano in Colle extruxit ad levandam opportuno secessu Urbanarum Curarum molem, & magnificis operibus, cęteroque accuratissimo cultu decoravit. Locum illum voce *Belvedere* per Antonomasiam vulgus indigitat.

Si enim amplissimum Atrium consideres Palatii, laureis frondibus veluti ad regulam attonsis amœnissimè cinctum, sive Fontium ubertatem, arte naturam superante, sive Arborum variis generis delitiosam seriem, sive jucundissimum è Palatio prospectum in machinam hidraulicam incomparabilem, non dubitabis, quin hæc omnia simul collecta nullibi invenire fortasse possis. Hic aquæ à septimo milliari per ductus sub altissimis montibus extructos devolutæ, in morem fluminis prolabuntur, tùm in mille quasi vias anfractu multiplici divisæ illuc veluti è montis fastigio deturbatæ per gradus ad numerum salientes, & cataractæ speciem exhibent, & musicam efformant harmoniam. Nonnullo in loco, aut rore curiosos solent aspergere, aut imbre incautos perfundere. Spectantur Musæ cum Apolline in Conclavi, ventis symphoniam modulantes, nec non organum hydraulicum opus, in quo ventorum per fistulas prosilientium beneficio, litui, & buccinæ concinunt.

Extrà Conclave inter latera Atlantis fontem, Herculisque, atque utriusque Statuam contemplaberis, ille Cælum humeris sustinet, hic gravatum tanta mole suffulcit. Additus est fons, qui strepitu horribili in sublime consurgens Cæli tonitrua reddere videtur. Ad dexteram Cyclopis cum fonte statua est, qui harmonica vi ventorum concinit instrumentum pluribus fistulis compactum. Ad sinistram Centauri fons est, in quo statua vi venti, ex aquis progeniti tubam inflat æneam sono tam elato, ut absentibus tertio milliario persępè exaudiatur. Hucusque eam Villam descripsi verbis ferè ipsis, quibus Casalius illam expresit cap.22. de Urbis splendore.

Omittam deambulationes amœnissimas, vireta, dumeta, & pomaria vastissima. Unum satis sit indicare Palatium tanto splendore, & præclaris Artificum

operi-

operibus excitatum, ut cum priscis Cæsarum molibus sit conferendum.

Si plura desideras adi laminas, in quibus eam Villam diligenti Scalpro expressam obtulit Ludovico XIV. Galliarum Regi Christianissimo Dominicus Barriere. In prima earum exprimuntur primę Villæ facies, & deambulationes in ipso Villæ ingressu cum fronte primi parietis, aggeres sustinentis, & à dextris, & sinistris Pomaria cum Musis è Cupressu contextis.

Secundò Fontes in pariete aggeres sustinente, in quorum planitie horologia ex myrto eleganter consita sunt. Tertiò, Area magna ante Palatium cum ingenti Conclave, ubi ad arcendam hiemis inclementiam nobiliores plantæ servantur.

In secunda tabula exprimitur Theatrum Fontium ante Palatium, ubi fons Atlantis, & Herculis. Secundò fons Leonis cum Tigride pugnantis. Tertiò fontes Tritonum, Nympharum, & aliorum maritimorum Deorum. Quartò fons Cyclopis, & fons Centauri. Quintò Varii lusus, & aspersiones aquarum, inter quos visuntur binæ Scalæ è vertice ad ima columnarum miræ altitudinis circumductæ per quas aqua præceps serpit in girum.

In tertia, & quarta Tabula exprimitur facies Palatii.

In quinta alius Aquę illapsus cum multiplici aspergimine, tàm in ascensu Scalarum, quàm in subdita planitie, qui fons in Area collocatur quę in Collis dorso est.

In sexta ostenditur primus exitus aquæ, quæ post sex milliariorum amfractus per aquęductus devoluta illinc primùm emanat.

In septima videtur Apollinis Conclave, ubi Musæ cum Apolline in Parnassi monte ad vivum expressæ. In eo Conclave extant picturæ Artificum optimorum studio elaboratæ, quarum una Apollinem exhibet, Pithonem sagittis conficientem. In altera eumdem contra Cyclopes armatum. In tertia Apollinem Midæ auriculas asininas addentem; In quarta Daphnem in laurum conversam; In quinta Cyparissum in arborem sui nominis translatum; In sexta Liram, & Caput Orphei in Hebrum dejectam. In septima Apollinem, & Neptunum trojana Mœnia Laomedonti fabricanda paciscentem. In octava Mercurium Furantem Apollini Adametis Armenta. In nona Apollinem interficientem Nympham Coronidem. In nona Marsiam ab Apolline victum, & excoriatum.

In ultima Tabula exprimitur totius Villę Ichnographia. Eam delineavit primum, ut Villam, Fontes, ac Palatium construeret Jacobus à Porta, qui è Tusculo rediens cum ipso Cardinali Aldobrandino, improviso morbo correptus in itinere post paucas horas vivere desiit in domuncula proxima Januæ Urbis, quæ apud Basilicam Lateranensem patet. Deinde absoluta est sub cura Caroli Maderni ingenti auri copia, cujus tamen quantitas ignoratur, fertur enim flammis traditas fuisse paginas omnes, in quibus expensarum rationes continebantur. *Balleonius pag. 82.*

Hujus magnificę Villæ structura, non tantùm Advenis oblectamento est, sed ex ea Tusculano Agro maxima derivat utilitas; ex Perenni enim fonte aquæ in Collem adductę in publicum beneficium Rivi penè innumeri circumquaque sparguntur. Ob quas in varios usus accommodatos Aldobrandinam munificentiam quisque deprędicat. Eam nunc hæreditario jure possidet Illustriss. & Excellentiss. Princeps Joannes Baptista Principis Camilli Pontificis Summi Innocentii Decimi nepotis filius, & à majoribus acceptam pari cura, & sumptu conservat.

XXXXV

DVRABIT IN AETERNVM.

XXXXVI

NIHIL ILLE RELIQVIT.

HÆc duo symbola Clementis Octavi refert in sua hierographia Jacobus Tipotius, ubi hęc habet de eo, quod secundo loco ponimus, ut *Scopulum nequidquam verberant marini fluctus. In suis librata ponderibus stat, & semper stabit juxta rerum gubernatio, hostibus formidini, Civibus quieti, Sociis præsidio.* *Pag. 37.*

dio. De alio autem. *Ensem, & Pedum harmonicè decussos, & conjunctos vides, quod Servii Tullii Regis est, qui Numam, & Romulum simul æmulatus est, nè ut sub illo dissolverentur animi Civium. Nihil igitur omittit qui Servium in Regno imitatur, sed rectam Civitatis gubernandæ normam tenet.*

Talia symbola in numismate expressa invenire non potui, Tipotius ex Museo Octavii de Strada se habuisse affirmat. Quo autem pacto gestis Clementis Octavi ejus explicatio congruat precor te Lector, ut reticente illo, mihi aperias, nisi fortasse dicendum sit, Clementem optimi Principis partes in ense significatas, & Summi Pontificis in pedo expressas implevisse, & quasi immobilem turrim inter fluctus fuisse ob constantissimi Animi virtutem, quàm semper exercuit.

✠ XXXXVII ✠

PHILIPPVS III. HISPANIARVM REX CATHOLICVS, ARCHIDVX AVSTRIAE &c.

CUsum vidimus numisma sub numero XXXII., in quo vultus Philippi III. Hispaniarum, & Henrici Quarti Galliarum Regis post pacem inter ipsos firmatam.

Præsens numisma Philippi Tertii tantùm imaginem iterùm profert, & in parte aversa faciem Clementis Octavi; ideò cusum illud existimo, ut gratum Regis animum intelligeremus erga Pontificem, cujus opera Pax diù à Regibus expetita, nulliusque votis obtenta, firmata tandem fuit, non solùm cum mutuo Regum gaudio, sed Europæ, imò totius Orbis tranquillitate.

✠ XXXXVIII ✠

IN VERBO TVO.

DIvum Petrum è Navicula rete in Mare jactantem retulit Divus Lucas c.5. Auxilio Divino fretum, *postquam tota nocte laborans nihil cœperat.* Divum Petrum imitatus est Clemens Octavus, nihil sperans se acturum, nisi
Pag. 795. Deo adjuvante. Narrat Joannes Stringa illum, postquam nominatus fuerat Pontifex, mœrore summo affectum nihil respondisse interroganti, An Pontificiam dignitatem libenti animo acceptaret, & cum opus esset assensum præstare, antequam Pontificiis infulis indueretur, lachrymis perfusum à Deo efflagitasse, ut lingua faucibus adhæreret, priusquam Pontificiam dignitatem acceptaret, si pro ejus nominis gloria haud operaturum prævideret. In verbo deinde Divino assensum præbuit, plaudente Roma Optimo, ac Sanctissimo Divi Petri Successori.

✠ XXXXIX ✠

INsignia gentilitia Familiæ Aldobrandinæ, quæ Zonam in utraque parte dentatam, & sex Stellas aureas in campo cyaneo ostentat: antiquissimam ejus originem plures Scriptores enarrant. Illam Florentiæ stabilitam fuisse à preclaro Viro Longobardo, plerique ajunt, equo deindè germina quamplura floruerunt, de quibus
Pag. 101. Casimirus Freschot in libro de Veneta nobilitate, aliique &c.

Qua occasione, quove anno Numisma hoc fuerit cusum ignoro, ex forma ejus ovata, quam habet, arguo, fuisse aureo alicui torqui appensum, quo facilè virum nobilem Clemens condecoravit.



LEO-

pag. 501.


I
II
III
IV
LEO.XI.PONT.MAX.ANNO.I.
DE FORTI.DVLCEDO
M.DC.V.
SIC. FLORVI.
SIC FLORVI





LEONIS XI. NUMISMATA.

I

LEO XI. PONTIFEX MAXIMVS ANNO PRIMO.



RIMO Aprilis die multorum Votis expetitum septuagesimum agentem annum ad Apostolicę Sedis Apicem provexerunt Cardinales amplissimi, Divino Spiritu afflante, Cardinalem Florentię Alexandrum è Magna Mediceorum Familia, quam præcipue Apostolicæ Sedis fulgor illustrat. Ex ea enim, sæculo integro non vertente, quatuor in Summa ea Sede collucentes Christianus Orbis aspexit. Hic Leonis delecto nomine Cardinales humanitate, & beneficiis sibi devinxit, nihil, quod Deo placeret jis petentibus se negaturum pollicitus. *Ciaccon. col.* 368.

II

DE.FORTI.DVLCEDO M DC V.

ADjectum Numisma Historiam Apum in Leonini cadaveris ore mellificantium complectitur, de qua hęc habet Divina Scriptura cap. 14. Judic. *Samson dilaceravit Leonem; quasi hedum in frusta discerpens; nihil omnino habens in manu. Et post aliquot dies revertens declinavit, ut videret cadaver Leonis, & ecce examen apum in ore Leonis erat, ac fauus mellis*. Usus illo est Leo XI. Princeps sapientissius ut lenitatem cum Majestate conjungendam esse significaret. Leonis nomen tantùm habens, suavissimos mores ostendit, statim ac ad Pontificium solium evectus fuit. Urbis Gubernatori illum imperasse refert Stringa, ut Justitiam suaviter administraret. Provincias oneribus à Clemente Octavo ad alendum Militem impositis levavit, decem millia nummorum jis distribuit, qui in Conclavi operam suam aliquo modo impenderunt, additis quamplurimis Ecclesiasticis Beneficiis, quæ Sede vacante collata non fuerant. Totus deinde ad solandum intentus omnium justas preces adimplere conabatur.

SIC

III. & IV.

SIC. FLORVI:

Rosarum manipulus insculptus numismati floris caducitate mortem Leonis indicat. Postquam die 10. Aprilis Dominicę Resurrectionis mysterio celebre in Xysto ante Vaticanam Basilicam à Francisco Sfortia Diaconorum Cardinali Principe faustis Populi acclamationibus Coronam accepit, die octava aperta lectica vectus Lateranensem pompam tanto lętantis populi plausu, quanto nullus alius post hominum memoriam Pontifex iniit. At cæremonia apud Lateranum absoluta ad Quirinale se recepit, in Pontificias ædes se abdidit, & lethali sublatus est morbo. *O rerum humanarum inconstantiam!* de illo differens exclamat Baronius. Rosam Leo usurpavit in tesseram cum lemmate adjuncto SIC FLORVI à Sancto Philippo Nerio edoctus, quem referunt brevissimum Sacri Imperii tempus multò ante illi prædixisse; nec tantùm verus sui Vates in hoc lemmate fuit leo (notat P. Theophilus Rainaudus tract. de Rosa mediana) cum non de eo solum, sed de omnibus plane mortalibus dicere licuit, ac licebit, quod sicut Rosæ floruerint. Nuperi Poetæ vera est contestatio.

Ciaccon. col. 368. *Tom. 12. ad annum 1187.* *Pag. 434.*

Ecce Rosis similes homines, quos tempore Verno.
Una dies nasci vidit, & una mori
Aurora Rosa florescens, heu vespere sero
Non Rosa quærenti, sed rubus asper erit.
Ut Rosa mane viget tamen, & mox vespere languet.
Sic modo qui fuimus, cras levis umbra sumus.

Hujus autem caducitas floris adeo explorata est, ut vix egeat illustratione, ne dum probatione, cum sit in omnium ore, & experimento.

Plenum gratiis de rosa carmen, quod aliqui Maroni Auctori tribuunt, Ausonio alii. Edill. 13. rosæ brevem ætatem perbelle exhibet his verbis.

Hæc modo, quæ toto rutilaverat igne comarum
Pallida collapsis describitur foliis
Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam
Et dum nascuntur consenuisse Rosas.
Ecce, & defluxit rutili coma punica floris.
Dum loquor & tellus tecta rubore micat.
Tot species, tantosque ortos, variosque novatus
Una dies aperit, conficit una dies
Conquerimur natum brevis, quod gratia Florum est
Ostentata oculis illicò dona rapis.

Quam

Quam longa una dies, ætas tam longa Rosarum
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quàm modò nascentem rutilus conspexit eous
Hanc rediens serò vesperè vidit anum.

Apparet quàm apposité penès testatissimam caducitatem homo cum Rosa conferatur, & jure Jobum hominem brevi viventem tempore cum flore nunc egrediente, moxque contrito, & arefacto contulisse, cum dixit *homo quasi Flos egreditur, & conteritur, & ut fænum agri marcescit*, & Sanctus Gregorius egregie differit enucleans hunc Jobi locum. *Quid enim (ait) nati sunt homines in mundo, nisi quidam Flores in campo. Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi præsentis, & ecce quasi tot Floribus, quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne Flos in fæno est. Sic Isaias omnis caro fænum, & omnis gloria ejus sicut Flos agri.* (*12. Moral. c.27.*)

Imo ex quo homo incipit esse in hoc corpore in morte est. Quid enim aliud diebus, horis, momentisque singulis agitur, donec ea consumpta, mors, quæ agebatur, impleatur, & incipiat jam tempus esse post mortem, quod cum vita detraeretur erat in morte? Ratiocinatio est Divi Augustini, ideo notat Sanctus Basilius in Psal. 114. *ratione Cælum dici terram viventium. Hanc vero terram morientium regionem.* (*Lib.13.d. Civit. Dei c 10.*)

Hanc mortalem doctrinam edocti etiam ethnici solebant olim testamento hæredibus imponere, ut quotannis Rosas ad monimenta deferrent, & Rosa quotannis sepulchrum ornarent. Narrat Turrigius tract. de Crypt. Vaticanis anno 1607. die vigesima Novembris cum fundamenta pro turri campanaria effoderentur in Sepulchro Lucilli, & Januariæ duas columbas exculptas visas esse cum Rosa, confirmat hunc morem Joannes Baptista Castilioneus de antiquit. Mediolan. dicens Rosarum adeo studiosos fuisse, ut teste Kirchmanno, jis post mortem monumenta sua spargi imperarent, & adducit inscriptionem, quam in propileo Templi Divi Ambrosii Alciatus in hæc verba retulit. (*Pag. 14r.*) (*Pag. 1. Fascic. 7.*)

PETRONII IVCVN. VI. VIR
SENI
PETRONIA MIRA L. F.
PATRONO QVAE H. S.
CCCC. LEG. POSSESSORIB.
VICI BERGOMAG. INHERM.
TVEND; ET ROSA QVOT ANNIS
ORNANDVM.

Causam

Causam porro ob quam Rosis sepulchra Veterum ornarentur; innuit Anacreon in ode de Rosa cum inquit.


MEDICATVR HÆC, ET ÆGRIS

DEFENDIT HÆC SEPVLTOS.



PAULI

I



II



III



IV



V.



VI



VII



VIII



IX



X



XI



XII



XIII



XIV



XV




XVI



XVII



XVIII



XIX



XX



XXI



XXII




XXIII



XXIV



XXV



XXVI



XXVII



XXVIII



XXIX



XXX



XXXI



XXXII



XXXIII




XXXIV



XXXV



XXXVI



XXXVII



XXXVIII




XXXIX



XXXX





PAULI V. NUMISMATA.

I

PAVLVS V. BVRGHESIVS ROMANVS PONTIFEX MAXIMVS.



AVLVS V. Burghesius, Camilli nomine ante Pontificatum vocatus, præter, tùm Togæ, tùm Militiæ decora, quæ in antiqua Urbe Senarum ejus Majores habuerunt, in Aula Romana præclaros parentes sortitus est, natus ex Marco Antonio Burghesio, & Flaminia Astalia illustri Stemmate anno salutis M. DLII. die 17. Septembris: omnibus bonis artibus primùm excultus per omnes dignitatum gradus ad excellentissimum in Ecclesia fastigium Patrum omnium sententia deligitur die 16. Maii anno 1605. & die 29. ipsa festivitate Sacratissimę Pentecostes Pontificio Phrigio illum ornarunt, ac Diademate triplici Coronavit Franciscus Sfortia Diaconorum primus. *Bzovius in Vita pag.3.*

Incredibile est quantùm lætitiæ Vrbs, & Orbis ex Pauli V. assumptione signa ostenderit: inter publicas exultationis voces illud Lirici frequentius personabant, & parietibus affigebant.

Jam Fides, & Pax, & Honor, Pudorque
Priscus, & Neglecta redire Virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia Cornu.

Has urbicas acclamationes secuta sunt vota, & congratulationes externorum, inter quos aptissimè Franciscus Contarenus Venetorum Orator dixit: *A Deo Paulum prædestinatum, & universo Orbi opportuno tempore cœlitùs datum, qui Rempublicam Christianam summa cum prudentia, & felicitate gubernaret.* Cæterorum elogia recenset Bzovius in vita Pauli pag.8.

II

VBI VVLT SPIRAT.

Constat lemma hujus numismatis verbis D. Joannis Apostoli: *Spiritus* VBI VVLT SPIRAT, *& vocem ejus audis, & nescis undè veniat, aut quo vadit.* *Cap.3.8.* Quem Spiritum (intellige Divinum) sub Columbæ specie indicat sculptura post Pauli V. electionem vulgata, qua omnibus innotesceret nonnisi quàm Divino Spiritu impellente in Summum Pontificem illum electum fuisse. Narrat enim P. Oldoinus cum cęteris Scriptoribus, *Camillum Burghesium in Pauli Sacellum repente deductum Cardinales omnes Divino potiùs, quàm humano suffragio venerandum, & colendum, ut Christi vices in sede Ecclesiæ suprema fungentem existimasse.*

Ad hanc Pauli electionem non obscurioris argumenti portenta invitarunt, unde evenerint penitùs ignorabatur, at certè non nisi Deo sic disponente. Cum enim Purpurati, Leone XI. demortuo, in medium consilia conferrent, Aquila ex Palatio Altempsiano volatu in sublime elata, postquam diutiùs aerem pererrasset, tandem ad fortalitium Molis Adrianæ Draconi insculpto insigni Gregorii XIII. Pontificis gentilitio insedit, & ex se, atque Dracone subjecto insigne Card. Burghesii pro insigne Pontificis expressit, illustri indicio, ut omnes ominantes interpetrabantur, Pontificatus futuri, ad quem illum Deus trahebat.

Oldoin. in col.376.

Expressionem autem Columbæ pro Spiritu Sancto antiquissimam esse in Ecclesia apud omnes compertum est juxtà ejusdem in terris significationes, quibus è Cælo delapsum sese ostendit, ut Apostolorum pectora suis donis cumularet. Ex quo antiquissimo more evincitur error Severi heresiarcæ, qui Columbas aureas, & argenteas ad Spiritus Sancti significationem super Divina lavacra, & altaria appensas sibi appropriare præsumit, quod Clerici, & Monachi Antiochiæ scribunt ad Sac. Synodum Constantinopolitanam,& inde reperitur in septima Synodo contra Ichonomacos. In ejusmodi Columba Eucharistiam asservavit Basilius Magnus, teste Amphylochio in vita S. Basilii, meminit ejusdem picturæ semel, ac iterùm S. Paulinus in Carminibus duodecimæ epistolæ apud Molanum lib.2. Sed de hoc usu alibi fusiùs dicendum.

✠ III ✠

TV DOMINVS, ET MAGISTER.

PEdilavium exprimit numisma à Redemptore celebratum ante ultimam Cœnam, ut omnes sciunt, cujus imitatione Summi Pontifices singulis annis exercent, atque talem laudabilem ritum percusso in ære quamplurimi expresserunt. De illo satis dictum est in numismate B. Pii V.

✠ IV ✠

DOMINE IVBE, ME AD TE VENIRE.

IN lemmate hoc loquitur Paulus V. cum D.Petro, opem Salvatoris Divini implorante, ut sine naufragii metu ad illum per undas Maris accedat. Studium orandi,quo Paulus V.exercebatur nobis commendat numisma.Ille enim à Cultu Divino Pontificatum auspicatus, cum sciret orationem perpetuam, vel solam esse rebus à Deo impetrandis, rebusque præclarè auspicandis idoneam, ejus usum in quadraginta horas distributum, jamque per omnia Templa Urbica dietim per singulos Menses toto Anni decursu à Clemente Pontifice introductum constitutione perpetua stabilivit, atque ea devotio nunquam intermitteretur, assignatis Templis, præscriptas pro ea re leges instituit.

✠ V ✠

SACRA PETRI CONFESSIO EXORNATA.

EX eodem ardenti Orationis studio permotus Paulus cum multa Urbica Templa, vel parùm nitida, vel aliquantùm angusta, atque in primis Principis Apostolorum Basilicam toto Orbe venerandam à Julio II. inchoatam, & à reliquis Pontificibus, præsertim Gregorio XIII., & Sixto V. non minimum auctam, sed tamen nondum perfectam aspiceret, Cardinalibus, qui titulares

ſuas vel inſtaurarent, vel amplificarent, vel ornarent, exemplo præire voluit, Patrumque Sententiis de demolienda jam collabente Conſtantiniana in Vaticano Baſilica, quæ ſupererat, rogatis, Templum abſolvit. Propoſitum numiſma Sacram D. Petri Confeſſionem exponit, quam Paulus V. in medio auguſtiſſimi Templi aperuit, Columellis auro textili perſimili lapide foras circumdedit, gradus marmoreos, quibus ad intima deſcenderetur collocavit, parietes hinc inde inſignibus, & aliis ornamentis ex pretioſiſſimis variorum colorum lapidibus incruſtavit, pavimentum ejuſdem admirando opere teſſellato ſtravit. oſtium intermedium ærea Crate inaurata inter aliquot Columnas pulcherrimas concluſit, & duas Statuas inauratas ex metallo, alteram D. Petri, alteram S. Pauli in loculamentis exterioribus repoſuit, lampadem argenteam ingentis ponderis, & pretii, quæ cùm quatuor aliis minoribus luceret appendit, ac tale opus perfecit, ut qui oculis non conſpexerit vix mente poſſit concipere.

Pavimentum veteris Baſilicæ Conſtantinianæ ea parte, qua à Sacello Gregoriano tholum, & ejus peripheriam vergit, fornicem, quem nunc ad aram maximam pedibus terunt ſuperinduxerat Julius II., ne memoriæ tot Divorum Pontificum interirent, fornix ſuperinductus Baſilicam ſubterraneam efficit religione Venerabilem. Ejus aditum à loculameutis, ubi nunc ſunt ſigna mormorea D.Andreæ, & Longini Paulus aperuit gradibus utrinque poſitis marmoreis, & deſcenſum facilem fecit, cryptas interiores multorum Sanctorum Corporibns divites exornavit, antiquatæ Baſilicæ Sacras Imagines ſculptas, ſive moſivo, ſive pennicillo depictas eodem intulit, pulcherrimoque ordine diſtributas parietibus inſeruit, memorias veteres, aut devotione, aut antiquitate, aut artificio preſtantes aptiſſimè collocavit, clathris ferreis Confeſſionem Principis Apoſtolorum intrinſecùs clauſit, magnam vim lapidum pretioſorum ad ejus aream, intimioremque receſſum ornandum reliquit, atque lampadarum argentearum multitudine locum illuſtravit. Cætera, quæ circa hanc D. Petri Confeſſionem, tùm Paulus, tùm cęteri Pontifices peregerunt fuſius enarravimus in noſtra Templi Vaticani hiſtoria cap.24. ubi etiam Confeſſionis vocem explicavimus.

VI

TEMPLVM DIVI PETRI IN VATICANO.

VII

IN HONOREM PRINCIPIS APOSTOLORVM.

ET PORTAE INFERI NON PRAEVALEBVNT.

FRontem Vaticanæ Baſilicæ duplex numiſma oſtentat, primùm quidem ſine turribus Campanariis. Secundùm cum turribus, quas tamen Paulus non extruxit, ſed Urbanus VIII., ut abundè expreſſimus in ſupracitata Templi Vaticani hiſtoria cap.29. Quidquid Paulus in ædificatione ipſius Baſilicæ molitus fuerit cap.20. 27. & 28. enarrat ejuſdem hiſtoria. Reliquum enim Baſilicæ corpus à Sacello Gregoriano uſque ad extimam faciem, Chorum, Sacrarium, Sacella, Porticum inferiorem, & ſuperiorem benedicendis populis, Turrium campanarium fundamenta jecit, ac fornice Templi inaurato, porticu inferiore plaſtico opere item inaurato, quod vitam, & res geſtas Principum Apoſtolicorum admiranda majeſtate exprimeret inferne Sanctiſſimorum Pontificum, ſupernè in faſtigio Baſilicæ impoſitis Chriſti Salvatoris, & Apoſtolorum Coloſſeis Statuis, ampliſſimum, ac magnificentiſſimum Templum abſolvit.

Ejus Baſilicæ extimos, & intimos typos, per Martinum Ferraboſcum Palatinis Fontibus Præfectum ære inciſos, ut Ferdinandus Carolus explicaret, doctoque ſtylo Vaticani Collis, & Templi univerſa admiranda deſcriberet imperavit Pontifex.

fex ; Utinam illud perfeciſſet , ac Poſteris mandaſſet ante obitum , quo tantus Scriptor è vivis ſublatus eſt.

Inſcriptiones numiſmatum adeò claræ ſunt, ut nulla indigeant explicatione, quæ in ſecundo, ſive ſub numero VII. legitur, illa eadem eſt, quam Pauli V. juſſu in Zona frontis cubitalibus literis expreſſa fuit, ſcilicet. IN HONOREM PRINCIPIS APOSTOLORVM Cur Templa Sanctis inſcribantur rationes adduximus in cap. 28. pag. 175. In utroque autem numiſmate ſub expreſſione Baſilicæ adiecta ſunt verba: ET PORTAE INFERI NON PRAEVALEBVNT Matth. 16. 18. quibus verbis ſignificatur non ipſa Baſilica lapidibus conſtructa, ſed Eccleſia Dei; nam ſub metaphora D.Petri fundamentum intelligitur,cui veluti fundamento innixa Eccleſia eſt; quod enim in ædificio eſt petra, & fundamentum, hoc in Corpore eſt Caput, in Civitate Rector, in Eccleſia Pontifex. Contra igitur Eccleſiam hanc in Petro fundatam, ejuſque Succeſſoribus, quaſi in Petra firmiſſima Portæ Inferi, ideſt Civitas Inferorum cum omni ſuo Demonum exercitu non prævalebunt. Eſt modus iſte loquendi ſynedoche, & metonimia; per Portas enim intelligit totam Urbem, tùm quia per portam eſt ingreſſus in urbem, tùm quia munimen, & robur præcipuum civitatis ſolet eſſe in portis, undè jis muriſque vicinis ſalvis, ſalva eſt urbs, jis captis capta eſt urbs. Promittitur igitur his verbis Romanæ Eccleſiæ de Inferis victoria, quia Chriſtus ei aſſiſtit, & pro ea pugnat; quocircà S. Chriſoſtomus hom. 4. de verb. Iſajæ: *Faciliùs eſt* (inquit) *Solem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari*, & hom. 5. in Orat. de non Contemnenda Eccleſia. *Quid Eccleſia Dei potentiùs eſſe poteſt Mœnia Barbari deſtruunt, Eccleſiam verò ne Demones quidem ſuperant, cum oppugnatur vincit, cum appetitur inſidiis ſuperat.* Alia plura in hanc ſententiam invenies apud Cornelium à Lapide in Matthæum.

❦ VIII. IX. ❦

VATICANI PORTA RESTITVTA.

IN Tabula ſexageſima prima Hiſtoriæ Templi Vaticani à nobis conſcripta, ad pag. 174. poſita,apparet Porta antiqui Palatii Vaticani, quam deſtruere opus fuit, cum Paulus V. Baſilicam Vaticanam abſolvit. Hanc Portam reſtitui idem Pontifex juſſit, & in auguſtiorem formam excitavit Madernus, adiecta Inſcriptione.

PAVLVS V.
PALATII ANTERIOREM PORTAM HORARIAM
TVRRES PRIMAE CVSTODIAE
STATIONEM ET ARMAMENTARIVM
QVOD NOVAE BASILICAE AEDIFICATIONE
DIRVTA ERANT
EXTRVXIT
ANNO SALVTIS MDCVIII.
PONT. III.

In duplici inſuper Tabula delineationes adiunximus, quas ejus Portæ reſtituendæ Martinus Ferraboſco Pontifici Paulo obtulit, qui jis rejectis tertiam conſtrui voluit eo modo, quo in alia Tabula numero 81. ſignata, delineavimus. Hanc Numiſma VIII. indicat, alteram ex illis duabus Numiſma IX. exponit. Stetit illa uſque ad tempora Alexandri VII. qui cum videret regiam Scalam, per quam ad Aulam dabatur aſcenſus, peſſimè conſtitutam, & tanti Palatii parùm conſonam, eam iterùm conſtruere decrevit.

Ejus Portæ ornatum Joannes Vanſantius Flander compoſuerat, æneas fores formaverat Horatius Cenſor Bononienſis, Imagines Virginis Deiparæ, ac Sanctorum Apoſtolorum ſuprà Januam ipſam delineaverat Eques Joſeph Cæſari Arpinas, muſivo deindè expreſſas. Adiecerat Aligerum è marmore, Inſignia Pontificia ſuſtentan-

flentantem Nicolaus Corderius. Januæ imminebat Turris Campanaria cum Horologio ad horas diei indicandas extructa, in qua Pontifex collocavit Æs Campanum, quòd Callisti III. jussu ad usum Horologii Vaticani fusum fuerat anno 1455. juxtà antiquissimum morem indicandi horas beneficio Campanarum, de quo usu plura indicavimus in nostra Historia Templi Vaticani cap.35.pag.212.&c. Ballonzens pag. 176.

Porta restituta, ut Vaticanum Palatium adiri Romanis Pontificibus ex dignitate posset, antiquis Scalis sublatis, novas è Vaticanis Ædibus è Tiburtino lapide Paulus curavit, quæ ex Templi Porticu primùm assurgentes præclaram è marmore Statuam Sancti Petri ab eodem Pontifice erectam obviam habuerunt, indè bipartito excurrentes flexu, altera, quæ ad Orientem vergit in Vaticani Atrium, altera verò, quæ ad Occidentem in Regiam, quam dicunt, Aulam deferebat, quà verò flectebatur Pontificia spectabantur Insignia cum hoc Elogio.

PAVLVS V. PONT. MAX.
SCALAS
QVAE E REGIONE SVNT GRADIBVS
AVXIT ET ORNAVIT
ANNO M.DC.XV.
PONTIF. X.

Huic Vaticani Palatii Portæ in parte Boreali collocatæ aliam similem in opposita Meridionali construere Pontificis animo inerat, quę in aliud Palatium aditum prębere, Canonicorum commodo excitandum, lateraque similia hinc indè disposita cum Fontibus se se mutuo respicientibus, quibus tum Basilicæ frontis, tùm adiacentis Aræ magnificentia augeretur; sed Deo sic disponente mors Urbem Pontifice, & hoc novo ornamento Basilicam orbavit.

X

SACELLVM IN PALATIO QVIRINALI PONTIFICVM COMMODITATI.

XI

PONTIFICVM COMMODITATI ANNO DOMINI M.DC.XVI.

XII.

SACELLVM IN PALATIO QVIRINALI ANNO M.DC.XIX.

TRiplici Numismate duo nobis exponuntur, videlicet Palatium, quod PONTIFICVM COMMODITATI Paulus V. novis Fabricis auxit, & Sacellum amplissimum, quod sacris Pontificum actionibus adiunxit. De utroque à nobis exponenda sunt quæ ad eorum historiam spectant, & primò de ipso Palatio, atque in ipso Palatii nomine parùm inhęrendum est. Dicebatur Palatium ab antiquis Domus Imperatoria, superba, amplaque, à Palante, (ut placet multis) qui primus Palatium fecisse dicitur, aut secundum Plinium à Palanteo Arcadię Oppido, sive ut Cyrillus author Græcus refert à Palatino monte. Præter domos Imperatorias, & ea de causa Palatium dictas, alias quoque publicas fuisse regias in Urbe

Urbe domos, Palatia nominatas sciendum est, quod Dio egregiè testatur his verbis:
Xiphil. lib. 53. „ Imperatoris autem Ædes Palatium nominatur, non quod ità decretum sit, sed „ quod in Palatio Cæsar habitabat, ibique Prætorium ejus erat, ac non nihil ejus „ nomen ab eo monte, propterea quod ibi quondam Romulus inhabitarat splendo- „ doris accepit; ideòque et si alibi Imperator domicilium tum habebat, tamen id „ quoque Palatii nomen obtinet: hucusque Dio; Quotquot igitur erant Romæ Imperatorum usui adscriptæ domus, tot eorumdem esse Palatia dicebantur, de quibus extat illa Constantini Imperatoris in hæc verba Sanctio promulgata; *Sacratas nobis ædes*, (ideft inclyta Palatia) *ab omni privatorum usu, & communi habitatione excipimus*: Ita ipse.

Lib. 1. cap. de Palatio.

Ad hæc addit Baronius, ipsas Imperatorum Domos sic dictas *Palatia*, ut tamen pristinum adhuc nomen retinere solerent, ut contigit inter alia multa exempla de ædibus, hortisque Salustii, qui licet Imperatorum usui cessissent, Salustii tamen nomine semper dictos fuisse reperies.

His igitur in hunc modum elucidatis revocandum in mentem est, quod ipse Baronius cum antiquis Scriptoribus enarrat. Summis Pontificibus Regias donatas fuisse apud Lateranum à Constantino Imperatore, quod nefas esse sciret Gentilitiæ superstitionis Antistitem Summum publicam, & Regiam domum habitare, non verò Religionis Maximos Pontifices; quod si eorumdem Imperatorum ædes Palatia dicebantur, majori quidem jure Pontificiæ domus Palatia dici arbitrandum est. Itaque sicuti in prçterito numismate dicitur Palatii Vaticani Porta restituta, in prçsenti legimus SACELLVM IN PALATIO QVIRINALI.

Tom. 3. ad an. 312.

Itaque inter Colles, quos Roma suis ædibus comprçhendit unus est *Quirinalis* dictus, Romæ additus vel à Tatio, vel à Numa, seu Servio, de quo ambigunt Authores. Dicitur autem Quirinalis juxta Varronis, & Festi documenta à Curensibus Sabinis, qui in eo Castra posuerunt, vel à Quirini Templo inibi extructo, ut placet Ovidio, & Plutarco. De eo fusiùs Nardinus in sua Roma lib. 2. cap. 2. In hoc Colle Summi Pontifices, ut grave Vaticani agri Cçlum æstate vitarent ædes çdificaverant. Inter eos primus Gregorius XIII. earum ædium fundamenta posuit, Porticum, & Scalas coclides extruxit opera Octaviani Mascherini Bononiensis. Sixtus autem V. prosequutus fuit, & Clemens VIII. multa addidit, & amçnitates propinquorum Hortorum adiunxit, eas dum ædes incolerent, dici non potest quanta cum omnium querela sçpè alienas çdes, ut familiç tutum pararent in propinquo cogerentur commodatum ab externis accipere. Huic malo liberaliter Paulus ut obviam iret, ingentem molem çdium veteris Pontificis Palatio à fundamentis erectam adiunxit, in qua & publicis functionibus exercendis spatium esset, atque variis usibus opportunum. Multas prçterea vicinas coemit domos, instauravitque ad familiç usum, ne ulli ampliùs onerosa esset; Hortos adiacentes dilatavit, Fontibusque apertis irrigavit, Aream amplissimam, dirutis nonnullis, quantumvis magnificentissimis ædibus, aperuit; clivum utrinque emollivit; Apostolicç Datariæ Domum commoditati accurrentium Palatio Pontificio coniunxit. In prima ergo Aulç Quirinalis fronte, quæ Scalis maximis imminet, Pontificiis Insignibus hæc Inscriptio subiicitur.

Ciaccon. to. 4. col. 5. Balleon. pag. 5. Idem pag. 36.

PAVLVS V. PONTIFEX MAX.
PALATIVM QVIRINALE HAC PARTE
A FVNDAMENTIS EXTRVCTA
AMPLIFICAVIT
ANNO DOMINI M.DC.X.
PONTIFIC. SVI VI.

Ad Januam maximam Datariæ, quæ viæ ab eodem Pontifice ad radices Quirinalis apertç imminet, cum Insignibus in marmore hçc verba spectantur.

PAVLVS V. PONT. MAX.
ANNO SALVTIS M.DC.XI.
PONTIF. SVI VIII.

At in

At in Meridionali, atque exteriori facie ejusdem Datariæ, qua Meridiei ad clivum ipsum Quirinalem obtenditur in marmore cum Pontificiis Insignibus hæc verba.

PAVLVS V. PONT. MAX.
ANNO SALVTIS M.DC.X.
PONTIF. SVI VI.

Cum Ædes, quas olim in Quirinali clivo Benedictini Monachi extruxerant Paulus Pontificiæ familiæ angustias miseratus proprio ære coemit. Ad ejus rei monumentum hęc tantùm verba marmori in orientali earum Ædium facie, quæ Aream Quirinalem, Fontem equosque Colosseos spectant, incidit superpositis Insignibus.

PAVLVS V. PONT. MAX.
ANNO SALVTIS M.DC.XI.
PONT. SVI VII.

In Meridionali ipsius Palatii facie, quę Cappuccinorum Monasterium spectabat incidit sub Insignibus.

PAVLVS V. PONT. MAX.
DATARIAM APOSTOLICAM
IN HIS ÆDIBVS
CVRIALIVM COMMODITATI
COLLOCAVIT ANNO M.DC.XV.
PONT. SVI XI.

Stabulum in Quirinali Pontificię familię lęvis armaturę equitibus, Pontificum custodię designatis erexit. In eo sic legitur.

PAVLVS V. PONT. MAX.
ANNO SALVTIS M.DC.XI.
PONT. SVI VII.

Præter Ædes constructas, cum difficilis ad eas esset ascensus, arduusque rhedis equis, aliisq; omnibus, ideò Paulus aditum patefecit; Via, quæ ex D. Marcelli per clivum in plateam palatii insinuatur dilatata, paucis privatorum ædiculis solo ęquatis, & clivi ascensus perindè depressus, in Inscriptione ad radices montis cum Insignibus Pontificiis Populi Romani, & Cardinalis Burghesii hæc leguntur.

PAVLVS V. PONT. MAX.
AD QVIRINALE A SE AVCTVM
ORNATVMQVE
VIAM MOLLITO CLIVO
DILATAVIT, ATQVE DIREXIT
ANNO SALVTIS M.DC.XI.
PONT. VII.

Via aperta mollito clivo platea S. Sylvestri ad ædes usque Pontificias patefacta est, quæ non aliter, quàm ad plateam D. Petri, benedictionum ergo capacissima multitudini locum præbet, & ut aulicis commodiùs fieret iter, plures viæ eò commigrantibus apertæ sunt. Quippe inferiùs impluvium, in quo quæ *Dataria* dicitur habebatur, majoribus spatiis inclusum ingenti portarum hiatu convenientibus commodissimo aditu viam sternit, ante illas clivus terra super aggesta delinitus ad viam Corneliorum nuncupatam deducens parvulo vico, olim Ficoccia, nunc via Datariæ dicto, in ampliorem faciem redacto, itaùt binas rhedas junctim capere possit.

Ante ædes Corneliorum in situ Patrum Congregationis Lucensis via adaperta est,

ta est, quæ nunc binis rhedis facillimo negotio iter præbet, ubi antea vix uni sua angustia aditum dabat, & ædiculę vetustate quassatæ plateolam, quam fons Trivii excipit miserè deformantes, demolitione, locus nobilitatus assiduo perspectu Cives delectat.

Continuato itinere per viam Corneliorum antequam ad Templum D. Virginis Sacrum, cui Constantinopolitanæ nomen est, in ipso viæ Paulinæ ingressu ex parte dextera alius reseratus est aditus, qui recta Monasterio S. Joseph inhærens ad Portam Pincianam ducit.

Neque minùs in hac re pręsidium tulit platea ante D.Mariæ Lauretanæ Templum addita, & quæ ad Palatium Quirinale tendentibus deservit, quod iter, ut meliùs pararetur, via sub Monasterio S. Catherinæ Senensis, & clivus alius, qui nuncupatur Molarę complanatus.

Hęc omnia Paulus Pontificiis ędibus spatio annorum quinque extruxerat, sed non satis illi erat animo verè magno Quirinalem Collem Palatio occupasse, nisi etiam Deiparę Virgini in Cælum assumptę augustissimum Sacellum nullis ęquandum laudibus à fundamentis erigeret.

Igitur peramplo Atrio excepti insignes Scalas ascendimus, quę duas diversas in partes descendunt, & quidem una ad Septentrionem, altera ad Orientem ducit, qua regia aditur Aula inter duas insigni artificio elaboratas, aulæ januas, Pauli Pontificis spectantur Insignia his verbis marmore insculptis.

PAVLVS V. PONT. MAX.
SACELLVM PONTIFICIVM EXTRVXIT,
PALATIVM AVXIT,
ET IN MELIOREM FORMAM REDEGIT
ANNO DOMINI M.DC.XV. PONT. SVI XI.

Hujus Aulę pavimentum ex maculoso alboque marmore segmentatim contextum est. Laqueare magna artis, operisque varietate distinctum auro illitum visitur. Hoc nobilis subcingit Zona insignium Pictorum opus. Ea historias exterarum Legationum octo ad Paulum V. egregiè depictas continet, quæ oppositę sunt Sacello Carolus Venetus depinxit, quę autem Sacelli januę imminent, Eques Lanfrancus. In extrema Sacelli facie binę Insignes januę assurgunt, quarum altera perpetuò clausa, altera ad usum commeandi patet. Suprà Zophorum in lidio lapide hęc verba auro notata legimus.

PAVLVS V. PONT. MAX.
ANNO SALVTIS M.DC.XVI.
PONT. SVI XII.

Titus pag. 276. Suprà coronam Christus Dominus cernitur Apostolorum pedes abluens insigni cęlatura Taddei Landini, eminentibus signis è marmore, summo fastigio bini Angeli insident, quibus Pontificis Insignia nituntur, eorum dexterum Bartolottus Gallus sinistrum Petrus Berninus exculpsit. Ipsius porrò Sacelli interior species prorsùs digna Pontifice est, digna Paulo. Ejus longitudo palmis centum octuaginta, latitudo sexaginta, altitudo centum viginti definitur. Ejus fornix Coronario opere plastarum celeberrimorum manu exornatus, auro undequaque convestitus. Medium fornicem Pontificis Insignia obtinent, fornicis amplitudini, ac splendori reliquorum Sacelli partium respondet majestas. Medio spatio sedes Cardinalium assurgunt, suprà quas Pontificius Thronus de more ad Aræ dextram eminet. Cancelli, quibus Cardinalium, Sacerdotumque consessus à reliquo spatio dirimitur, pręcipuè conspiciendi sunt. Infima enim sui parte pretiosorum crustis lapidum constant, superiore columellas ex auricalco fabrefactas sustinet. Inter has teretes è lapide numidico columnę octo interiiciuntur, quibus bases, & capitula ex ęre deaurato miro decori sunt.

His è lydio lapide coronis imminet. Huic aureis notis talia verba inscribuntur.

PAVLVS

PAVLVS V. PONT. MAX.
ANNO M.DC.XVI. PONT. SVI XII.

Denique suprà Januam interiorem hoc elogium marmorea tabula includitur:

PAVLVS V. PONT. MAX.
SACELLVM IN HONOREM ASSVMPTIONIS
BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ
DICAVIT
ANNO DOMINI M.DC.XVI. PONT. XII.

Ejus ædificationi principium fecit Flaminius Pontius Architectus, Carolus autem Madernus illam absolvit.

Ex Diariis hęc verba habemus. „ Feria 4. die 25. Januarii anni 1617. in die „ festo Conversionis S. Pauli, Papa post dictam Missam in sua privata Cappella „ indutus Stola privatim benedixit Sacellum sub invocatione Assumptionis Bea- „ tæ Virginis Mariæ, quod extruendum, & ornandum curavit in Palatio Quiri- „ nali, simile Sacello Sixti Papæ IV. apud S. Petrum pro Cappellis faciendis. Et „ Dominica Sexagesimę die 29. Januarii R. D. Fabius Blondus Patriarcha Hiero- „ solymitanus Magister Domus Papę consecravit Altare Sacelli Paulini, in quo „ inclusit reliquias SS. Martyrum Andreæ Apostoli, Bonifacii Martyris, Crispini „ Martyris, Marię Ægyptiacę, & de Cilicio S. Francisci cum solitis Orationibus, „ & Cęremoniis.

Paulus Ala- lona in Diariis.

Hæc omnia Paulus extruxit PONTIFICVM COMMODITATI, ut Numismatum lemmata confirmant.

XIII

DEI GENITRICI SEMPER VIRGINI M.DC.XII.

XIV

SACELLVM A FVNDAMENTIS EREXIT
BEATISSIMAE MARIAE SEMPER VIRGINI.

XV

COMPLEAT GLORIA MARIAE DOMVM ISTAM.

HI tres Nummi exponunt oculis Sacellum Burghesianum, quod Paulus V. piè erga B.Virginem Deiparam ductus affectu, à fundamentis extruxit in Basilica Liberiana, Sanctæ Marię Majoris dicta, seu S. Mariæ ad Nives, posita in Esquilino monte. Refertur à pluribus Authoribus historia fundationis hujus Templi, pręcipuè à P. Guilielmo Gumpenberg Societatis Jesu in suo Atlante Mariano, ubi refert à Joanne Patritio Romano Senatorii Ordinis sola Coniugis sterilitate infœlici fabricatum, cum Virgo Deipara dignata fuerit oblatum patrimonium, tanquam ejus hęres acceptare, atque ambitum fabricę designare nivibus è Cælo missis die 5. Augusti, admonens in somnis Liberium Pontificem, simulque Patritium, quid in loco fieri vellet, ubi nives ipsa collocasset. Non tamen ejus Templi fabrica eamdem tot sęculis formam habuit. Etenim Sixtus III. anno 432. ruinæ proximum quasi à fundamentis refecit, atque in ampliorem formam redegit, ut ait Anastasius in Sixto III. Hinc postea Basilica Sixti dicta est. Anno 772. Adrianus I. renovavit tectum. Anno 817. S. Paschalis Chorum marmore stravit. Anno

1150. Eugenius III. Propilęi tessellatum opus addidit. Anno 1274. Gregorius III. idem opus refecit. Anno 1288. Nicolaus IV. undique fatiscentem fabricam restauravit. Anno 1450. Cardinalis Rotomagensis Templo duas Naves adiunxit, Altari Pontificio quatuor Columnas ex porphyretico lapide addidit. Anno 1500. Alexander VI. Laqueare Templi fecit è ligno, & inauravit. Anno 1593. Sixtus V. Servatoris Presepe regii operis Sacello texit; denique Paulus V. propriis sumptibus Turrim Campanariam refici, tectum, ac fastigium plumbeis laminis circumtegi, munirique imperavit. Ex hac Turri ad sinistrum Eugenianę Porticus latus nova, magnificaque Sacri Vestiarii facies, novaque Canonicorum Domicilia cernuntur, quæ omnia Paulus V. à fundamentis extruxit impensis nonaginta millium scutorum, & Capitulo donavit, sed quod magis admiratione dignum est Sacellum custodiendæ Virginis imagini dicavit.

Paulus de Angelis descript. Basil. lib. 5. cap. 5.

Extabat Romæ B. Mariæ Imago, quam olim cum Divini Infantis Præsepio attulisse Helena creditur, quamque usque ad Liberii tempora Pontifices in Sacrario ejusdem Templi custodiebant. Hanc Liberius Pontifex circa annum 336. Sacrario exemptam novæ Basilicę intulit, atque arę imposuit, quam deinde Pontifices non nisi arctissimis in rebus, rarò nec nisi ad breve tempus extulerunt, vel ut alii credunt Sixtus III. qui anno 432. Ecclesiam gubernavit in hac Basilica eam locavit. De hac Historia vide Paulum de Angelis lib. 12. cap. 4. & P. Antonium Spinellum Soc. Jesu in secunda parte tract. de festis Deiparę. Servabatur Imago hæc in Tarbernaculo, seu Ciborio marmoreo, quod ad dexterum Majoris Altaris latus cernitur S. Gregorio Papę dicatum, propterea dictum Altare B. Virginis. Illud fecit marmoreum Senatus Populusque Romanus, ut constat ex archivo ejusdem Basilicę, post verò translatam imaginem Pauli V. mandato fuit tale Ciborium à Capitulo innovatum, & auro distinctum, in eoque asservantur Christi Cunæ.

Paul. de Angel. lib. 5 cap. 8.

Cur Paulus V. talem imaginem in augustiorem locum transtulerit rationem ipse met significavit in Bulla erectionis Sacelli edita anno 1615. quæ incipit *Immensæ bonitatis*. In ea sic loquitur Pontifex. „ Dum intra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa (Virgo) uti Mater Misericordiæ pro Christiano populo sedulò exoratrix, & pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, quodque eamdem Sanctissimam Virginem in omnium rerum difficultatibus, ac operibus nostris semper invenimus adiutricem, ac innumera, quæ largitur Altissimus nobis contulit beneficia, piis illius precibus credimus accepisse, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut sicuti Redemptor noster, & Deus ipsam Sanctissimam Virginem sublimavit in Cælis, ità eam quantum possumus honoremus in terris &c. Itaque ubi primùm ad Apostolatus apicem evecti fuimus singulari erga hanc Gloriosissimam Virginem, & illius Sacratissimam Imaginem devotione, & Divina quadam inspiratione permoti in illius honorem insignem Cappellam à fundamentis extruere, & ornare, eamdem Imaginem ad cappellam novam prædictam tranferre, & super Altare ejusdem Cappellæ propterea erigendum honorificentius collocare deliberavimus.

In Bullar. tom. 4. pag. 315.

Hoc ergo Sacellum ea magnificentia condidit, quam satis terrarum Orbis mirari non possit, sive amplitudinem ædificii, sive elegantiam operis, sive opulentiam spectet. Assurgit illud ea in parte Basilicę, quam Sol spectat meridianus, à majori nave, dum ad Sacelli aditum tendimus amplus arcus erigitur quatuor mormoreis columnis innixus, supra quem B. Virginis transitus historia notatur, ubi etiam Pauli V. insignia adsunt, cum schedula his verbis impressa.

PAVLVS V. PONT. MAX.

Eam sustinent aligeri plastico opere efformati ab Ambrosio Malvicino. In fornice arcus perpolite depictus S. Spiritus apparet cum Angelorum Myriadis, & in quatuor angulis hujus fornicis quatuor Summi Pontifices sunt depicti, nimirum S. Gregorius Magnus, S. Martinus, S. Gelasius, & S. Leo Quartus; etiamque Doctores Ecclesię ab equite Balleono. In spatio, quod membra Sacelli efformat, S. Caroli Borromæi ędicula est, & S. Franciscę Romanę nobilibus cancellis ex marmo-

marmore albo præcincta. In fornice ejusdem Historia Juliani Apostatę coloribus exprimitur fulmine percussi, & Constantini Copronimi qui flammis ardens Virginem placari exposcit.

In amplo Sacelli loculamento Clementis VIII. effigies adest in Sede Pontificia, atque benedictionem impartiens ex marmore constructa à Silla Sculptore Mediolanensi. In dextera historia continetur Ferrariæ recuperatę exculpta à Malvicino, à sinistra vero simili quadrato Strigoniæ vindicatio apparet Jo: Francisci Aldobrandini opera, quam Marianus, & Mochus suis Scalpris efformarunt. Historiam diadematis Clementi impositi super abacum in medio sitam Petrus Berninus exculpsit. Ab hujus dextera pacem inter Francorum, & Hispaniarum Reges per Petrum Card. Aldobrandinum stabilitam Butius Mediolanensis exculpsit. A lęva ji proponuntur quos Clemens inter Sanctos adscripsit à Joanne Antonio Valsoldo in marmore efformati. A lęva autem intra fornicis curvaturam Pictura se offert, in qua Guido Renus S. Idelphonsum repræsentavit, sub qua talia adnotantur *S. Idelphonsum, qui Hæreticos pro gloria Virginis confutat sacra veste ornat*, & à dextera intra eamdem curvaturam S. Joannem Damascenum, sub quo hæc verba legimus: *reddidit truncam manum S. Joanni Damasceno, qua scribens ciro imaginibus ejus pugnarat*. Circumstant in lateribus supradicti Clementis monumenti quatuor marmorea signa, idest Araonis, Davidis, SS. Bernardi, & Basilii à Nicolao Cordeiro exculpta.

In parte, quæ Orientem respicit Pauli monumentum assurgit, in cujus medio loculamento statua ejusdem continetur à Silla efformata genibus flexis, atque manibus junctis Virginem respiciens. A lęva Ferrariæ arx cernitur à Clemente pro tutela ædificata, eam exculpsit Malvicinus. A dextris Historia adest, auxilia continens ad Cæsarem in Hungariam adversus Turcas data, quam Stephanus Madernus Romanus exculpsit. Supra hæc persimili loculamento S. Francisci, & S. Caroli Borromæi inter Sanctos annumeratio apparet, & in medio Pauli V. Coronationis Historia; ab hujus læva Principum legationes spectantur. In parte læva suam operam impendit Franciscus Status Braccianensis, in medio Hipolitus Butius, in dextera Valsoldus. Picturas superpositas Guido Renus miro artificio absolvit.

In spatio intra curvaturam fornicis supra Aram maximam est B. Virgo, S. Joannes Evangelista, & S. Gregorius Thaumaturgus cum his verbis in schedula à puero sustentata. *Formula fidei S. Gregorio Thaumaturgo contra hæreticos tradita*. Eas imagines Eques Arpinas expressit. In angulis supra Coronam quatuor Angeli apparent, supra quos quatuor Prophetæ in triangulis depicti. In Tholi medio Virgo triumphantis instar cernitur Angelicis Choris stipata devotionem, & lętitiam præferentibus: has imagines suo pennicillo efformavit Ludovicus Civolus Florentinus. Tale Sacellum Flaminius Pontius Mediolanensis delineavit. At Hieronymus Raynaldus principalem aram magnificentissime construxit: hæc se attollit supra tres gradus; ab ejus lateribus socci super pavimentum nituntur rubro jaspide, & croceo, & deaurato metallo formati. Hisce soccis Parastatarum bases adhærent ex deaurato metallo, facies, & latera Parastatarum ex jaspide, adamantis duritiem superante. In eo bases quatuor columnarum nituntur ex metallo. Hinc quatuor columnę assurgunt ex roseo jaspide constructæ, quas tenię ex deaurato metallo exornant. Epystilia ex metallo partim inaurata compositum ordinem referunt, supra Epystilia cimatium progreditur, itidem inaurato metallo formatum, cui Zophorus nititur ex jaspide, gestans Coronidem ex eodem ære. Supra hanc fastigia cernuntur pariter metallo, & auro composita, sub quibus triangulum est ex pellucido jaspide. Fastigiis superimpositi sunt bini Angeli ex ære, quorum vestes aurum distinguit. Inter hæc fastigia nivis miraculum inaurato metallo cælatum est, cum loculamento è lapide lazzulo, supra illud Coronis comparet, fastigium ex metallo deaurato gestans. Fastigio inhærent tres Angeli ex metallo. Ingens vero spatium inter quatuor columnas lapide lazzulo incrustatur, in cujus medio cellula est cum marginibus ex amatista, ubi B. Virginis effigies à S. Luca depicta cernitur: eam ut plurimum obtegunt duæ tabulę ex pretiosissimo jaspide efformatæ; prædictas margines Zona consequitur ex gem-

Philippus Titus pag. 239.

ex gemmis, deaurato metallo insertis, quæ sola duodecim aureorum millibus æstimatur, & tale ornamentum septem Angeli ex deaurato ære formati sustentant. Super hoc Spiritus Sanctus cernitur ex auro effulgens: delineamenta, ac modulos ejus operis Pompejus Targonus, & Camillus Marianus Vicentinus effecere, Dominicus autem Ferrerus Romanus statuas æreas fusit.

Tit. pag. 238.

In hujus Sacelli ea fronte, quæ Occidentem spectat Solem, hoc incisum est elogium.

SANCTÆ VIRGINI DEI GENITRICI MARIÆ
PAVLVS PAPA V. HVMILIS SERVVS
SACELLVM OBTVLIT
ANNO SALVTIS MDCXI. PONT. VI.

At ea ex parte externa, qua Meridiem spectat hoc aliud.

PAVLVS V. PONT. MAXIMVS
CELEBERRIMAM DEI GENITRICIS IMAGINEM
EX MEDIA BASILICA IN SPLENDIDIOREM SEDEM
A FVNDAMENTIS EXTRVCTAM TRANSTVLIT
ANNO PONT. VI.

Latus, in quo tabula marmorea est hæc verba referens, tiburtino marmore graphicè elaborato circumvestitur, ubi aliquot Statuæ resplendent, videlicèt Sancti Pauli, S. Matthiæ Apostoli Socij, S. Matthæi Apostoli, & Evangelistæ S. Lucæ, & S. Hieronymi Doctoris Ecclesiæ. Hanc faciem externam indicat numisma sub numero XIII. positum.

Ut autem Sacellum magnificè, ac splendissimè absolutum gloria Mariæ compleret decrevit Paulus gloriosam Imaginem ex antiqua Sede in illud transferre, quare Jacobo Serræ Cardinali Thesaurario onus imposuit, à quo fuit constitutum ultima Januarii Dominica peragendum, nimirùm die 27. anni 1613. solemni pompa res peracta fuit, nam eo die iter susceperunt Sodalitates, & Monachi, quos Clerus sequebatur; huic Pontificis Musici adhȩrebant; Succedebat Romanus Senatus cum Conservatoribus, qui per totam Ecclesiam Sacram Imaginem tulerunt, per reliquum verò iter id onus Sancti Petri, & Pauli Equites subjerunt. Post hos vigintiquatuor Canonici ex tribus Patriarchalibus comitabantur, ex quibus octo semper Sacram effigiem gestabant, Collegii Germanici Alumnis adminiculantibus. Hos omnes Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium insequebatur cerea accensa gestantium. Hæc processio à majori Basilicæ porta egressa est, & ad sinistram vergens ad S. Pudentianam, & ad Patritiam vallem deductam per Suburram ad S. Luciam in Silice progressa est; Hinc infrà S. Martinum de Montibus, & S. Praxedem ad viam pervenit, ducentem ad Lateranum.

Dum Sacra Imago ex Basilica educeretur centum mortaria ænea personarunt igne explosa, totidem dum reportaretur. Pontifex Paulus in Choro supra S. Caroli ȩdiculam genibus flexis fuit præsens, donec omnia essent absoluta. Hæc omnia enarrat in sua historia Paulus de Angelis, qui aderat, additque quòd mense tunc Januario nec frigora, nec imbres dominabantur, sed aeris tranquillitas Ver imitantis, quæ usque ad totam octavam perduravit, qua absoluta protinùs imbres ceciderunt; *Nimirùm* (ait ille) *ut Christifideles cognoscerent, quàm grata B. Virgini hæc solemnia extiterint*. Eandem Sacram pompam in suis Diariis Paulus Alaleona Cȩremoniarum Magister enucleatius his verbis retulit. *Dominica die* 27.

Libb. 11. cap. 18.

„ *Januarii 1613. manè fuit portata imago Beatissimæ Virginis processionaliter, accom-*
„ *modata supra feretrum, delatum à Canonicis trium Patriarchalium Ecclesiarum*
„ *sub Baldacchino, substentato per milites Sancti Petri, & Pauli, & ultimo loco per*
„ *Senatorem, & Conservatores, & Capita Regionum Urbis collocanda in Capella*
„ *Paulina, quam S. D. construendam curavit suis sumptibus. Papa interfuit, sed*
„ *non in processione in eadem Cappella in loco ornato super altare S. Caroli.*


„ *Dum portabatur dicta Imago, cantarunt Cantores Cappellæ Papalis* Ave Maris Stella,

„ Stella, *respondentibus Fratribus Religiosis Mendicantibus, Monacis S. Praxedis,*
„ *Curatis Parochialium, Canonicis Collegiatarum, Canonicis, & Capitulis, eunti-*
„ *bus cum Crucibus, & Pavilionibus. Via fuit parata paramentis sericis, & Pro-*
„ *cessio exivit per portam principalem Ecclesiæ, & vertit ad Cappellam Sixti V. &*
„ *descendit per montem, & per viam S. Pudentianæ ivit ad Suburram, deindè ver-*
„ *sùs S. Martinum, & S. Praxedem rediit ad Ecclesiam S. Mariæ Majoris. Seque-*
„ *batur Sacram Imaginem D. Patriarcha Hierosolymitanus paratus pluviali, & mi-*
„ *tra. Sequebantur Eminentissimi Cardinales. Dicta Imago fuit collocata ante Cap-*
„ *pellam Paulinam, & fecit cantare* Te Deum, *quo absoluto dictæ sunt Orationes,*
„ *& Papa concessit Indulgentiam plenariam pro tota Octava.* Hucusque Alaleona in Diariis à se conscriptis.

Hisce peractis Pontifex Organum construendum curavit, Musicis assignans 300. nummorum dotem in singulos annos hac conditione, ut in Sabbatis, & festivitatibus B. Virginis Sacras Lytanias decantarent. Addidit præterea huic Sacello supellectilem auream, & argenteam, Crucem scilicèt magnam argenteam ponderis libr. 128. pretii 2150. aureorum, sex Candelabra argentea inaurata cum argenteis æqualibus libr. 156. pretio 300. scutorum. Duodecim Apostolorum statuas argenteas pretio 600. aureorum. Duo magna Candelabra argentea ad gradus Aræ ad funalia substinenda libr. 114. pretio 1400. aureorum. Sex varia Sanctorum Capita argentea libr. 114. pretio 2030. aur. Sex bracchia Sanctorum argentea cum parastatis libr. 69.÷ pretio 1200. duo fercula argentea cum parastatis libr. 23. pretio 500. nummor. Coronicem gemmis distinctam pretio 12. mill. aureorum. Lampadem argenteam libr. 31. pretio 500. numm. Pixidem pro Sanctiss. Eucharistia servanda libr. 1.÷ pretio 30. numm. S. Agnetis reliquiarum ferculum cum parastatis ex inaurato argento octo rubinis circumdantibus cristallum ad Stellæ figuram libr. 3. pretio 300. numm. Sex Vascula argentea pro floribus sustinendis lib. 24. pretio 400. numm. Calicem aureum cum patena adamantibus, rubinis, zaphiris, & smaragdis ornatum libr. 3. unc. 8. pretio 800. aureorum. Sex Calices argenteos lib. 10. pretio 300. numm. Quatuor polubra argentea cum aqualibus lib. 18. pretio 145. Duas aureas rosas 1000. aur. pretio. S. Emerentianæ Virginis, & Martyris reliquiarum ferculum è montano cristallo maximo artificio elaboratum, gemmis, & auro exornatum. S. Cæciliæ Virginis, & Martyris reliquiarum ferculum mira arte ex auro confectum, adamantibus, ac variis gemmis insigne. Quatuor Candelabra argentea unà cum Cruce, & lampade pro Sanctæ Franciscæ ædicula, totidem pro opposita, S. Caroli; Manum argenteam pro S. Gregorii Papæ VII. reliquia conservanda; Duo diademata aurea gemmis distincta; Angelorum par nobile ex auro; Monilia aliquot prætiosissima, & torques aureos gemmis variegatos pro ornatu Imaginis Sanctissimæ Virginis. Ultra hæc aliam quoque supellectilem innumerabilem, atque pretio inæstimabilem ad Altarium Sacerdotum, & Ministrorum altaris usum, ornatumque eidem Sacello contulit: Collegium Sacerdotum, qui rem Divinam ibi quotidie perpetuo facerent, constituit, edito de hac re diplomate. In monimentum hujus insignis pietatis Pauli V. extat in Templo marmorea tabula cum inscriptione.

Bzovius in vita Pauli pag. 15.

SANCTÆ VIRGINI DEI GENITRICI MARIÆ
PAVLVS PAPA V. HVMILIS SERVVS
SACELLVM OBTVLIT
ANNO SALVTIS MDCXI. PONTIF. VI.



PRO

XVI

PRO TVI NOMINIS GLORIA.

XVII

FVNDA NOS IN PACE ANNO MDC.XII.

PArùm fuerat Paulo V. Ædem hanc incomparabilem excitaſſe, marmore, gemmis, auro, argento, ſtatuis, picturiſque exornaſſe, ad Dei, & Divæ Parentis cultum augendum, niſi etiam æternitati vim inferre voluiſſet in erigenda Statua coloſſea ærea ejuſdem Reginæ Cælorum, quæ univerſam Urbem ex Eſquilino perſpiceret. In ruinis Templi Pacis, quod omnium maximum ab Imperatore Veſpaſiano ædificatum temporibus Commodi conflagravit, extabat Columna ſtriata marmorea admirandæ altitudinis, quæ fornicis latus annexum fulcire videbatur. Eam Paulus V. inde tolli, atque in Exquilini montis aream meridionalem transferri, in platea baſim excitari, & ante Liberianam Baſilicam æream Virginis, Salvatorem geſtantis ſtatuam, ac inauratam collocari præcepit, ut monumentum honoris, & Cultus Deiparæ ſanctiori loco omnibus occurreret.

Bzovius in vita Pauli pag. 16.

Antiquorum fuiſſe morem ſigna ſuorum Deorum ſuper Columnas collocandi habemus ex Tito Livio lib. 10. Decad. 4. ubi ait. *Signa in Circo maximo cum Columnis, in quibus ſuperaſtabant evertit*, & Tertullianus in lib. Spectaculorum loquens de Circo: *Columnas Seſsias à Sementationibus, Meſsias à meſsibus, Tutelinas à Tutelis fructuum ſuſtinent. Ante has tres Aræ trinis Diis patent, magnis, potentibus, valentibus*, & alibi. *Frigebat Dæmonum conſilium ſine matre magna. Ea itaque illic ſic præſidet Euripo.*

Saniùs profectò Paulus Dei Matrem extulit in Columna ſingulari pietate, & veræ religionis ſtudio permotus. Laborioſum opus abſolvit Carolus Madernus Mediolanenſis Architectus, Statuam autem primum ex argilla confecit Gulielmus Gallus, ex ære deindè formavit Dominicus Ferrerus. Hujus ſimulachri altitudo viginti palmos explet, Columnæ verò palmos ſeptuaginta quinque ſine baſi, & periſtilio. Ejus diameter octo palmos æquat, illamque ſtriatam cernimus. Tota autem à ſuperficie plateæ cum ſtatua, & baſi ad palmos centum ſeptuaginta quinque aſſurgit.

Balleonus pag. 308.

Titus pag. 224.

Ex Diariis Pontificiis habemus, talem imaginem æneam, *Feria 6. die 18. Julii fuiſſe collocatam ſupra Columnam ante Baſilicam ſuperioribus diebus erectam, quarum unam benedixit juxtà ritum Pontificalis, & alteram exorcizavit R. D. de Curtis Epiſcopus Iſermieñ; Senior Vicarius Baſilicæ S. Mariæ Majoris cum Capitulo, & Clero, & fuerunt exoneratæ Bombardæ.*

Ut autem cunctos iſtud Orbis miraculum aſpicientes ad devotionem excitaret Pontifex, omnibus, qui eamdem Sacram Imaginem venerantes genuflexi ante illam pias ad Deum preces effudiſſent, quibus diebus id egiſſent, tres annos, & totidem quadragenas indulgentiarum largitus eſt.

Bzov. ibid.

Ad Columnæ baſim aquam Fœlicem conduxit, & Fontem communi utilitati condidit. Balthaſſar Anſideus Peruſinus Baſilicæ Vaticanæ Cuſtos baſi titulum inſcripſit, ut ſequitur.



PAV-

PAVLVS V. PONT. MAX.
COLVMNAM VETERIS MAGNIFICENTIÆ MONVMENTVM
INFORMI SITV OBDVCTAM,
NEGLECTAMQVE EX IMMANIBVS TEMPLI RVINIS,
QVOD VESPASIANVS AVGVSTVS ACTO DE IVDÆIS TRIVMPHO,
ET REIPVBLICÆ STATV CONFIRMATO, PACI DICAVERAT,
IN HANC SPLENDIDISSIMAM SEDEM AD BASILICÆ LIBERIANÆ
DECOREM AVGENDVM SVO IVSSV EXPORTATAM,
ET PRISTINO NITORI RESTITVTAM,
BEATISSIMAE VIRGINI,
EX CVIVS VISCERIBVS PRINCEPS VERÆ PACIS GENITVS EST,
DONVM DEDIT,
ÆNEAMQVE EIVSDEM VIRGINIS STATVAM FASTIGIO IMPOSVIT
ANNO SAL. MDC.XIV. PONTIF. IX.

Hanc inſcriptionem referens Martinellus in ſua Roma ſcripſit loco Anno Salutis, Anno Domini, ſed falsò. Pag.324.

Antonius Querengus Utriuſque Signaturę Referendarius, lateribus ejuſdem baſis jambos addidit.

Averſo à Baſilica lateri.

IGNIS COLVMNA
PRÆTVLIT LVMEN PIIS
DESERTA NOCTV,
VT PERMEARENT INVIA
SECVRI, AD ARCES
HÆC RECLVDIT IGNEAS,
MONSTRANTE AB ALTA SEDE
CALLEM VIRGINE.

Dextero.

IMPVRA FALSI TEMPLA
QVONDAM NVMINIS
IVBENTE MOESTA
SVSTINEBAM CÆSARE,
NVNC LÆTA VERI
PERFERENS MATREM DEI
TE PAVLE NVLLIS
OBTICEBO SÆCVLIS.

Siniſtro.

VASTA COLVMNAM MOLE,
QVÆ STETIT DIV,
PACIS PROPHANA IN ÆDE
PAVLVS TRANSTVLIT,
IN EXQVILINVM QVINTVS
ET SANCTISSIMÆ,
PAX VNDE VERA EST,
DEDICAVIT VIRGINI.

Hanc

Hanc Columnam duplex à nobis propositum numisma ostentat, quorum secundum annum profert *1613.*, non *1614.* prout in supra allata inscriptione dicitur, non tamen veritati obest, cum cusum illud fuerit, antequam inscriptio apponeretur.

❦ XVIII ❦

ECCLESIAM SANCTAE MARIAE IN CAMPITELLO CONGREGATIONIS MATRIS DEI VNIVIT ANNO M DC XIX.

IN subjecta planitie, cui Collis imminet Capitolinus, extat Ecclesia, quæ à vocabulo *Campitelli* nomen desumit, à quo etiam hæc area, & ipsa Regio vocitatur. Nomen autem diminutivum idem sonat, ac paruus Campus, à comparatione videlicèt cum majore Campo, de quibus Donatus noster ità suam mentem aperuit, inquiens. *A monte Quirinali, ubi nunc Palatium Pontificis ducenda est ad Tyberim linea, quæ per Collegium Romanum Pantheon, Campumque Floræ perducta ad ædes Farnesiorum in Tyberim desinat, erit Campus Martius; quidquid extra lineam erit, relinquitur propinquiùs Capitolio, erit minor Campus;* ergo hæc regio Campitelli omnibus proximior sit Capitolio, & vulgo etiam appelletur *Regio Capitolii*, proculdubio ità vocata est hoc diminutivo Campitelli. In hac igitur regione (resumo) Ecclesia sita est Beatissimæ Virgini dicata; Hujus primævę originis tempus quamvis nos lateat, non tamen latet annus, quo sacro Oleo delibuta est per Honorium III. è clarissima Sabellorum gente mense Aprilis anno 1217. cujus consecrationem docebat olim marmoreus lapis, cui incisa erant hæc verba.

In nomine Domini Amen.
„ Anno 1217. Pontificatus D. HONORII III. Papæ anno eius II. Mensis
„ Aprilis indictione VI. Consecrata est Ecclesia hæc ab eodem Summo Pon-
„ tifice, & Vniuersali Papa: per eius Sanctas Manus reconditæ sunt in hoc
„ Altari B. MARIÆ VIRGINIS multæ Reliquiæ SANCTORVM, & SAN-
„ CTARVM.

Exemplum hujus antiqui lapidis exscripserunt Patres Sacræ Visitationis Apostolicæ pridie Idus Junias sub annum *1604.* exscriptumque exhibet Codex ejusdem Sacræ Visitationis ad pag. *2096.* quem servat Ta bularium Rom. à Secretis Eminentiss. Card. Vicarii.

Splenduit hęc Sacra Ædes pluribus marmoreis tumulis eorum, quos Senatoria toga decoraverat, magisque venerabunda extitit ob Sanctorum reliquias, quas asservabat. Senio autem fatiscens à Paulo V. dato diplomate 18. Kalen. Februarii *1618.* quod incipit *In Apostolicæ Dignitatis culmine*, concessa fuit Clericis Congregationis Matris Dei cum Sanctorum reliquiis, & supellectilibus suis, ubi suppresso titulo Parochi, & Sæculari Clero ejus Parochiæ, Onus curandarum animarum transtulit ad Patres ejusdem Congregationis. Quamobrem inita per eosdem illius possessione Ecclesiam jàm collabentem, quod jàm cautum erat in eo diplomate, illicò demoliti sunt Patres sub anno consequenti *1619.*, & maturiùs expenso ambitu novæ, ampliorique Ecclesiæ ædificandæ peropportuno, nacti sunt proximam domum DD. de Riccia, eoque, corrogatis in id scutis septem millibus confectis tabulis per acta Bonincontri Notarii Capitolini 8. Kal. Februarii anno præfato *1619.* positi sunt. Patres ex ejusdem Domus possessione illicò ingenti perfusi sunt gaudio, quod non prophanum quidquam recenti construendæ ædi elegerint, sed nobiles ædes olim inclytæ Familiæ de Albertonibus, in quibus hanc lucem sortita fuit B. Ludovica, quæ illic Tyrocinium Sanctitatis posuerat. Hic igitur è regione alterius Palatii Palutiorum de Albertonibus construi cœpta nova

ædes,

ædes, effossisque fundamentis solemni Ritu, servatisque omnibus, quæ Codex Pontificalis præscribit, Joannes Garzias Card. Millinus Patritius Romanus, & Pauli V. in Urbe Vicarius primum lapidem posuit, cui incisa erat inscriptio.

MR ΘY
PAVLO V. P. O. M.
IOANNES GARZIA S.R.E. CARDINALIS MILLINVS
TIT. SS. QVATVOR CORONATORVM PAPÆ VICARIVS,
TEMPLVM, QVOD CONGREGATIO MATRIS DEI
DEIPARÆ NATALIBVS CVRAVIT EXTRVENDVM
PRIMVM HVNC LAPIDEM A FVDAMENTIS CONIECIT.
VI. IDVS MAII M DC. XIX.

Conjecta etiam cum hoc lapide fuerunt in fundamenta nonnulla numismata, quorum pars altera exhibebat effigiem Pauli V. his verbis circumdatam: PAVLVS V. BVRGHESIVS PONT. OPT. MAX. ANNO XIV. Ex altera parte; ECCLESIAM SANCTAE MARIAE IN CAMPITELLO CONGREGATIONIS MATRIS DEI VNIVIT. Ejusmodi est numisma à nobis propositum. Quædam alia numismata in Fundamenta conjecta præferebant in altera parte effigiem Cardinalis Joannis Garziæ Millini cum hoc lemmate. IOANNES GARZIA S. R. E. PREBBYTER CARD. MILLINVS TIT. SS. QVATTVOR CORONATORVM, & in altera inversa, ECCLESIAM S. MARIAE IN CAMPITELLO CONGREGATIONIS MATRIS DEI OBTINVIT, NOVAEQVE CVRANDAE PRIMVM LAPIDEM POSVIT ANNO SALVTIS M DC XIX.

Neque tantùm præfatus Cardinalis benemeritus fuit de hoc cętu, & ædificio; verùm etiam Hieronymus Serlupius Clericorum Camerę Apostolicæ Decanus, Marchio Balthassar Palutius de Albertonibus, & Marchio Paulus Capizucchius, quibus propterea Patres plurimùm se debere profitentur.

Domus itaque coempta nonnullæ tantùm portiones evaserunt in recentem Ecclesiam, Atrium videlicèt, & Conclavia aliqua, lacunarque deauratum, quo primùm tegebatur Aula, peropportunè in lacunar Ecclesiæ versum est, addita & in horto abside: sub annum postea 1642. omnes Vires adhibuerunt in ea amplianda, & ornanda. Erexerunt hi septem Aras, inter quas maximam natalibus Beatę Virginis Marię, ibique locaverunt antiquissimam Imaginem Deiparæ lac prębens parvulo Jesu, quę antiquitùs supra fores veteris Ecclesię depicta in sui venerationem omnes alliciebat. Parietem eam continentem ità secuerunt, ut ea integrè asservata, splendidiore illo consisteret in loco. Supra fores Ecclesię facti indicem lapidem marmoreum cum hoc elogio erexere.

D. O. M.
QVVM HONORIVS III.
EX INCLYTA SABELLORVM GENTE ANNO SAL. M CC XVII.
SACRIS DEIPARÆ NATALIBVS ECCLESIAM CONSECRAVIT.
PAVLVS V. ANNO DOMINI M DC XVIII.
CLERICIS REGVLARIBVS MATRIS DEI ATTRIBVIT.
IOANNES GARZIAS MILLINVS VRBIS VICARIVS
NASCENTI VIRGINI OMNINO RENASCENTE
FVNDAMENTALI LAPIDE IACTO
AVSPICATVS EST.
INNOCENTIO X. P.O.M. REGNANTE
MARCVS ANTONIVS CARDINALIS FRANCIOTTVS
DONATVM A MARIO CARDINALE GINNETTO,
SANCTITATIS SVÆ VICARIO
D. VINCENTIÆ MARTYRIS CORPVS IN ARA MAXIMA PONENS
SOLEMNI POMPA DEDICAVIT.
V. NON. MAII ANNO AB ORBE REDEMPTO M DC XLVIII.

XIX

ET TU FRANCISCA SANCTA VOCABERIS.

Francisca nobilis Matrona Romana, quę ab ineunte ętate illustria dedit virtutum exempla, postquam Laurentio de Pontianis, juveni ęque diviti, ac nobili nupserat, Parentum voluntati obtemperans, in matrimonio arctioris vitæ propositum semper retinuit, in id verò maxima sollicitudine incumbens, ut Matronas Romanas à pompis Sęculi, & ornatus vanitate revocaret. Quapropter Oblatarum sub Regula Sancti Benedicti Congregationis Montis Oliveti in Urbe instituit, & Viro defuncto ad prædictam domum convolans nudis pedibus, fune ad collum alligato, humi prostrata, multis lachrymis earum oblatarum numero adscribi suppliciter postulavit. In ea omnium virtutum splendor emicuit, prophetiæ Dono à Deo insignita migravit ad Dominum Anno ætatis suæ quinquagesimo sexto.

Ex Lectionibus Breviarii Romani.

Post ejus mortem Illustrissimus Andreas Episcopus Auximanus Eugenii IV. Summi Pontificis in Urbe Vicarius jussit testes oculatos in examen adduci, ut miracula recenserentur pro ejus Canonizatione impetranda. Anno deinde millesimo quadrigentesimo quadragesimo Religiosi è Monte Oliveti, dicti *Olivetani*, ab Eugenio IV. impetrarunt, ut secundus processus formaretur, deinde tertius sub Nicolao V. fuit absolutus; Affirmat Pius II. in suis Commentariis sibi petitam fuisse ejusdem Canonizationem, & Volateranus addit Julium II. eam decrevisse anno 1487. Clemens postea VIII. jussit omnia acta ad trutinam revocari à tribus Romanæ Rotæ Auditoribus Seraphino Oliverio, Hieronymo Pamphilio, & Garzia Millino.

Mortuo Clemente, Paulus V. merita recolens hujus Beatæ Fœminæ, supplicante inclyto Populo Romano in gratiam quoque Familię suæ Burghesianæ, à qua illa ortum duxerat, eam solemni pompa in Sanctorum numerum retulit anno 1608., quo Numisma propositū in ejus rei monumentum cusum fuit, Pontificem Summum repræsentat, Patrum Collegio stipatum, ac supplicem libellum pro Canonizatione recipientem. Solemni pompæ præcesserunt (ut moris est Consistoria, quorum in suis Diariis meminit Paulus Alalcona Magister Sacrarum Cæremoniarū his verbis.

„ Feria secunda die 28. Aprilis fuit Consistorium secretum in Aula, sivè *Galleria* nuncupata, Palatii Apostolici apud Aulam Clementinam, in quo januis „ clausis Cardinalis Pinellus, Caput Congregationis Sacrorum Rituum fecit relationem de puritate vitæ, ac miraculis, B. Franciscæ Romanæ de Pontianis canonizandæ, an sit ulteriùs procedendum, & fuit resolutum, ut procedatur ad „ ulteriora per verbum *Placet*. Interfuerunt triginta quatuor Cardinales.

„ Die autem sexta Maii fuit Consistorium publicum in Aula regia pro actu „ Canonizationis, in quo Consistorio habuit orationem de Vita, & miraculis ejusdem Hieronymus de Rubeis Rom. Advocatus Consistorialis. Interfuerunt viginti novem Cardinales. Absoluta oratione respondit pro Papa D. „ Petrus Strozzius Florentinus, Secretarius Brevium S. D. N.

„ Die 29. Maii, feria tertia post Pentecostem die anniversario Coronationis S.D.N. pro inchoatione anni ejus quarti Pontificatus idem solemniter cum „ solitis Cęremoniis canonizavit D. Franciscam de Pontianis Romanam Fundatricem Congregationis Oblatarum Turris Speculorum in Basilica S. Petri precibus totius Populi Romani.

Actum ipsius Canonizationis describit Paulus Alaleona pro quo celebrando Populus Romanus expensas subministravit, curantibus aliquot Viris nobilibus electis, qui referuntur in Vita ejusdem S. Franaiscæ anno 1675. impressa Romæ lib. 5. cap. 21. idest Equite Octaviano Crescentio, Alexandro Muto, Tyberio Astallo, Prospero Jacovaccio, Raphaele Casalio, Paulo Millino, Joanne Petro Cafarello, & Mario Matthæio.

In Diariis.

Ex suffragiis, quæ Patres Purpurati Summo Pontifici obtulerunt, in eodem capite

capite recensetur suffragium Eminentissimi Cardinalis Roberti Bellarmini, ex cujus authoritate, pietate, ac sapientia omnibus notissimis, non parum decoris Sanctissimæ Fœminę accessit. Hæc ille pronunciavit.

[Versamur hodie Pater Beatissime in negotio arduo & difficili; fortasse etiam in negotiorum omnium maximo. Quamvis enim Sanctorum, qui cum Christo regnant in Cælis tam ingens sit numerus, ut B. Joannes in Apocalypsi dixerit; vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, tamen pauci sunt, quos Deus singulari providentia sua elegit, ut eis per Vicarium suum in terris publici decernerentur honores. Neque enim ad hanc excellentiam satis est ut coram Deo Sancti sint; sed oportet, ut certissimis documentis probetur, eos dum viverent, veræ sanctitatis gloria aliis præluxisse; & in eadem sanctitate diem extremum clausisse, & demum post mortem carnis, animas eorum ad æternam beatitudinem pervenisse. In horum paucorum sed felicissimorum hominum numerum Beatam Franciscam Romanam referri posse meritò jureque optimo credimus, nam ex diuturna & accurata discussione satis constitit, eam non solum vitę sanctitate sed etiam signis & prodigiis divinis, & dum viveret, & post obitum claruisse. Accedit etiam quòd cum ji qui in album Sanctorum referuntur quasi faces clarissimæ in edito loco ponantur, ut multis mortalibus viam ad perfectionem ostendant; Beata Francisca omni ætati, omni sexui, omni gradui exemplar virtutum proponetur. Quippe quæ ab ipsa infantia multis annis Virginitatem coluit; aliis non paucis, in casto conjugio versata est; postea etiam laboriosam viduitatem exercuit; ad ultimum vitam Religiosam & perfectam in Monasterio duxit. Itaque & Virginibus, & Coniugatis, & Viduis, & Sanctimonialibus ejus declarata sanctitas mirifice proderit: quare censeo finem huic tanto negotio jam tandem per Sanctitatem vestram omnino esse ponendum.]

XX

S. AGNETIS . ET . EMERENTIANAE . OSSA . HONORIFICATA.

Extra Urbis mœnia ad viam Numentanam duo Templa extant, alterum forma rotundum viginti quatuor columnis marmoreis quadruplici ordine sustentatum, ornatumque opere tessellato. In medio est altare, quod Alexander IV. anno 1256. consecravit sub invocatione S. Constantiæ Virginis, filię Constantini Imperatoris. Atticæ Arthemiæ, & Emerentianę Virginum, ibidem reliquiæ cum corpore ejusdem Constantiæ reconditæ sunt. Illud fuse describit Illustrissimus Ciampinus lib. de Sacr. Ædif. cap. 10. alterum illi proximum B. Agneti dicatum in gentilitio ejusdem Divæ prædio, ubi parentes ejus Sacrum Corpus condiderunt, excitatum à Constantino Imperatore precibus suę filię Costantię, quę ibi virginitatem perpetuò vovit, atque servavit. Constantinus autem centum septem mille aureos donavit, & redditus annuos duo mille septigentos octuaginta aureos assignavit. Verùm quis fuerit hic Constantinus, & hæc Constantia dubium videtur; stante varietate opinionum, de quibus Cesar Card. Baronius in Annal. ann. 324. n. 108. & acta Bollandiana in notationibus ad vitam hujus Sanctę. Habet valvas æneas, columnas quatuordecim magnas, singulis alias parvas impositas. Inter magnas, duæ ex alabastro, quibus majores in Urbe non vidimus. Lithostrotum ex marmore, albi, viridis, & purpurei coloris, candelabra sex antiqua ex vicino S. Constantię templo translata, bases habent trigonales, in quibus aues humana facie, capita Arietum, & pueri vuas decerpentes. Hic ab exilio rediens Liberius Papa habitavit, qui S. Agnetis sepulchrum marmoreis tabulis ornavit. Ibi Canonici Regulares S. Salvatoris loco Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti pridem collocati sunt. Dormitorium vetus adhuc superest absque divisione cellarum. Descensus in Templum fit per gradus triginta duos. Hoc Innocentius Basilicę titulo decoravit. Hic Bonifacius

P. Mabil. pag. 83. Tom. I. Musæi Ital.

Papa Baptismum Paschæ celebravit. Hujus Basilicæ absidem, omnemque Basilicam Symmachus Papa renovavit, quam à solo restituerunt Honorius I. & Adrianus, dicente Ciacconio, *Honorius Primus novam excitavit. Idem S. Agnetis Martyris, quam undique exornavit. Ornavit item Sepulchrum ejus ex argento, posuit, & desuper Ciborium æneum deauratum miræ magnitudinis pen... lib. 252. fecit absidem ejusdem ex musivo, in quo hæc circumposita carmina legebantur musivo item opere exarata*, relata à P. Oldoino.

Tom. 1. col. 442.

Aurea concisis surgit pictura metallis
Et complexa simul clauditur ipsa dies
Fontibus è niveis credas Aurora subire
Correptas nube ruribus arva rigans

In eodem apsidis Hemicydo recta linea quatuor prima, deinde quæ sequuntur posita sunt.

Vel qualem inter Sydera lucem profer irim
Purpureusque Pavo ipso colore nitens
Qui potuit noctis, vel lucis reddere finem
Martyrum è bustis hinc repulit ille chaos
Sursum versa nutu, quod cunctis cernitur uno
Præsul Honorius hæc vota dicata dedit
Vestibus, & factis signantur illius ora
Lucet, & aspectu lucida corda gerens.

De Adriano autem sic loquitur Anastasius, *Ecclesiam B. Agnetis Martyris, seu Basilicam B. Emerentianæ pariter, & Ecclesiam B. Nicodemi sitam foris portam Numentanam à novo renovavit.*

Pag. 93. In hac igitur Basilica, preces suas interponente Cardinali Sfondrato ejusdem Basilicæ protectore (ut refert Balleonus) Paulus V. SS. Virginibus, Agneti, & Emerentianę Aram ex pretiosissimis lapidibus erexit, earumque Sacra Pignora in Arca argentea recondidit. Fuit hæc Arca libr. 250. quinque aureorum millibus æstimata, non magis materia, quam arte prætiosa. In ea cum Pontificis insignibus hoc legitur Epitaphium.

PAVLVS V. PONT. MAX.
VT SANCTARVM AGNETIS, ET EMERENTIANÆ,
CORPORA HONORIFICENTIVS CONDERENTVR
ARCAM HANC ARGENTEAM FIERI IVSSIT,
IN EAQVE SACRAS RELIQVIAS COLLOCAVIT,
ANNO DOMINI MDCXV.
PONTIF. XI.

Altari imposuit Ciborium nobilissimum pulcherrimorum varietate lapidum constructum, quatuor Columnis è porphiretico lapide suffultum, non autem ex *Jaspide*, (ut enarrat in suo Museo Italico R.P. Mabillonius) sub Ciborio Divę Agnetis simulachrum, cujus caput, & brachia ex ęre deaurato, cętera ex alabastro, Nicolao Corderio, vulgò *Franciosino* Sculptore. In ejus Ciborii corona ejusmodi verba leges.

PAVLVS V. PONT. MAX.
ANNO SALVTIS M.DC.XV.

Dictarum Sanctarum Ossa in suprà indicata Arca argentea ab ipso Paulo Pontifice, Sacro Cardinalium adstante Collegio, maximo Cleri, Populique Romani concursu post Sacrum ab ipso Pontifice solemnissimè celebratum die 14. Junii anno 1615. conclusa sunt, prout in suis Diariis recensuit Paulus Alaleona his verbis.

Domi-

„ Dominica, die SS. Trinitatis 14. Junii 1615. fuit Cappella in Ecclesia S. Agne-
„ tis Virginis, & Martyris extra mœnia Civitatis in via Numentana, in qua Papa
„ Missam cantavit pontificalitèr, qua absoluta Papa reposuit sub Altare fictitio,
„ in quo celebravit sacra Ossa Corporum dictarum SS. Agnetis, & Emerentianæ
„ inclusa intùs Capsam argenteam ponderis libr. 225. quam Capsam Papa suis ex-
„ pensis curavit fieri, & pro hac solemni die Papa concessit Indulgentiam plena-
„ riam per totam Octavam omnibus visitantibus dictam Ecclesiam, & in repositio-
„ ne Capsæ argenteę fuerunt exoneratę bombardæ.

Sacram ejus actionis pompam recolit Numisma tunc temporis publicatum in quo Ciborium exprimitur, videlicèt Tholus rotundus Altari impositus, & quatuor Columnis suffultus, juxtà morem Christi fidelium ex pia, & laudabili majorum consuetudine, ut ferè in omnibus antiquissimis Altaribus patet. S. Germanus Episcopus Constantinopolitanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum inquit: *In Ciborio construendo quidnam considerent, aut faciant SS. Patres in Altarium constructione?* atque hęc subdit: „ Profectò quod valdè magnificum, & pręclarum, ac in eis inhabitante Spiritu dignum opificii Divini modum imitati sunt, quatenùs homini licet imitari, conficereque Divina, atque ut Cælum, quod suprà sacram Mensam eminet, laquearium conficiunt, ut totam terram pręfiniant, quod à quatuor Columnis ejus, quod Ciborium appellatur, conclusum, aut circumscriptum Sacrum solum, in quo completur, & propheticus sermo inquiens: *Operatus est salutem in medio terræ.*

In Bibliot. PP. to. 13.

XXI

INTER SANCTOS REFERT CARDINALEM BORROMEVM M.DC.X.

Divus Carolus Mediolani nobili Borromeorum familia natus, quantum futurus esset Sanctitate conspicuus, divina lux super parientis Matris cubiculum noctu coruscans pręsignavit. A Pio IV. ejus Avunculo in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, insigni pietatis, ac virtutum omnium splendore pręluxit, ob quas eum vocavit *Lucernam Israel*, Gregorius XIII. *Magnum Ecclesiæ Luminare*, Clemens VIII. *Purpuratorum Patrum exemplar*, B. Pius V. *Oculum Apostolicum*, Paulus V. *Alterum Ambrosium*, Gregorius XIV. *Urbem in excelso positam*, Cardinalis Sirletus. *Angelum sub humano Corpore*, Cardinalis Morosinus *Sanctitatis lumen.* Roggerius Trittonius *Virum prodigiosum.* Stanislaus Roscius *Dei familiarem. Episcoporum Speculum, Purpuratorum ideam: Italiæ Decus, Orbis Christiani Gloriam*, Andręas Valladerus. *Orbis totius Tutelarem, ac Patronum.* Franciscus Sacchinus. *Virtutum denique Oceanum* Achilles Gagliardus ejusdem S. Caroli amicus. Hunc miraculis, postea clarum Paulus V. Pont. Max. in Sanctorum numerum retulit. Antequam Sacra Canonizationis Pompa indiceretur tria Consistoria pręcesserunt, quorum primum ait Paulus Alaleona in suis Diariis, „ Fuisse feria 2. die 30. Augusti anni 1610. in quo Cardinalis Pinellus Decanus „ Sacri Collegii, & Caput Congregationis Sacrorum Rituum fecit relationem de „ vita, & miraculis B. Caroli Borromei, & fuit resolutum, *ut ad ulteriora procederetur*, secundum memorat Joannes Petrus Giussanus in Vita S. Caroli, quam Summo Pontifici Paulo V. inscripsit, refertque, habitum fuisse 14. Septembris, in quo Julius Roma, Consistorialis Advocatus, post eruditam Orationem, latinè habitam, Canonizationem efflagitavit nomine Regis Hispaniarum, & aliorum Principum, cui Illustrissimus Præsul Strozza à Secretis Pauli V. respondit, rem totam Summum Pontificem Deo commendaturum. De tertio denique Consistorio ità scripsit idem Alaleona. „ Die 20. Septembris fuit Consistorium semipublicum „ pro Canonizatione ejusdem. Papa habuit Orationem de vita, & morte B. Ca- „ roli, qua absoluta, omnes dederunt vota, esse Canonizandum, & Papa statuit „ Canonizationem pro prima die Novembris, festo Omnium Sanctorum.

L. 7. Brev. 4. Novemb.

His ritè peractis feria secunda (sequitur idem Author) „ Prima Novembris

1610.

„ 1610. D. Papa in Basilica S. Petri in Catalogum Sanctorum ascripsit Beatum
„ Carolum Borromeum cum solitis Cæremoniis, pręsentibus 37. Cardinalibus, 45.
„ Episcopis, cęterisque solitis, & omnia servata fuerunt, prout in aliis Canoniza-
„ tionibus. Ex quibus verbis patet, errasse qui scripsit in libro cui titulus *Ristretto*
„ *di Roma moderna* impresso à Michaele Angelo de Rubeis fuisse celebratam Canonizationem anno 1605.

Success. della Veneratione di S. Carlo.

Pręcesserant quatuor Canonizationes spatio ferè triginta annorum in Basilica Vaticana celebratæ, scilicet SS. Didaci, Raimundi, Hiacynthi, & Franciscæ Viduæ Romanæ, verùm omnibus hujus Sacra Pompa, & Apparatus longè antecelluit. Illam luculentèr enarrat Aurelius Grattarola à capite 48. usque ad septuagesimum, quam nos paucis hic exponemus.

Pendebant ex parietibus amplissimæ Vaticanæ Basilicæ Serica cum auro texta peristromata: Sub maximo Tholo Theatrum erexit ligneum Hieronymus Raynaldus Architectus, quod Columnæ jonici ordinis exornabant, è solo palmis quadraginta elevatum, & extensum ad latitudinem palmorum centum, & quinguaginta sex: Columnis singulis, Candelabra imposita erant numero septuaginta tria, palmis septem alta, inter quæ alia bis centum, ac decem minora collocata cereas faces, ut alia majora sustentabant. Sub arcubus, quos columnę fulciebant triginta novem ampla Numismata palmorum octo latitudinem habentia pendebant, in quorum singulis Antonius Tempesta Pictor egregius pręclaras actiones D. Caroli additis Elogiis suo pennicillo expresserat. Extra hoc Theatrum gradus permulti coronam efficiebant, in quibus innumeri Spectatores ejus sacrę actionis ritus percommodè intuebantur. In hujus molis ligneę fabrica construenda duodecim millia scutorum sunt distributa. Coronicem ejus quatuor centum, & duodecim Cornuacopiæ cum facibus ardentibus exornabant.

Octuaginta alia Coronicem, quæ sub maximo Tholo in girum disposita fuerant. E Tholo contra quatuor majores Parastatas totidem Regiæ Coronæ pendebant viginti palmis amplæ, singulisque triginta duæ cereæ faces impositę irradiabant, omnibus adiecto Borromeorum Symbolo *Humilitas* cubitalibus caracteribus expresso. E centro harum Coronarum quatuor amplissima Vexilla in aere pendula, in quibus S. Caroli Imago effulgebat.

Eminebat in Theatro Sedes Pontificia, aliaque pro Cardinalibus, & Episcopis subsellia, Aræ D. Petri umbella serica, argento, auroque pręedives imminebat ad triginta duos palmos extensa in longitudine, latitudine verò ampla palmos viginti octo, pendulis laciniis septem palmorum, quibus flocci instar argentea Lampas adnectebatur.

Eam umbellam quatuor Angeli è ligno deaurato suprà quadratas bases collocati sustentabant, & umbellæ duo alii impositi Imaginem D. Caroli in ovali tabula expressam ostendentes, quos delineavit Andręas Vaccarius, & Joannes Moggius exculpsit. Exemplar Typis eo anno vulgatum servatur in Bibliotheca Illustrifs. Ciampini.

Tali magnifico, pretiosoque apparatu ità disposito adfuit Summus Pontifex in sublimi Sede delatus, pręcedentibus Clero Urbis, tam sęculari, quàm regulari, omnibus Sacris Antistibus, & Purpuratis Patribus sacris infulis indutis musicis vocibus exceptus.

Ab eodem ritus omnes adimpleti sunt, quos in solemni Canonizatione Cæremoniarum ordo pręscribit, refertque in cap. 59. supracitatus Auctor Aurelius Grattarola, & Paulus Alaleona in Diariis à se conscriptis recensuit.

Hora demùm proxima decima septima Summus Pontifex Sententiam Canonizationis pronunciavit, dignumque edixit Sanctorum Cultu D. Carolum Borromeum, ob quam universæ Urbis Campanæ sonum festivum ędiderunt adiecto Bombardarum strepitu, quæ in Arce Adriani explosę totius Urbis gaudium testabantur.

Post hæc Sacrum Missæ Sacrificium Summus Pontifex confecit, in quo factæ sunt juxtà præscriptum ritum oblationes, consuetasque pro criminibus Indulgentias Cardinalis Pinellus promulgavit.

ET

❧ XXII ❧

ET EXALTAVIT HVMILES.

Verba sunt ex Cantico B. Virginis accepta in circuitu Numismatis disposita, quibus Borromeorum familiam, cæteròque inclytam, ac celeberrimam ad majorem dignitatem Deus extulit in Divo Carolo inter Sanctos adscripto. Humiles dicuntur quot quot ex Borromea Stirpe emicant Proceres, quorum Symbolum est dictio HVMILITAS caracteribus Longobardicis exarata. Adeò enim primis hujus nobilissimæ Familiæ Institutoribus hæc virtus cordi fuit, ut (referente Bartholomæo Gavanto in Panegeri, quam habuit post Canonizationem in Templo S. Caroli) aliqui pro insigne Camelum decumbentem exprimerent, quod Animal humilitatem adumbrat, aliqui verò tres plumas, tamquam humilitatis tropheum, quæ flocci æstimat quid quid maximi facit depravatæ mentis elatio. *Apud Grattarolam della Veneratione di S. Carlo.*

Ob eam causam refert Paulus Moriggia scribens de Rebus mirabilibus Mediolanensibus Comitem Vitalianum, dictum Seniorem, piam domum erexisse, cui S. Mariæ de Humilitate nomen imposuit, in qua singulis annis Pauperibus erogantur septuaginta quinque millia librarum panis, & quatuor Puellę ex honestis familiis, tradita singulis dote, in Matrimonio collocantur. Vitalianum autem Joannes adoptaverat, qui nobilissimam seriem claudebat è Rege Vitaliano propagatam, ut narrat Ripamontius Decad. 5. lib. 1. cap. 1.

Attamen humillimus inter omnes Proavos ob animi demissionem eximiam HVMILITAS pro Symbolo expressit eo modo, quo in Numismate proposito cernimus. Illud duo Cælestes Aligeri sustinent sub aurea Corona, ut gloriam in ea percipiamus, qua Deus D. Carolum in Cælo ditavit, & inter Mortales celebriorem reddidit totam Borromeorum Familiam.

❧ XXIII ❧

DEI AEDIFICATIO EST.

S. CAROLVS.

Templum cernimus exculptum cum Tholo superimposito. Estque illud, quod in honorem Divi Caroli erectum fuit in Via Flaminia, vulgò dicta *il Corso* à Cursu, quem tempore carnis privij equi conficiunt. Dei ędificatio esse dicitur, sicuti olim de Corinthiis dixit D. Paulus, *Dei ædificatio estis*, ut intelligamus structuram ejus nonnisi quàm peculiari Dei providentia absolutam fuisse. 1. Cor. 3. 9.

Eo in loco, ubi magnificum hoc Templum assurgit, fuit olim Templum Divo Nicolao dicatum, magis angustum, quod Mediolanenses à Sixto IV. impetrarunt anno 1571., & à fundamentis restitutum Divo Ambrosio dicarunt. Anno deinde 1512. postquam D. Carolum Paulus V. inter Sanctos adscripsit copiosis piorum eleemosynis aliud augustius excitarunt Sanctorum Ambrosii, & Caroli nominibus insignitum.

Ejus fundationem enarrat Aurelius Grattarola de Veneratione Sancti Caroli cap. 32., ubi ait. „ Die vigesima nona ejus primum lapidem positum fuisse coram „ novem S.R.E. Purpuratis, plerisque Præsulibus, & frequenti Civium multitu„ dine. Erant pro nobilioribus Viris pegmata plurima in sublime assurgen„ tia, in quorum uno Philippus aderat Columna Sancti Caroli nepos cum cęteris „ ex inclyta ejus familia. Lapidem Sacris benedictionibus insignivit Erasmus Paravicinus Episcopus Alexandrinus; Eumque in fundamentis deposuit cum multis numismatibus, quæ alteram faciem præferebant similem numismati à nobis proposito, scilicèt Templum cum imagine D. Caroli in nube elati cum epigraphe

DEI AEDIFICATIO EST. SANCTVS CAROLVS, in aversa verò Pauli V. effigiem continebant, circà quam hæc verba. SEDENTE PAVLO V. PONTIFICE MAXIMO, ET FAVENTE MDCXII. Plurima hujusmodi numismata ipse Pontifex Sua benedictione dotavit, quæ deinde Populo distributa, pietatem, & cultum erga S. Carolum auxerunt. Lapis autem in fundamento positus hanc continebat inscriptionem.

D. O. M.

„ Ad augendam deuotionem plebis in Sanctum Carolum pietatem, & maiorem vndique confluentis Populi commoditatem Sedente Paulo V. DD. Cardinales S. Cæcilię, & Plat - - authoritate, & Scipione Vicecomite vtriusque Signaturæ Referendario, & Nicola Abbate de Comitibus, Francisco Palazzolio Cusa, & Fabricio Comiti Sorbellonio Fabr. Præfect. hunc lapidem solemni Ritu maxima Vrbis exultatione per Erasmum Episcopum Alexandrinum Lombardorum gens ponendum curauit IV. Kal. Februarii 1612. Maior erit gloria istius Domus nouissimæ, quàm primæ.

Quàm aptè apposita fuerint ultima verba ex cap.10. Prophetę Aggęo accepta, facilè percipit quicumq; magnificum hoc templum Romę perlustrat. Illud delineavit Honorius Longus, celebris Architectus, Martino deinde ejus filio dirigente ædificarunt, cui tholum, apsidemq; addidit Petrus Berettinus Cortonensis; eamdem exornavit plastico opere Cosmus, & Jacobus Antonius Fancelli picturis verò Hiacynthus Brandi. In majori ara tabula est, in qua suo præclaro pennicillo D. Ambrosium, & D. Carolum expressit celeberrimus pictor Carolus Maratta Anconitanus; aliæ etiam numerantur minores tabulæ, quarum una B. Virginem cum quatuor Sanctę Ecclesiæ Doctoribus ostentat à Titiano depictam; in alia S. Barnabam expressit Mola; in alia verò S. Philippum Franciscus Rosa; & Thomas Caravagginus Deum Patrem inter Cęlestes Aligeros.

Inter præclara munera huic nobilissimo Templo oblata, & Sanctorum reliquias piè ibi conditas S. Caroli Cor veneramur, quod in aurea theca inclusum donavit Cardinalis Fridericus Borromęus insigni obsequii pompa à Romanis receptum, quam Marcus Grattarola luculenti enarratione descripsit.

XXIV

TALES AMBIO FVNDATORES.

Alterius Templi frontem proponit numisma, tres Januas habentis, in quorum media S. Caroli Signum, in dextera S. Pauli, in sinistra S. Blasii. In ejus summitate Crux inest, hincinde Aquila, & Draco Gentilitius Familiæ Burghesianę, additis caracteribus A, & Ω; in parte infima legitur HVMILITAS. De hoc verbo satis indicatum est illud fuisse symbolum Familiæ Borromeorum, aliquid dicendum est de duobus græcis caracteribus A, & Ω, quibus principium, & finem denotari notissimum est. Quoniam verò literarum figuræ pro quibusdam Hieroglificis designandis usurpatæ sunt, ut scilicèt per literam Y humana vita, per Θ mors, per T Crux Dominica repræsentaretur, hinc his literis A, & Ω, quarum una est Alphabeti græci prima, altera verò postrema, Christus significatur, prout ipse easdem sibi vindicavit, dicens *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis*, ut ostenderet, per verbum Dei omnia facta esse, & omnia ad illud, tanquàm ad principium revocari, omnia enim propter semetipsum Deus operatus est.

Angelus Rocca bibl. Vatic. pag. 174.

Notat Jo: Antonius Castilioneus in Antiquitatibus Mediolanensibus, à se observatum esse in multis vetustissimis lapidibus, frontes Ædium Sacrarum fidelium certo signo notari, & in quodam, quod suo tempore in fronte fastigii D. Martini incompito extabat Mediolani, speciatim expressa videri præter duo X, & P; adhùc alia duo græca elementa A scilicèt, & Ω involuta circulo, ut quemadmodum illa prima Christum Servatorem rerum optimum principium, & finem juxtà Apocalypsis vaticinium esse demonstrant, sic is circulus Christum Deum principio, fineque carere, juxtà Ægyptiorum mysteria declararent, additque, neminem

latere debere, vel ab ipsis Ecclesiæ nascentis in cunabulis usu laudabili receptum fuisse, ut Sacræ fidelium Ædes quodam Christi signo notarentur, tùm ut ab Infidelium delvbris internotescerentur, tùm, ut Sanctiori cultu celebrarentur. Et licèt juxtà varietatem temporum diversis illæ signis fuerint insignitę, Cruce tamen, & Christi nomine frequentiùs exornabantur. Hoc enim notat Guillielmus Durantus lib.1. Rational. Divin. Sac. litter, & Baronius passim to.1. & 2. Annalium, sicuti veteres Deorum inanium cultui mancipati, quotiescumque templum Deorum suorum alteri dedicabant, soliti fuere ipsis dedicationis tabulis inscribere Dei illius nomen, suis omnibus literis explicatum, iisdemque grandioribus, nomine dedicantis. Romę enim in S. Alexio sic legitur. IN HONOREM IOVIS IOVI OPTIMO MAXIMO &c.

Hujus numismatis pars aversa illa erat, quam sub sequenti numero expressimus cum inscriptione, quam continebat.

XXV

D. O. M.
PAVLO V. PONT. MAX. FAVENTE
AD AMPLIFICANDAM AEDEM S. CAROLI NOMINE ROMAE PRIMO DICATAM LAPIDEM FVNDAMENTALEM PER ARCHIPRESBYTERVM S. PETRI CLERICI REGVLARES S. PAVLI PONI CVRARVNT ANNO M. DC. XII.

HUic similia permulta diversæ magnitudinis fuisse posita in fundamento Templi, quòd in honorem D. Caroli Clerici Regulares ædificarunt affirmat supracitatus Grattarola cap.33., illudque est quod Romæ in regione Arenulæ, vulgò dicitur ad *Cattinarios*.

Ejus fundationis enarrationem nobis suggerit numisma propositum, non sine Dei providentia absolutæ.

Nobile Templum excitandi in honorem Divi Caroli desiderium inerat illis Patribus in foro de Cattinariis dicto, quamobrem Templum Sancti Blasii, apud quod commorabantur, Patribus Theatinis concesserant; Verùm lite oborta proximum quoddam Palatium impedimento erat, ne nova hæc Sacra Ædes excitaretur. Litem tandem ex improviso ignis nocturno incendio diremit, nam cum ęstivis fervoribus congestum constipatumque in amplo Fœnili fœnum incaluisset, concepto sponte igne exarsit, vicinamque Apothecam ingenti asserum, & tabularum copia refertam comprehendit. Arserunt ædes propinquæ non modicæ, quare patefacta area Templo delectus est locus, Barnabitis Patribus honores D. Caroli promoventibus, sed magno operi opes defecerant, cum opportuna religione Joannis Baptistæ Lenii Cardinalis provisum est, ut magna vi pecuniæ testamento legata, quod imperfectum manebat perficeretur. *Donat. lib. 4. cap. 12.*

Primum lapidem posuit Cardinalis Carolus Cusentinus coram quatuordecim Purpuratis S. R. E. Patribus, Columnensibus, Principibusque, aliisque nobilibus Aulę Romanæ Viris. Antequam lapis deponeretur Supplicatio solemnis habita, est à Templo S. Blasii usque ad locum fundamento destinatum, ejus ordo hic erat. Agmen præcedebat sexaginta puerorum, quorum singuli, prętiosis indumentis exornati, Divi Caroli gesta coloribus in tabulis expressa ostentabant. Ejusdem Sancti virtutes duodecim Puellis, quarum ætas duodecimum annum non excedebat, referebantur habitu, ac symbolis, quæ virtutibus ipsis tribuuntur. Earum ultima Humilitas erat prædiviti Corona exornata. Post has centum sexaginta pii Viri, qui bini bini cereas faces deferebant, alias sustinebant octodecim Cappellani ejus Templi cum octo aliis Sacerdotibus. Sequebantur Tibicines Populi Romani, deindè Vexillum à Sacerdotibus delatum, in quo Divi Caroli Imago, illudque duo Acolyti thure perpetuò adolebant. Idem comitaban-

bantur Religiosi Barnabitæ, postea Musicorum Chorus præcedebat Sarcinæ insignium reliquiarum ejusdem Sancti, quas Diaconi aureis Dalmaticis exornati humeris sustentabant. Ultimo loco tres Sacerdotes pretiosis pluvialibus circumtecti. Cum autem ad locum pro fundamento paratum devenissent, Cardinalis Cusentinus Pontificio habitu amictus Sacra illa Pignora veneratus thure adolevit, deinde lapidem supra altare collocatum benedixit, tubis interim sonitus festivos edentibus. In eo lapide hæc legebatur inscriptio.

D. O. M.
PAVLO V. PONT. MAX.
ANNVENTE
EVANGELISTA CARDINALIS CVSENTINVS
EPISCOPVS TVSCVLANVS
ARCHIPRESBYTER SANCTI PETRI
IN HAC S. CAROLI CARD. AMPLIANDA
ÆDE LAPIDEM HVNC
A SE RITV ECCLESIAE
BENEDICTVM PRIMO POSVIT
IV. KAL. MARTII MDCXII.

IN LOCO ISTO DABO PACEM.

Talem autem Templum quadrangula forma medio tholo altissimè assurgente constructum est, qua retractis, qua prominentibus concamerationum partitionibus, & albario tectis, inauratisque. Inter eximia Romæ numeratur. Templi ideam confecit Rosatus Rosati, frontem verò delineavit Soria, ambo præclari Architecti: apsidem Lanfranchus picturis nobilitavit, angulos sub tholo Dominichinus. Imaginem S. Annæ Andreas Saccus, S. Blasium Hyacinthus Brandus coloribus expresserunt.

XXVI

ET . CONGV . AGNOSCIT . PASTOREM.

ANNO. M.DC.VIII.

Congum pars Africæ est in Ætiopia inferiori versus Occasum, & Oceanum Æthiopicum. Fuit anteà Regnum valde protensum, nunc autem angustioribus restringitur limitibus inter fluujum Zaire ad Boream, & Regnum Angolæ ad Austrum. Qui sint termini ad ortum non satis constare affirmat Baudrandus. Regnum dividitur in sex Provincias. Sunt autem hæ Sondo, Lunda, *v.Congum.* Pango versus Boream, & Fluvium Zaire dictum, & Bomba, Pemba, Batta versus Austrum, vbi aliquot Urbes subsunt dominio Lusitanorum, uti Loanda, seu Civitas S. Pauli, Benguela, & Embaca juxta Coanzam fluvium.

Ibi Rex Christianus habitat in Urbe Barico, quæ à Lusitanis dicitur Urbs S. Salvatoris. Hic Fidei Catholicæ dogmatibus imbutus, ac salutaribus aquis lustratus postquam Paulus V. propagandæ Religionis zelo ex Religionis Cappuccinis duodecim viros sanctitatis, & eruditionis eximiæ ad Regnum Conganum ablegavit, ditionem suam Romanę Ecclesiæ Vectigalem efficere voluit, ob idque Legatum ad Summum Pontificem Paulum V. Romam misit, ut ejus nomine obedientiam, obsequiumque suum ipsi devoveret. Talem Legatum numisma repręsentat ad pedes Pontificis provolutum. Attamen sciendum est, ne falsum aliquid ex numismate ipso nobis insinuetur, talem Legatum nunquam ad Pontificis pedes accessisse. Ille enim itineris labore fatigatus, in remotissimam à Patria sede sub diverso Cælo Regionem translatus ægrotare cœpit, pauloque post vehementi febre vexatus occubuit, benignissimum tamen Pontificem aspexit, qui Regia velu-

Bzovius in vita Pauli pag. 34.

Oldoinus col. 386.

veluti majestate deposita, illum ægrotantem invisit. Hęc omnia in suis Diariis notavit Paulus Alaleona his verbis.

„ Die tertia Januarii pervenit Romam Marchio Antonius Maurus Orator
„ Regis Congi ad pręstandam obedientiam S. D. N. & recognoscendam Sedem
„ Apostolicam, uti matrem, & caput totius Orbis. Præfatus vero Orator ad
„ Papa non venit, quia ægrotavit febri non sine periculo vitæ. Fuit hospitatus
„ in Palatio Apostolico expensis S. D. N. Papę, & fuerunt illi datæ camerę
„ optime ornatę, quę sunt apud Scalas Gregorianę Cappellę.

„ Nocte sexta Januarii circa horam septimam transivit ad meliorem vitam
„ in Vaticano, idem Orator homo niger mortuus est Catholicè cum omnibus
„ Sacramentis, & Papa illum in infirmitate visitavit privatim, & dedit bene-
„ dictionem. Sequitur idem Author enarrationem suam, ex qua mira humanissimi Pontificis benignitas celebratur.

„ Eadem die Dominica Epiphanię fuit portatum corpus secretè ad Ecclesiam
„ S. Catherinę apud plateam S. Petri, ubi stetit supra feretrum, quatuor
„ Presbyteris assistentibus, & duabus famulis vestibus nigris indutis cum flabel-
„ lis nigris ex serico, & circa horam 22. fuit delatum ad Basilicam Sanctę Mariæ
„ Majoris expensis Cameræ Apostolicę. Interfuerunt Pueri Orphani, fere
„ omnes Fratres Mendicantes, octuaginta funalia, quæ detulerunt parui Orphani,
„ & post feretrum corpus fuit associatum à Familia Papę, & à Militibus Helve-
„ tiis. Mors istius Oratoris displicuit Papæ, & Curię Romanę: adfuerunt etiam
„ Confratres Sanctissimi Sacramenti S. Petri, qui tulerunt feretrum.

„ Die 24. Januarii fuerunt celebratæ Exequiæ pro anima ipsius in Basilica
„ S. Mariæ Majoris, præsentibus Reverendissimis Episcopis Assistentibus Papæ,
„ & Prothonotariis, & Canonicis dictæ Basilicæ. Pro tumulo scriptum est
„ Epitaphium.

D. O. M.

PAVLVS V. PONT. MAX.

ANTONIO EMANVELI FVNESTAE MARCHIONI
PRIMO REGIS CONGI AD SEDEM APOSTOLICAM ORATORI,
QVEM ITINERIS DIFFICVLTATIBVS FESSVM, ET ÆGRVM
SOCIIS OMNIBVS OMISSIS MOESTVM,
IN VATICANO EXCEPTVM, AC DECVMBENTEM
INIVIT, LEGATIONIS SVMMAM EXPONENTEM,
REGISQVE SVI NOMINE REGNVM
SEDI APOSTOLICAE OFFERENTEM BENIGNE AVDIVIT,
MORIBVNDVM APOSTOLICA BENEDICTIONE
MVNIVIT;
MORTVVM FVNEBRI QVASI REGIA POMPA
HONORIFICE IN SVVM SACELLVM AFFERRI VOLVIT,
PATERNI AMORIS MONVMENTVM POSVIT
ANNO M. DC. VII. PONT. III.

Urbanus postea VIII. nigricans hujus Viri Caput è lidio marmore in Vestibulo Sacrarii Basilicæ Liberianæ cum Inscriptione collocari jussit anno 1629.; non enim extructum fuerat sub Paulo Sepulchrum ab eo decretum. Inscriptio autem hæc est.

MARCHIONI ANTONIO NIGRITAE REGIO CONGI ORATORI,
QVEM PAVLVS V. NONDVM PERACTA LEGATIONE
IN VATICANO MORTVVM IN EXQVILINIIS FVNERAVIT,
VRBANVS VIII. QVI PRIMVS ROMANORVM PONTIFICVM
A REGIBVS CONGI PER ORATOREM
IOANNEM BAPTISTAM VIVES SOLEMNE
CHRISTIANAE OBEDIENTIAE IVRAMEMTVM EXCEPIT,
SEPVLCHRVM EXTRVXIT,
PONTIFICIAE CHARITATIS MONVMENTVM.
ANNO SALVTIS M. DC. XXIX. PONTIF. VI.

XXVII. & XXVIII

PVBLICAE COMMODITATI RESTITVIT.

ANNO M.DC.IX.

INter Aquas, quibus Romana Civitas irrigabatur, ex distantibus Fontibus ingenti sumptu advectis, Alsietinam, & Sabbatinam Auctores recensent, inter quos P. Victor in descriptione Romæ, *Alsietinam ex Lacu Alsietino Augustus accepit, Augustamque è suo nomine appellavit,* (Frontino scribente) *Concipitur ex Lacu Alsietino Via Claudia milliario XIV. diverticulo dextrorsum pass. VI. millium D. Ductus efficit longitudinem passuum XII. millium CLVII.* Lacum Alsietinum illum esse, quem dicimus de *Martignano* affirmat Nardinus lib. 8. cap. 4. Alsietinus dicitur, ut vult Baudrandus ab Alsio, vulgo *Ceri*, Oppido Etruriæ ab Urbe Roma 14. mill. distante. Sabbatinam verò à Lacu Sabate dixerunt (nunc *Bracciano*, aut *dell'Anguillara*) proxima Fontibus, è quibus aqua collecta ad Urbem perducta fuit.

Harum aquarum ductus vetustate, & sęvitia hostium collapsos Hadrianum Primum Sanctum Pontificem Romæ restituisse affirmat Platina, & Ciacconus, citatque Baronium ad annum 795. Baronius tamen solam Sabbatinam nominat, referens verba Anastasii, idest, *Forma, quæ vocatur Sabbatina nimis confracta existens, per quam decurrebat aqua per Centenarium in Atrium B. Petri Apostoli, simul etiam in Balneum, juxtà eamdem Ecclesiam situm, ubi fratres nostri Christi pauperes, qui ad accipiendam eleemosynam in Paschalem festivitatem annuo accurrere, & lavari solebant, & ex qua diversæ Molæ macinabant, aqua ex eadem forma neque in Atrium B. Petri, neque intrà Civitatem decurrebat &c. Ipse Sanctissimus Præsul multitudinem Populi ad restaurandam eamdem formam præparavit.* Nicolaum deinde V. eosdem ductus refecisse habemus ex Oldoino scribente. *Nicolaus V. formam aquæ Sabatinæ, quæ jamdiù ruerat in meliorem revocavit statum in usus pauperum.* At progressu temporis iterùm deperdita tota Transtyberina regio ob ejus aquæ penuriam, qua antea irrigabatur maximè laborabat. *Col. 648.*

Hanc aquam Paulus, ut Urbi restitueret, opus molis immensæ aggressus fuit, atque incredibilem aquæ copiam ex Agro Braccianensi deductam à quinto, & trigesimo milliario partim subterranea specu, partim arcuato opere suprà terram in summum Janiculum perduxit PVBLICAE COMMODITATI; (rem profectò Cæsarum operibus comparabilem) eamque aquam de suo nomine Aquam Paulam appellavit. Tales aquæductus in duplici Numismate indicantur, qui dirigente Joannes Fontana excitati sunt expensis quadrigentorum millium nummorum, ut Illustrissimus Costagutus refert in descriptione Basilicæ Vaticanæ sub Paulo V. Pontificiæ Aulæ Præfectus. *Balleonus pag. 96. Pag. 13.*

Non longè autem in Janiculensi Porta, quæ nunc Sancti Pancratii dicitur, duæ sunt duabus adversis partibus fornicis unius ex iis, quibus aqua Paula transmittitur, Inscriptiones. Altera ex hujusmodi.

PAV-

PAVLVS V. ROM. PONT. OPT. MAX.
AQVAEDVCTVS AB AVGVSTO CAESARE EXTRVCTOS,
ÆVI LONGINQVA VETVSTATE COLLAPSOS
IN AMPLIOREM FORMAM RESTITVIT
ANNO SALVTIS M. DC. IX. PONTIFICATVS V.

Altera verò talis eſt.

PAVLVS QVINTVS ROMANVS PONTIFEX OPTIMVS MAXIMVS
PRIORI DVCTV LONGISSIMI TEMPORIS INIVRIA PLANE DIRVTO,
SVBLIMIOREM, FIRMIOREMQVE A FVNDAMENTIS EXTRVXIT
ANNO SALVTIS M. DC. IX. PONTIF. V.

At verò aliquot inde milliaribus Via, qua Braccianum aditur, ubi iterùm arcuata moles ducendis, ſuſtinendiſque jiſdem aquis aſſurgit hoc Elogium ſpectatur.

PAVLVS V. PONT. MAX. FORMIS AQVAE ALSIETINAE
OLIM AB AVGVSTO CAESARE EXTRVCTIS MOX COLLAPSIS
AB ADRIANO I. PONTIFICE MAXIMO INSTAVRATIS,
IISDEM RVRSVS VETVSTATE DIRVTIS OPERE SVBTERRANEO,
ET ARCVATO RESTITVTIS AQVAM EX AGRO BRACCIANENSI
DITIONIS VRSINORVM SALVBRIORIBVS FONTIBVS DERIVATAM
FLEXVOSO CVRSV XXXV. MILLIARIVM IN VRBEM PERDVXIT
ANNO SALVTIS M. DC. XI. PONTIF. SVI VIII.

Huic Elogio aliud ſimile reſpondit inſculptum in ſummitate Janiculi, ubi primum ſeſe aqua tribus peramplis Oſtiis effunditur, ideſt.

PAVLVS V. PONT. MAX. AQVAM IN AGRO BRACCIANENSI
SALVBERRIMIS E FONTIBVS COLLECTAM
VETERIBVS AQVAE ALSIETINAE DVCTIBVS RESTITVTIS,
NOVISQVE ADDITIS XXXV. AB MILLIARIO DVXIT
ANNO DOMINI M. DC. XII. PONTIF. SVI VII.

Has tamen Inſcriptiones Eruditiſſimus Vaticanæ Baſilicę Canonicus Abb. Raphael Fabrettus ſe, non ſine ſtomacho perlegiſſe affirmat Differt. 1. de Aquis num. 87. Ait enim, nulla ratione dici poſſe in antiquos aquæ Alſietinæ ductus Paulum immiſiſſe aquam ex agro Braccianenſi, ſeu ex Lacu Sabbatino collectam, licèt in Bulla 75. Pauli V. Alſietina hæc aqua dicatur his verbis.

„ Scientes, Aquęductum illum antiquitate operis magnitudine celeberrimum, „ per quem olim aqua Sabbatina, & Alſietina, quæ etiam Auguſtæ à Cæſare Auguſto Imperatore cognomentùm ſumpſit, ità jacere, ut ejus veſtigia vix alicubi „ apparerent, vigilantia paſtorali dignum putavimus in neceſſarium vitæ uſum „ convertere, ſimulque intelligentes ſuprà Lacum Sabbatinum ad radices Collium „ eidem Lacui in illius ambitum dextrorſum ſuperaſtantium ultrà Anguillariam, „ & Trivianum 28. ab Urbe milliario complures aquarum perennium per Silicum „ venas ſcaturientium viſu, & guſtu jucundiſſimarum, & ſaluberrimarum Fontes „ exoriri, de aquis prædictis colligendis, derivandiſque, ac in Urbis Janiculum, & Vaticanum eminentes Colles inducendis cogitavimus &c. In primis autem Aquęductum veterem, ac ipſas aquas, ſed longè ſalubriores, quam quæ „ primùm ab Auguſto, poſtea à fęl. record. Adriano Papa prædeceſſore noſtro „ reductæ ſunt, earumque ſcaturigines, & diverticula perveſtigari juſſimus, certioreſque facti aquas hujuſmodi colligi, & ad Colles pręfatos adduci poſſe opus „ aquæducendę quamprimùm perficere deliberavimus &c.

Hanc enarrationem Bullę reprobat ſuprà laudatus Fabrettus, aitque verbis conceptam *à Bullaticis Scriptoribus, inconſultò aſſumptis*. „ Cum enim (ait ille) Alſieti-

„ fietinam aquam ex Frontino omnium aquarum humiliorem fuiſſe conſtet, & „ nonniſi 357. paſſus operis arcuati, nil autem ſubſtructionis ſupra terram habuiſ- „ ſe, & ex Lacu hujus nominis in Etruria petitam eſſe; aquam autem Paulam in „ Janiculo monte omnium altiſſimo ex ductibus effluat,deducitur illam Trajanam, „ ſeu Sabbatinam eſſe è Lacu Sabate acceptam à Trajano,cui nomen Auguſtæ tri- „ buit, probaturque ex pluribus Auctoribus; ſic Sextus Julius Frontinus, Vir „ Conſularis Tract. de Aquæductibus Urbis Romæ lib. 1. ait omnibus humilior „ Alſietina eſt quæ Tranſtyberinæ regioni, & maximè ſubiacentibus locis ſervit.

Differt. 1. num. 91.

Lib. 1. n. 10 pag. 35.

„ Quæ autem ratio moverit Auguſtum providentiſſimum Principem produ- „ cendi Alſietinam aquam, quæ vocatur Auguſta, non ſatis perſpicio nullius gra- „ tię, imò & parùm ſalubrem, & nuſquam in uſus populi fluentem; ſolet tamen ex „ ea in Tranſtyberina regione quoties Pontes reficiuntur, & citeriore ripa aquæ „ ceſſant,ex neceſſitate in ſubſidium publicarum ſalientium dari.

His diſceptationibus omiſſis, tamquam à noſtro inſtituto alienis, ad aliud numiſma procedimus, in quo Fons repręſentatur ab ipſo Paulo V. publicæ commoditati magnificè exornatus Anno MDCX.

XXIX

PVBLICAE COMMODITATI.

TRibus peramplis Oſtiis in ſummo Janiculo effunditur aqua, quam diximus à Paulo V. in Urbem magnis ſumptibus adductam. Imminet illis amplum, excelſumque Ædificium è marmore extructum ſtudio Dominici Caſtelli, & Caroli Maderni. Lapides, quibus componitur,acceptos fuiſſe è Foro Nervæ, quod tranſitorium dixere, cujus rudera adhuc extant ad radices Collis Quirinalis, ea in parte, quæ ad Forum Boarium vergit, habebus ex Nardino. Talem Fontem ſex Columnæ exornant,quę olim tres Baſilicę Vaticanę januas ante atrium quadriporticum ſuffulciebant. Exactam ejus delineationem eleganti ſcalpro in tabula ęnea incidit hoc anno Alexander Specchi Romanus, non tamen ut Carolus Madernus ſub Paulo V. extruxerat, ſed ea forma, quę nunc viſitur aliquantulum mutata ſub Alexandro VIII, opus dirigente Equite Carolo Fontana.

Alverus de Urbe part. 2. pag. 306.

Nardinus pag. 231.

[illegible] ſ[illegible]gutus d[illegible]mpl. Vatican. pag. 10.

Madernus enim tres Conchas conſtruxerat, in quas ex tribus oſtiis erumpentes aquę decidebant, Fontana verò, illis deſtructis, quemdam veluti amplum lacum lapideis repagulis obſitum formavit ad uberiores undas recipiendas aptiorem, & ad jucundiorem intuentibus afferendam amœnitatem, prout in tabula hìc addita.

Ejus novæ fabricæ occaſionem fusè deſcripſit Eques Carolus Fontana in ſuo tractatu de Aquis lib. 3., ex quo pauca hæc delibavimus.


Decreverat Eminentiſſimus Virginius Urſinus anno 1672. ex conceſſione Summi Pontificis Clementis X. in aquęductus à Paulo V. extructos, aquam immittere è Lacu Braccianenſi acceptam, ex quo mille unciarum quantitatem immitti poſſe nonnemo judicavit, hac tamen conditione, ut trecentæ ex illis novum Fontem in Vaticano foro efficerent, ſeptingentæ verò ęqualitèr dividerentur arbitrio Summi Pontificis, & utilitati Excellentiſſimæ Urſinorum Familię. Pluribus ſubortis difficultatibus diù hęſit opus. Non enim talis aquarum copia in aquęductus immitti poterat, utpotè qui ſuperficiem Lacus altitudine ſuperabant. Induſtria tandem Equitis Caroli Fontanæ, (quam pręclari Viri maximè probarunt, inter quos P. Franciſcus Eſchinardus noſtræ Societatis rerum Mathematicarum peritiſſimus,Joannes Baptiſta Continus, Dominicus, & Carolus Raynaldus, & Frater Joſeph Paglia Dominicanus, inſignes Architecti) modum excogitavit rivos emiſſarios in depreſſiori loco occludendi, atque ità intumeſcentes aquę in Lacu, in canales decurrerent ſubiectos, quibus ad Paulinam aquam deferrentur. Septingentas ex illis uncias Romam corrivavit eo modo quem ipſe enarrat cap. 2. & 3.


Paulina verò ſeptingentas, & quinquaginta uncias ęquabat, quamobrem ſimul unitæ effecere uncias 1450. Ex dicta ſumma unciarum ſexcentæ unciæ ſi demantur, ex quibus bini Fontes in foro Vaticano efficiuntur,remanent Fonti in Ja-



pag. 534.
PAVLVS V PONT MAX AQVAM IN AGRO BRACCIANENSI
SALVBERRIMIS E FONTIBVS COLLECTAM
VETERIBVS AQVÆ ALSIETINÆ DVCTIBVS RESTITVTIS
NOVISQVE ADDITIS XXXV. AB MILLIARIO DVXIT
ANNO DOMINI MDCXII. PONTIF SVI VII.
Alexander Specchi incidit

Mensuræ unciarum aquæ Claudiæ seu Paulinæ quæ duplicatæ conueniunt aquæ Virgini










Moduli supponentes pro Vncijs



niculo extructo uncię octingentę, & quinquaginta: demendę tamen sunt ex hac summa uncię septuaginta sex per varias fistulas dispersę, antequam ad Janiculum aqua perveniat.

Ut ergo hanc aquę copiam per triplicem aditum emissam aptum vas contineret, Alexandri VIII. jussu opus dirigente Illustrissimo, & Reverendissimo Alphonso Litta Romanę Ecclesię Clerico Camerali, & Aquarum Prefecto, Eques Carolus Fontana, unicum, & amplissimum receptaculum extruxit, ex quo deindè ad ferè innumera tum privata, tùm publica loca in varios usus dispergitur. Sub Arcu etiam qui medium locum habet parietem evertit, ut liberiori aere permeante majori oblectamento accedentes afficerentur, & ipsa aqua purior evaderet, adiecta sub medio fornice hac Inscriptione, quam sępe laudatus Abbas Fabrettus exaravit.

ALEXANDER OCTAVVS OTTOBONVS VENETVS PONT. MAX.
PAVLI V. PROVIDENTISSIMI PONTIFICIS
BENEFICIVM TVTATVS REPVRGATO SPECV,
NOVISQVE FONTIBVS INDVCTIS
RIVOS SVIS QVEMQVE LABRIS OLIM ANGVSTE CONTENTOS
VNICO, EODEMQVE PERAMPLO LACV EXCITATO RECEPIT
AREAM ADVERSVS LABEM MONTIS SVBSTRVXIT,
ET LAPIDEO MARGINE TERMINAVIT, ORNAVITQVE
ANNO SALVTIS M.DC.LXXXX. PONTIFICATVS SVI SECVNDO.

In hac nova constructione refert Eques Carolus Fontana expensam fuisse summam quinque millium, & ducentorum nummorum.

Quandoquidem de hac aqua loquentes usitatum loquendi modum usurpavimus, dicentes ejus quantitatem octingentas, & quinquaginta uncias æquare, haud inutilis res esse videbitur, si clarior ejus vocabuli elucidatio exponatur. Uncię igitur aquarum (ut sciunt periti) rei pondus non explicant, sed quantitatem, certa quadam arbritraria mensura decretam, quę mensura foramen est, seu spatium, vel rotundum, vel quadratum, per quod aqua è suo receptaculo in canalem immittitur. Hinc juxta velocitatem in minori, vel majori declivitate ab aqua acquisitam majus, vel minus spatium ejus mensurę tribuitur.

Inter aquas, quę uberrimis fontibus Romam irrigant, est quę dicitur Virgo, & alia, quæ antiquitus Claudia, nunc Fælix appellatur; hujus velocitas Virginis velocitatem superat, utpote quę ex eminentiori fonte accepta in subiecta loca facilius decurrit: hinc earum quantitates duplicata proporsitione commensurantur videlicet spatium, quod aquæ Virginis pro unica uncia tribuitur duas uncias aquę Fælici decernit. Harum mensuras invenies in subiecta tabula. Aqua autem Paulina mensura Aquæ Fælici omnino respondet.

Ut autem hanc aquarum mensuram certa methodus pręscribat, modum exponit Eques Carolus Fontana in tract. de aquis lib. 1. cap. 27. quem hic subiicimus. Ponantur primo Diametri fistularum æqualium A & B cum parte quarta diametri similis C deinde circulus ducatur ex D in E ex quo perpendicularis linea cadat inter duos minores circulos ad punctum T quæ linea erit diameter alterius circuli H, atque hic circulus mensuram unius uncię, & partis quartæ continebit.

Si autem mensuram trium unciarum quęras ponas tres circulos, quorum singuli unam unciam cotineant A B C. Duc deinde circulum D E à quo tres minores circuli comprehendantur, facto centro in B, rectam deinde constitue lineam quæ à majore circulo cadat post minorem circulum A, scilicet T T eritque hæc linea diameter circuli M tres uncias quęsitas continentis; sicque de ceteris.

Has uncias antiquitus Quinarios, seu Digitos appellabant, quam vocem passim Plinius, & Julius Frontinus usurpant, qui tempore Nervę Trajani erat aquarum Pręfectus. An tali mensurę nostræ unciæ omnino respondeant incertum apud Authores.

Neque solum in Janiculo Colle aquas adduxit Paulus, sed maximum præterea

terea Civitati Leoninę decus, atque utilitatem addidit. Uberrima enim earum vim in Palatium Vaticanum corrivavit, quę Pontificios hortos largissimè irrigant. In Platea ante D. Petrum fons magnus est exquitissimo artificio lusibus elegantissimis erumpens, quem dum procul aspicis è planitie terrę montem glacie tectum, vel immensum aliarum super alias acervatarum nivium cumulum in Cęlum assurgere dices. Neque minus in deliciis habetur alter pulcherrimus ante S. Jacobum, qui vocatur *scossa Cavalli*. His licèt inferior magnitudine, pulchritudine tamen par penes arcem in angulo videtur, cui apposita leguntur.

PAVLVS V. PONT. MAX.
REGIONEM LEONINAM
PERENNIVM AQVARVM INOPIA
LABORANTEM
AQVÆ AB SE IN VRBEM DEDVCTÆ
VBERI DISPENSATIONE
VARIIS FONTIBVS ATTRIBVTA
LOCVPLETAVIT
ANNO DOMINI MDCXIV. PONTIF. X.

Prope Pontem Sixtum pulcherrimum etiam fontem cernimus cum hac inscriptione.

PAVLVS V. PONT. MAX.
AQVAM MVNIFICENTIA SVA
IN SVMMVM IANICVLVM PERDVCTAM
CITRA TYBERIM TOTIVS VRBIS DEDVCENDAM
CVRAVIT
ANNO DOMINI MDC.XI. PONT. VII.

Conspiciuntur & alii plures Fontes in usus Populi fluentes, quibus & Civitas Leonina, & via, quæ *Longara* dicitur illustrantur, dignissima omnia, quæ perpetuis monumentis mandantur.

Estque alius in platea ante Templum Transtyberinum B. Marię Virginis dicatum, & à pluribus Summis Pontificibus refectus, de quo fusius dicendi alibi occasio dabitur.

Ob grati animi monumentum erga tanti Pontificis liberalitatem Populus Romanus sequentem inscriptionem posuit marmori insculptam in parietem templi S. Francisci Assisiati dicati prope portam quæ Portuensis dicitur.

PAVLO V. PONT. OPT. MAX.

„ Quod Vrbem augustissimis beneficiis illustrauit, Transtyberinam Regionem „ vberrimis riuis ex Agro Bracchiano supra Ianiculum ductis irrigaverit, noxiis „ olerum hortis in pomaria, domusque distribuerit, Viis tàm apertis, quàm am„ plificatis, deiectisque, insignia SS. Benedicti, & Francisci Monasteria, Por„ tamque Portuensem in nobiliorem prospectum reddiderit, expedito vtroque „ fabricis Pontis aditu, & Scalis ad Tyberis alueum deductis, Ciuium, Peregri„ norum, Nautarum commodis consuluerit S. P. Q. R. publicis Deum votis mu„ neribus fœlicitatem præcatus.

Paulo Alberino, Tyberio Anibaldensi de Molaria Coss.
Paulo Bruno, Ludovico Gabrielio Cap. Reg. Priore.
Alexandro Muto, Laurentio Alterio.
ANNO DOMINI MDCXI.

Addendum pro Coronide hic est. [Anno 1677. regnante Summo, ac Sanctissimo Pontifice Innocentio XI. à quodam Balthassare Quadrano propositam fuisse fabricam trium Molendinorum, in quibus decurrentes è Janiculo aquę Moles rotarent, & triticum in farinam redigerent. Annuit Sanctiss. Pontifex publicæ utilitatis

tatis amantissimus, sibi suadens, nova aquarum acquisitione illam posse obtineri, ut imperiti quidam testabantur, repugnante Equite Carolo Fontana ejusdem aquæ peritissimo Curatore non unica ratione ducto, quam ipse met recensuit in enarratione impressa anno 1694. & oblata Congregationi Eminentissimorum Cardinalium super aquis deputatæ, ob idque anno 1678. Molendinorum fabricam excitatam trium annorum spatio absolutam conspeximus.] Nec invisa res accidit Romæ; Scimus enim ejusmodi Molas ab aqua Sabbatina antiquitùs in Janiculo rotatas, ut narrat Anastasius Bibliothecarius in Hadriano Primo qui anno 789. Ecclesiæ moderabatur. Loquens ille de aqua Sabbatina (inquit) „ Ipse Beatissimus Præsul tantam curam, & sollicitudinem in ejusdem formæ „ fabrica exhibuit, quæ prima diruta extitit, ob centum arcus ipsius formæ „ magnæ altitudinis à fundamentis demolitos atque destructos, ut Deo au- „ spice aqua in atrio Divi Petri, verùm etiam & intus Civitatem in Geni- „ culo ubi Molæ macinabantur, sicut antiquitus abundanter decurrere fecit. „ Ita pariter Gregorius IV. circa annum 830, referente eodem Anastasio: „ Considerans Romanorum penuriam, quòd ubi triticum ad edendum mole- „ rent, nullo modo haberent, divino fretus auxilio formam, quæ *Sabbatina* nun- „ cupatur, quæ jàm per plurimos annos confracta, atque disrupta esse videbatur, „ dato operis studio, sicut à primis fuerat ædificata temporibus, ita quoque ea „ præsagus Antistes noviter ædificare, atque construere visus fuit, ità ut ad Ec- „ clesiam Beati Petri Apostoli usque ad Janiculum, sicut priùs, & nunc diffluen- „ ter decurrat.

Ex hac narratione Anastasii dicentis, *quòd ubi triticum ad edendum molerent, nullo modo haberent Romani*, deducitur tunc temporis in usu non fuisse in Tyberi fluvio Molendina, quę excogitavit Belisarius, referente Procopio in lib.1. Belli Gothorum, ubi sic ait. *Sed postquam per hostes fuere Aquæductis hi interrupti, neque ex his defluens aqua Moles exerceret &c.* Belisarius,ut erat vir prudentiæ singularis, id ea necessitate excogitavit remedium. Sub Ponte ipso pertinente ad Janiculi muros funes ex utraq; fluminis ripa validè distensos, ac deligatos transmisit. His lembos binos pari magnitudine nectit constringitque bipedali distantes ab invicem spatio, quo maximè aquarum defluxus per Pontis fornicem preceps descendit, vastosque & molares lapides in alterum lembum imponens, media ipsa intercapedine machinam inde suspendit, qua Molę volvuntur.

Eas clariùs descripsit Donatus noster in sua Roma dicens. *Hæ Molæ multiplici laxoque ferreo vinculi ripis alligantur, tum ligneis machinis, quæ denticulatis rotis committuntur expansas tabulas Flumini obiicientibus, & undarum verticoso impetu circumactis, insertos supra immanis ponderis molares lapides celerrimè versant.* *Lib.3. cap. 8.* Quod si molas aquarum benefico rotatas antiquitus ante Belisarium fuisse narrat Vitruvius, illas non in Fluminibus, navium istar supernatantes positas fuisse intelligendum est, sed stabiles juxtà decidentes aquas, quorum impetu rotæ versarentur. *Libr. 10. cap.10.* De his plura Procopius in primo Belli Goth. Dempsterus in Paralipom. cap.4. & Rosinus lib.1. tit.42.

XXX

CEPERANI PONS SVPER LIRIM RESTITVTVS.

Ceperanum ditionis Pontificiæ Regno Neapolitano conterminum nobile Castrum in Campania est. Propè ipsum occurrit Flumen Liris, quem Clanicum olim vocabant Antiqui, juxtà Strabonem, Ptolomęum, & Plinium lib.3. cap.5. ex quo Martialis.

Cæruleus nos Liris amat, quem Sylva Marice
Protegit hinc Scillæ maxima turba sumus.

Et Lucianus.

Libr. 2.

Et umbrosæ Liris per Regna Marica
Vestinis impulsus aquis.

Mattia Castrucci descritt. del Ducato di Alvito. p. 1

Originem ille trahit propè Oppidula Cappadociam, & Capistrellum in Valle Sorana, in qua post cursum triginta milliarium Soram alluit, deinde suas aquas miscet cum Fibreno fluvio sub oppidulo nascenti, quod vulgò dicitur *Posta*, quasi post A, idest *post Aquas*, quare Silius lib. 8. *Atque Fibreno miscentem flumina Lirim*; & Cic. lib. 2. legibus, *Fibrenus præcipitat in Lirim*. Suum deinde nomen mutat in Flumine, vulgò *il Garrigliano*, quòd propè Minturnas itali *Trajenti*, in Mare mediterraneo aquas perdit, & nomen.

Fuerat super Lirim Pons ptopè Ceperanum, quem prisco tempore vetustate quassatum, collapsumque Antoninus Pius Imperator Anno sui Imperii IV. Christi Servatoris 143. restitutum Oppido conjunxit cum marmore incisa inscriptione.

IMPERATOR CÆSAR.
DIVI HADRIANI FILIVS DIVI TRAIANI PARTHICI NEPOS,
DIVI NERVÆ PR. NT.
ÆLIVS HADRIANVS ANTONINVS AVGVSTVS PIVS PONT. MAX.
TRIBVNIC. POTEST. IIII. COS. III. P. P.
OPVS PONTIS VETVSTATE COLABS. RESTITVIT.

Stipem exindè Viatores erogare compellebantur. Idque onus impositum, ut Pontis, vel aquis, vel senio disruptæ partes reficerentur; Arcus jampridem vetustate corruerant, pilę tamen aquis, impetu licet sese inferentibus, adhùc obluctabantur: eas lignorum contignatione superposita jungebant Incolę ob commoditatem itineris; Sicque transitum prębebant tremulo gradu parum fixum, & infirma juncturarum concatenatione cum discrimine arduum. Namque sępiùs Jumenta, vel undarum strepitu absterrita, vel obvia transmeantium frequentia in angusto, ac labili loco, neque cancellis, neque repagulis obnitentibus, immani mercium jacturà in Flumen proruebant. Difficilem viam, cum aliundè transitus non haberetur, commeantes inviti subibant. Incommodo, non alia ratione, quàm Pontis extructione subveniri posse judicatum, atque Lęlio Biscia Clerico Camerali S.R.E. Curante, res ità absoluta est, quem Leo Allatius de Romanis ędificationibus ab illo curatis scribens ità refert.

Operis in eo Structura eximia, vel ad aliorum Urbium magnificentiam conspicienda, Arcubus quidem imparibus firmitati conducit, majorique oblectamento est medius duobus reliquis liberior, ampliorque pedum 67. Concitatiores excipit aquas, reliqui pedum 35. arctioribus intervallis clauduntur: à substructionibus ad cymatium pedum 50. aditus extollitur. Pilæ, quę super immissi fornicis pondera sustinent, pedum 24. crassę, altæ 20. quemadmodum ad Anterides & prora, & puppis ad scindendos aquarum impetus tyburtino lapide circumvestiuntur.

Pontis fundatio in Alveo rapidissimi fluminis ad solidum defossa, erismis quoquo versus firmissimè substructis, Oneri pilarum, arcuumque ferendo nunquàm deficiet; quod secùs accidit in prima Pontis restitutione. Pilæ etenim non in solido, sed in arena sine ullo robore solutissima, nudaque glarea in plano ipso Fluvii fundatę structuræ pondere succumbentes perpetuam firmitatem habere minimè potuerunt, ideoque Pons, vel minimæ temporum injuriæ cesserat.

Longitudo Pontis ad pedes 90. extenditur. Ripę, quibus Pontis capita committuntur ad pedes 20. quare totius operis unà cum Ponte reductili, quo Neapolitanum Regnum connectitur, longitudo est pedùm 330. Via media pedum 24. & hinc atque hinc decursoria, lapide tiburtino strata: in iis spondæ ex eodem lapide extructæ. Sic enim utraque latera firmissimè muniuntur, peditesque securiùs trajiciunt. Eò usque ageris altitudo ducta est, ut Castri ad capita positi planiciei equilibris sit, & cum Ponte reductili continuetur. Turris illic erecta totius operis subjecti propugnaculum: Opere hoc neque utiliùs, neque in eo terrarum tractu adeò necessarium visum est unquam. Inscriptio apponenda hæc erat.

PAV-

PAVLVS V. PONT. MAX.
OPVS PONTIS AB ANTONINO AVG. PIO
ANTE ANNOS MCDLXXIV.
RESTITVTVM
INIVRIA TEMPORVM COLLAPSI
REFECIT A FVNDAMENTIS OPPIDO IVNXIT.
ANNO SALVTIS MDCXVII. PONT. XIII.

Talem Pontem exculptum repræſentat numiſma à nobis propoſitum cum inſcriptione, quæ nulla explicatione indiget.

XXXI

COLONIA IVLIA FANESTRIS.

PORTVS BVRGHESIVS.

XXXII

COLONIA IVLIA FANESTRIS.

PORTV BVRGHESIO A FVNDAMENTIS EXTRVCTO.

IN duplici numiſmate cum eiſdem ferè inſcriptionibus Portus repręſentatur, quem propè mœnia Civitatis Fanenſis Paulus V. extruxit anno 1614.

Dicitur hæc Urbs *Fanum fortunæ*, vulgo *Fano*, eſtque Maritima Umbrię, & in Ducatu Urbinate ſita inter Piſaurum, & Senogalliam. Dicitur *Colonia Julia Faneſtris*, quòd Julius Cæſar in ea Coloniam Romanam inſtituerit, ubi templum olim Fortunæ celeberrimum extabat.

Ibi Paulus V. Foſſam aperuit, aquam Adriatici Maris recipientem, atque Portum extruxit mœnibus circumdatum ea forma, qua numiſmata exhibent. Primum lapidem poſuit die trigeſima Maii anno 1614. ejus Urbis Epiſcopus coram Gubernatore, & Magiſtratu, opus deinde dirigente Hieronymo Raynaldo Romano Architecto, abſolutum fuit expenſis quadraginta quatuor millium nummorum.

Poſſent in eo Triremes incolumes ſervari, ſi aquæ ineſſent ad eas ſubſtinendas perneceſſariæ, quæ è proximo flumine Metauro in illum excurrunt. Extenditur enim ejus longitudu ad palmos millenos ſeptingentos, & quinquaginta, latitudo verò ad palmos centum octuaginta; Foſſa verò, qua cum Mari conjungitur, ſexaginta quinque palmis compręhenditur. Porticum duplicem oſtentat in vertice, quàm lapidea balauſtia exornant, adjectis Pauli V. gentilitiis inſignibus, cum inſignibus etiam Eminentiſs. Scipionis Cardinalis, & Principis Burgheſii. In Zona ſub coronice legitur PORTVS BVRGHESIVS litteris cubitalibus expreſſus ſub fornice Porticus ineſt inſcriptio.

PAVLI V. PONT. MAX.
MVNIFICENTIA
PORTVM BVRGHESIVM
NAVIBVS, NAVTISQVE PERFVGIVM,
ET MERCIMONII EMPORIVM
S. P. F.
APERVIT
ANNO SALVTIS MDCXIX.

MVTIO RINALDVTIO CONFALONERIO.
VINCENTINO BERTOZIO
IOANNE LANCIO } PRIORIBVS.
FRANCISCO BORGOGELLIO

NVLPHIVS NVLFIVS
FRANCISCVS PALVTIVS, & } ELECTI CVRARVNT.
NICOLAVS GIACCHIVS
HIERONYMO RAYNALDO ROMANO ARCHITECTO.

Huic inſcriptioni adjecta ſunt quędam Scuta gentilitia, quorum alterum hæc habet verba.

IACOBVS CARDINALIS SERRA.

Alterum verò.

COSTANTIVS PATRITIVS S.D.N. THESAVRARIVS.

Hunc tamen Portum, irrumpentibus Metauri fluctibus, luto oppletum inutilem ad Navigia excipienda, cum diù experti fuerint Fanenſes, operam ſuam ſedulò navant, ut repurgato alveo, navigia excipiat; Sicque illis tutam ſtationem, & Urbi utilitatem percommodo mercimonio ſubminiſtrent.

XXXIII. XXXIV. XXXV

SECVRITAS POPVLI FERRARIAE.

POſtquam Clem.VIII. Urbem Ferrariam receperat, cum ibi degeret cogitans quæ ad publicam rem pertinerent, Arcem novam, non ut frœnum Ferrariæ injiceret, ſed ut Civitatem ab hoſtibus tueretur, grandi pecunia ædificandam curavit proprium Arcis nomen inſequutus. Etenim Arx ab arcendo videtur dicta, quia ſcilicèt arceat, hoc eſt accedere illùc hoſtes prohibeat, & illinc depellat. Hoc ipſum in triplici numiſmate Pauli innuitur, in quorum ſingulo Ichnographia Arcis videtur cum lemmate SECVRITAS POPVLI.

Pro tali Arce conſtruenda ſpatioſam aream complanare cœperunt ann. 1599; atque in eo laborioſo opere uſque ad annum 1608. quamplurimi inſudarunt, quo tempore Paulus V. Romanæ Eccleſiæ clavum regebat. Ut illud Magnanimus Pontifex abſolveret Ferrariam miſit Pompeio Targonum, Architecturę Militaris peritiſſimum, quo dirigente primus lapis eo anno jactus eſt cum numiſmate argenteo, cujus pars altera effigiem Pauli Pontificis, altera S. Barbaræ Virginis continebat.

Angelus Rocca de itin. Clem. Ferrariam pag.95.

In Codice quodam manuſcripto, quem in ſuu Muſeo Ferrariæ ſervat D. Nicolaus

colaus Baruffaldus refertur, tale numiſma fuiſſe poſitum in ærea theca cum bulla cerea ab eodem Paulo V. benedicta.

In ejus constructione, quæ trium annorum ſpatio abſoluta eſt (ut conſtat ex inſcriptionibus appoſitis) affirmat Paulus de Angelis quingentos mille aureos nummos impendiſſe. Videtur illa in marmore expreſſa in Sacello, quod idem Pontifex extruxit. *In deſcript. Baſil. Liber. lib. 2. c. 9.*

Quinque propugnaculis ſpatiis ęqualibus inter ſe diſtinctis abſolvitur, figuram Pentagonam efficiens, arcibus, quas *Regulares* vocant, maximè idoneam, vt ſciunt Periti, nec deſunt Foſſæ, nec Vallum, neque muri terreno aggere firmati.

Pręſidio illi ſunt ſexcenti Milites, centum inſuper ac ſex ęnea tormenta, quinquaginta eorum mœnia exornant, & muniunt, cætera in armamentario ſervantur cum quinque grandioribus ęneis mortariis, pluribuſque inferioribus, nihilque deeſt munitiſſimæ Arci pernecessarium.

In ejus Arcis Porta maxima hoc extat inciſum marmori elogium.

PAVLVS V. PONT. MAX.
ARCEM FERRARIÆ
A CLEM. VIII. PONT. MAXIMO INCHOATAM
IN OPPORTVNIOREM FORMAM REDEGIT,
ATQVE PERFECIT
ANNO SALVTIS MDCXI.

Et minori alteri, averſæ à priori, quę *Succurſus porta* dicitur non aliud, niſi hoc.

PAVLVS V. PONT. MAX.
ANNO SALVTIS MDCXI.

Uti ſingulis in propugnaculis ſingulæ inſcriptiones hujuſmodi.

PAVLVS V. PONTIFEX MAXIMVS.

De Ferrarię nomine, quod in duplici ex propoſitis numiſmatibus legimus vide Leandrum Albertum in deſcriptione Italiæ. Urbs ea eſt Emiliæ ad Padum, olim, ut aliquibus videtur Forum Alieni quæ ſub Ateſtinis Principibus adeo crevit, ut inter præcipuas Italiæ Urbes cenſeatur, ampla, probèque munita, Epiſcopali Sede à Vitaliano Pontifice Maximo exornata. De eadem etiam fusè tractat Baudrandus in lib. 4. Itinerarii.

Supradictæ Arcis primum Præfectum fuiſſe Illuſtriſs. D. Fratrem Vivianum Menantium, Militem Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, conſtat ex Diariis Pontificiis, ubi legitur „16. Aprilis Illuſtriſsimus D. Vivianus Menantius Ca-„ ſtellanus Arcis Ferrariæ præſtitit in manibus S.D.N. ſolitum, & debitum fide-„ litatis juramentum, prędentibus Illuſtriſs. D. Marco Antonio Fano, & Galeot-„ to Offreduccio, Camerariis Secretis, teſtibus.

Ejus Ichnographicam delineationem hîc damus ne quid deſit quod Lectori eſſe poſſit jucunditati.



XXXVI

VT PRO PECCATIS POPVLI ORET SACERDOS VIRGO, CVIVS VTERVS TEMPLVM DEI FACTVS EST.

S. P. Q. BONONIENSIS TEMPLVM HOC TVO NVMINI EXTRVXIT M DC XIX.

INter Sacras Ædes, quæ in Civitate Bononienſi numerantur, non infima illa eſt, quæ B. Virgini, quàm dicunt *à Lachrymis*, ſeù Lachrymoſam, olim erecta eſt ſub cura Patrum Carmelitarum, quos Strictioris obſervantiæ, & diſcalceatos appellant. Fuit antiqua ibi ſtatua Deiparæ, quam frequentiſſimè venerabantur. Cum autem erga illam cultus in dies creſceret, creſcebat etiam Virginis in miſeros miſericordia, & ab ea accedentes quotidianis gratiiscumulabantur. Hinc Populi magis crevit pietas, adeòque congeſta non modicæ pecuniæ vi, à Devotis tributa, Sacram antiquam Ædem nobiliſſimo fabricæ additamento ampliare decrevit, illamque in honorem Virginis magnificentiùs exornare.

Anno igitur milleſimo ſexcenteſimo decimo nono Eminentiſſimus Cardinalis Aloyſius Capponius, qui Legatus Apoſtolicus Bononiæ præerat, primum lapidem in novis fundamentis poſuit, ſupra quæ deinde apſidem cum duobus majoribus Sacellis veteri Templo addiderunt, opus dirigente quodam Architecto, qui cognomine Martinus appellabatur. *Oldoi. to.4. pag 421.*

Addita fuerunt cum primo lapide duo primæ magnitudinis numiſmata, quorum unum ipſum Cardinalem repræſentabat, lapidem benedicentem Cruce inſignitum, Stemma ipſius gentilitium illi ſuberat cum hac inſcriptione.

ET LAPIS ISTE VOCABITVR DOMVS DOMINI.

In parte oppoſita circuitum numiſmatis hæc verba exornabant.

PAVLI V.
FOELICISSIMI TOTIVS ECCLESIÆ MODERATORIS.
ANNO DECIMOQVINTO M DC XIX.

Inter quæ hæc alia.

IN
MARIAM VIRGINEM
LACHRYMOSAM
FRATRVM CARMELITARVM
DISCALCEATORVM.
ALOYSII
S.R.E. CARD. CAPPONII
BONON. LEGATI
DEVOTI ANIMI
MONIMENTVM.

Aliud verò numiſma fuit illud à nobis propoſitum, in quo legebatur inſcriptio.

VT PRO PECCATIS POPVLI ORET SACERDOS.
VIRGO,
CVIVS VTERVS
TEMPLVM DEI FACTVS EST
S.P.Q. BONONIENSIS
TEMPLVM HOC
TVO NVMINI EXTRVXIT
MDCXIX.

Huic addebantnr verba in girum dispofita.

ANGVLARIS FVNDAMENTVM LAPIS
CHRISTVS MISSVS EST.

Hinc indè duo octangularia Scuta videbantur, quorum alterum Crucem habebat Bononiæ symbolum, in altero transuersa erat Zona, in qua signabantur notæ S. P. Q. B.

In aversa numismatis hujus parte sub numero XXXVII. indicata, Insignia gentilitia Pauli V. cum Aquila, & Dracone, pontificia Tiara, & clavibus insignita, adjectis in circuitu verbis.

CVIVS REGNI NON ERIT FINIS.

Quibus Ecclesiæ, fideique Romanæ perpetuitatem ominamur.

In hoc Templo singulis annis die Septembris septima, pervigilio Nativitatis Deiparæ, Bononiense Senatu permittente, ejus Venerabilis Imago publicę venerationi exponitur, reseratis Cancellis, interim tubis, aliisque musicis instrumentis perstrepentibus.

Absoluta verò die Octava iterùm clauditur duplici clave, quarum alteram ipsemet Confalonerius servat, alteram verò Patres Carmelitæ custodiunt.

Inter obsequia, quę eo die Beatissimę Virgini deferuntur Populus Bononiensis faces permultas Cereas offert, decem scutorum summa coemptas, & pia, perpetuaque lege huic Reginę Dolorum decretas.

XXXVIII

VAS ELECTIONIS.

Qua occasione numisma cusum fuerit ex nullo Pauli V. monumento assequi potui, cum tamen similes imagines cum eodem lemmate viderim exculptas etiam in moneta, non nisi ob cultum erga D. Paulum publicatum existimo, cujus nomine Pontifex appellari voluit. In eo enim D. Paulum humi jacentem cernimus voce è Cælo delapsa perterrefactum.

XXXIX

MORTIFERA NON NOCEBANT.

Ejusdem generis fuit numisma aliud in usum pecunię vulgatum, in quo D. Paulum exculptum vides cum Vipera è manu ejus pendente, prout narratur in cap.28. Actuum Apostolorum. *Cum congregasset autem Paulus (in insula Melita) Sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, Vipera à calore cum processisset invasit manum ejus. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.*

APE-

❀ XXXX ❀

APERIT, ET CLAVDIT.


DIvum Petrum gerit numiſma claves dextra ſuſtinentem. Illud exhibuit P. Claudius Molinetus ex Muſeo S. Genovefę Pariſienſi, aitque Claves B. Petri Pontifici Paulo V. traditas indicari, quibus Cęlum aperiendi, claudendique ipſi tanquàm Summo Chriſti Vicario, & Petri Succeſſori legitimo poteſtas commiſſa eſt.

Sed hoc ipſum in genere pecunię contineri animadverti, nihilque habere, quod ad hiſtoriam pertineat.



GREGO-

I




II



III



IV pag. 545



V




VI



VII



VIII



IX



X




XI



XII





GREGORII XV.
NUMISMATA.

I


GREGORIVS XV. PONTIFEX MAXIMVS

ANNO III.



LEXANDRI Ludovisii effigies extat in numismate, qui postea anno 1621. Romanus Pontifex renunciatus die 9. Februarii vocari voluit Gregorius XV. Hic die Dominico 14. Februarii apud Sanctum Petrum triplici Diademate fuit Coronatus, & die 9. Julii anni 1623. è vita decessit. Huic æternę memoriæ Pontifici Epitaphium scripsit Joannes Baptista Ursi Sacerdos Societatis Jesu. *Ex Act. Consistor. Coll. à D. Cecchin. V. Sig. Ref.*

GREGORIVS XV.
PONTIFEX TER MAXIMVS
TERRARVM ORBIS BENEMERENTISSIMVS
MVLTA BREVI IACVLATVS IMPERIO
QVOT MENSIVM, TOT LVSTRORVM ÆQVAVIT ANNOS
IMMORTALI DIGNVS NOMINE
REBVS PRÆCLARE GESTIS
ROMÆ PRO ROMA
PIETATEM AVXIT NOVO CVLTV RELIGIONIS
RELIGIONI ARAS EXTRVXIT
NOVA SANCTORVM APOTHEOSI,
INTER QVOS
IGNATIVM SOC. IESV FVNDATOREM, *Apud Oldoin. col. 470.*
FRANCISCVM XAVERIVM ANTESIGNANVM
GEMELLVM NVMEN
CÆLI ALBO
VTRIVSQVE ORBIS GEMELLVM, VELVTI CASTOREM
FESTA OMNIVM ACCLAMATIONE
INTVLIT,
FECISSET PLVRA
NI
FATO ABREPTVS PRÆPOREO
OBIISSET
LVGENDVS SEMPER QVOD IMPERASSET PARVM.
ANN. SAL. M.DC.XXIII.





II

CAVSA NOSTRAE LAETITIAE.

DEiparam in finu Filium complectentem cernimus, quam fuæ lętitiæ caufam Gregorius appellat. Virginem enim Deiparam, licèt unico, & fingulari nomine facræ paginæ expresserint fine ullo cognomine, quafi fulgorem illustriffimi nominis memoriæ dedeceat focietas lucis ab adventitio cognomine, attamen illi tot nomina SS. Patres, & Ecclefiæ Doctores tribuerunt, quot Mariani nomenclatores collecta exhibent, de quibus vide Theophilum Raynaudum, & Hipolytum Maraccium in Polianthea Mariana. Unde hęc titulorum feges emanarit explicat eruditè nofter Raynaudus. Eam igitur lętitiam humani generis vocavit S. Ephrem in Laud. B. Virginis, & Apollinaris in Traged. *Christus patiens*, Lętitiam noftram indefinentem Method. Orat. de Hypap. & lętitiam cunctorum generationum Hymn. Græc. apud Buteon pag. 121. propter eas rationes, quas eruditiffimi Scriptores exponunt. Cur fuæ lętitiæ caufam Gregorius Virginem ediderit in percuffo numifmate ex narratione à P. Oldoino expofita deduco.

Nomencl. Marian. obferv. 1.

Maximo ftudio Gregorius Ferdinandum Imperatorem adverfus Rebelles Hęreticorum acies conftanter, & diù juvit, tum expedito milite, tùm numerata pecunia in menfes fingulos. Interim Maximilianus Dux Bavariæ bellicis artibus celebris copias in Auftriam duxit, & Provinciam quatriduo in poteftatem redegit, Cæfarique reddidit Ferdinando. Hoftes oppreffit, Analthinum fupremum copiarum Boemicarum Ducem fregit, Vexillum ejus cœpit, agmen in Burgenfem Urbem duxit, plenufque fpei Dei fretus ope, cælites fibi non defuturos, exiftimans in alieno folo Filio, & Buquojo clariffimis Ducibus in gloriofi prælii partem advocatis cum hoftilibus copiis duplo majoribus loco, viribus, munitionibufque fuperioribus figna contulit, depugnavit, eafque juvante Numine horæ unius fpatio fugavit atque penitus delevit, itaùt nulla victoria hoc fæculo acciderit illuftrior, figna multa capta, multa Romam miffa, & Gregorio XV. LAETANTE. Deoqne, ac Virgini Mariæ gratias infigni fupplicatione, & Populi confluentis frequentia ad ædem, quam S. Mariæ à Victoria appellant delata funt.

Col. 469.



III

CAVSA NOSTRAE LAETITIAE.

SANTA MARIA DELLA VITA BOLOGNA.

EOdem titulo Mariam Virginem compellavit Gregorius cum Virginis Jconem expreffit, quam Bononiæ venerantur, tanquam vitæ humanæ patronam, & adiutricem. Verba Italica in numifmate expreffa fatis hoc declarant. Unde autem talis denominatio ortum duxerit ex fequentibus difce.

Eo anno, nempè 1260. quo infuetæ pœnitentiæ ferventiffimo fpiritu concuffa fuit Italia, quæ in flagitiorum cæno antea volutabatur, populi fe flagellis publicè cędere cœperunt, ut narrat Monachus Patavinus apud Odoricum Raynaldum his verbis. *Intantum timor Christi irruit fuper eos quod nobiles pariter, & ignobiles, fenes, & juvenes, infantes etiam quinque annorum nudi per plateas Civitatum, opertis tantum modo pudendis, depofita verecundia bini proceffionaliter incedebant, finguli flagellum in manibus de corrigiis continentes, & cum gemitu, & ploratu fe acritèr fuper fcapulis, ufque ad effufionem fanguinis verberantes, & effufis fontibus lachrymarum, ac fi corporalibus oculis ipfam Salvatoris cernerent paffionem, mifericordiam Dei, & Genitricis ejus auxilium implorabant. Siluerunt tunc temporis omnia mufica inftrumenta,*

Chronic. lib. 3. ad ann. 1260. n. 6.

menta, & amatoriæ cantilenæ. Sola cantio pœnitentium lugubris audiebatur ubique, tam in Civitatibus, quàm in Villis, ad cujus flebilem modulationem corda saxea movebantur, & obstinatorum oculi se à lachrymis non poterant continere.

Bononiæ primùm ortam hanc se flagellantium sectam refert in sua Bononia perlustrata Antonius Masinus, ut Divinam iram suo sanguine placarent eo tempore, quo non minùs fame, quàm epidemico morbo Italia universa laborabat, eodemque anno institutam fuisse à B. Raynerio Perusino sodalitatem sub invocatione B. Mariæ, cujus studium in curandis Infirmis præcipuè versabatur. Mariam Vitæ exindè dictam fuisse Deiparam, eoque nomine Templum, ac Xenodochium, ex quo Infirmi omnes brevi dierum spatio, quovis prorsus morbo depulso, incolumes prodibant. In eodem Templo Deiparæ dicato Altare privilegio dotavit Gregorius XV. anno 1623. quo Sacra in eo celebrans, Animam è Purgatorii flammis liberare valeat, ut idem Masinus refert.

Pag. 524. *Idem pag. 542.* *Pag. 128.*

✠ IV ✠

BEATI, QVI CVSTODIVNT VIAS MEAS.

NUmisma, in quo Divini Salvatoris imago adiecto lemmate ex cap. 8. Proverbiorum accepto *Beati qui custodiunt vias meas*, scilicet mandata mea, easque semitas vitæ tenet, quas Salvator ipse Virtutum studio calcavit. Nonnisi, quàm ad Religionem, & divinæ legis amorem in populis augendum, cusum fuisse præsens numisma credendum est.

Vers. 32.

Christum enim honore affectum in nummis à multis scimus, præsertim à Christianis Imperatoribus, qui relicto infidelitatis errore, quo fidei à se susceptæ gloriam magis, ac magis ostenderent, nummis suis, aut imaginem, aut Christi nomen insculpserunt. Ita extat nummus à Carolo Magno cusus, in quo Christus Imperatori Diadema imponens exprimitur, & in aversa parte Liber Vitæ hac inscriptione figuratur. IESVS CHRISTVS REX REGNANTIVM, seu REX REGVM. Alii Christum solum insculpserunt cum I.H.S. X.P.S. vel *Basileus Basileon*, cujus authorem faciunt Joannem Zimescem Imperatorem post confectum bellum contra Tauro scythas, quod & sequentes Cæsares Græci imitati sunt apud Zonaram. Modò Crucem his literis circumscriptam I.H.S. X.P.S. quod & imitati Franci Cæsares, & Reges, qui in suis solidis circum Crucem florentem scribunt. *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.*

Camerarius par. 3. horar subcisiv. cap 74.

✠ V ✠

PACIS, ET RELIGIONIS AMOR.

PAcis, & Religionis amor, qui in Gregorio XV. effervescebat præsens numisma vulgavit, in quo Religionis, & Pacis typus duplici Muliere exprimitur. Gerit hæc Oleam, & Cornu Divitiarum, conculcato vario armorum genere. Habet illa Crucem, quæ Religionis Christianæ Insigne præcipuum est. Quo autem amore utramque sit prosequutus Gregorius ex uno tantum facto abundè tamen edisces.

Ad Pontificiam illam Sedem evectus postquam Jubilæum universale indixit ad Divinum auxilium pro salutari Ecclesiæ Catholicæ regimine implorandum, Vallis Tellinæ procellam inter populares illos exortam, sed jam involventem Galliæ, Hispaniæque Reges, & nisi dissolverentur in fœdum aliquod bellum erupturum comprimere aggressus est, primùm distrahendo Regum animos, quemque ad sua hortatus, alterum, ut reliquias hæreticorum in Gallia funditùs deleret, utrumque magno sanè consilii sui, & Regum ipsorum bono impetravit. Nam reintegrato utrinque bello, & Galliæ Rex quamplurimis Urbibus, arcibusque vi, aut deditione, captis rebelles propemodum omnes incredibili celeritate perdomuit, & Hispanorum

Oldoin. 468

panorum arma in Belgio, & eo maximè tempore relatis ſępè Victoriis feliciùs explicata ſunt; Verùm cum adhuc animi recurrerent ad ejus controverſiæ definitionem, in ſuum ipſe patrocinium, conſpirantibus in hanc unam conditionem partibus, eam regionem interim accepit, dum tempus validiora afferret remedia, quare magnis ſumptibus pro pace, ac religione haud gravatè factis, fratreque Horatio Ludoviſio Fiani Duce illuc immiſſo cum egregia militum manu occupavit arces illas, firmavitque præſidiis, ac præſenti tunc quidem malo opportunè conſuluit.

VI

QVINQVE BEATIS CAELESTES HONORES DECERNIT. ANNO M.DC.XXII.

Qvinque Beatis Cęleſtes honores decrevit Gregorius anno 1622. cum Sanctorum Faſtis adſcripſit Ignatium Loyolam Societatis Jeſu Fundatorem, Franciſcum Xaverium ejus Socium Indiarum Apoſtolum, Philippum Nerium Congregationis Oratorii Auctorem, Iſidorum Cultorem Agrorum, & Thereſiam Carmelitarum Diſcalceatorum Inſtitutricem.

Fuerat Baſilica Vaticana pro Canonizatione tantùm S.Iſidori magnificè exornata, cui deindè quatuor alios Beatos addidit Gregorius. Ejuſmodi apparatum tunc temporis Italico ſermone deſcripſit Joannes Briccius Romanus, typiſque vulgavit Andręas Fei, ex qua deſcriptione aliqua delibavimus. Sub ampliſſimo Baſilicæ Tholo Suggeſtum ligneum compactum pavimento palmis quinquaginta elevatum, cujus longitudo centum paſſus æquabat, ſexaginta ſex latitudo, ſingulis lateribus arcus multiplices imminebant, totidemque ampla loculamenta, in quibus Sedilia pro Spectatoribus nobilibus diſtributa. Suprà Coronicem magna Candelabra cereas faces ſuſtentabant, inter quæ res præclarè geſtas à S. Iſidoro, ejuſque Miracula coloribus expreſſa peramplæ tabulæ continebant, ſingulis adiectis Inſcriptionibus, & Carminibus in laudem ejuſdem eleganter conſcriptis. In fronte hujus Theatri Columnarum loco Arcus ſuſtinebant Simulachrá, quibus vitia à S. Iſidoro conculcata indicabantur. E Tholo quatuor Coronæ palmis octodecim amplæ pendebant, innumeris cereis facibus collucentes. Parietes Baſilicæ ſericis, aureiſque periſtromatis undequaque tegebantur, & Aræ D. Petro Sacrę quadrilatera Umbella imminebat quinquaginta palmorum ſingulis in lateribus extenſa, aureo panno contexta, nec quidquam in ſacra ſuppellectili deerat, quod majeſtatem, & opulentiam indicaret.

Baſilica tali pacto exornata Sacra Canonizationis pompa ritibus jis peracta fuit die 12. Martii, quos Pontificiarum Cęremoniarum liber præſcribit. Procuratores, qui nomine Regis Hiſpaniarum Canonizationem SS. Ignatii, & Franciſci Xaverii à Summo Pontifice expoſtularunt fuerunt Eminentiſſimus Cardinalis Ludoviſius, ipſius Pontificis Nepos, & Illuſtriſſimus Præſul Zambeccarus, oblationes verò pro S. Ignatio fecerunt Cardinales Millinus, Lenus, & Creſcentius. Pro S. Franciſco Xaverio Cardinales Mutus, Sabellus, & Valeſius. Pro S. Iſidoro Cardinales à Monte, Perettus, & Mandrutius. Pro Sancta Thereſia Cardinales Zolerenius, Gherardus, & Scaglia. Pro Sancto Philippo Cardinales Pignatellus, Sacratus, & Guzzadinus.

Hanc Sanctorum Ignatii, & Franciſci Xaverii Canonizationem Sacra, & literaria pompa celebravit tum Societas noſtra univerſa, tùm Romæ præcipuè Collegium Romanum. Extat Epiſtola, referens pompam, qua horum Divorum Imagines ex Templo Farneſiano ad Sacram Ædem Collegii Romani delatæ fuerunt nobili in Vexillo expreſſæ. Extatque argumentum Italica alia Epiſtola deſcriptum à P. Famiano Strada, Excellentiſſimo Principi Venuſino nuncupata, typiſque edita apud Alexandrum Zannettum Romę, qua exponit omnia ea, quæ in erudita Apotheoſi, tum Pręceptores, tùm Diſcipuli ejuſdem Collegii peregerunt, alteram ex illis hiſce paginis inſerere non abs re viſum eſt nobis; Utraque autem Societatis gaudium pro beneficio accepto innuit, ejuſque erga Benefactorem grati animi Amor, cui ſemper glorioſi nominis æternitatem deprecabitur.

RELA-

RELATIONE

Della Processione, e Feste fatte dalli Scolari, e Padri del Collegio Romano nel portare lo Stendardo delli SS. IGNATIO, e FRANCESCO XAVERIO dal Giesù alla Chiesa del Collegio.

Dovendo il Collegio Romano, come membro principale, e figlio primogenito della nostra Compagnia portare lo Stendardo de i suoi SS. Padri Ignatio, e Francesco processionalmente dalla Chiesa della Casa Professa alla sua, conforme all' usanza delle Canonizationi, e non havendo potuto farlo in quella prima Settimana, che furono canonizzati, per essersi in ciaschedun giorno di quella celebrate le feste, particolarmente di tutti cinque i Santi canonizzati, ne meno nella seguente per essersi incontrata la Settimana Santa, tempo più opportuno a piangere la Sacratissima Passione, e Morte del Signore, che à festeggiare le glorie de i suoi Santi l'ha fatto dieci giorni doppo Pasqua con universale applauso di tutta la Città; & acciò si facesse con quel maggiore apparato, e pompa, che fusse possibile alle nostre forze, il Padre Rettore del Collegio diede ordine alli Maestri, tanto Superiori, quanto Inferiori, che invitassero privata, e publicamente li Scolari, che dovendosi fare la Processione per il nostro Stendardo quelli, che potevano ci volessero intervenire. Non così presto fù pubblicata la Processione, che si vedè negl' animi de' Signori Scolari un' efficacissimo desiderio di honorare li nostri Santi, non solo in accompagnare lo Stendardo con torcie, ma anco con far fuochi, & altre allegrezze la sera, come si dirà appresso. Nè minore è stato l'affetto degl' Alunni, e Convittori, che in diversi Collegii vivono sotto la nostra cura, i quali tutti furono dal Padre Rettore del Collegio particolarmente invitati a volersi ritrovare alla Processione; gl'Alunni, e Chierici con torcia, e cotta; i Convittori con la torcia; Venne finalmente il giorno destinato per la Processione, il quale per essersi mostrato la matina nuvolo, e ventoso minacciò di turbare la commune allegrzza con la pioggia, e vento, ma l'intercessione di quelli, che sono stati costituiti da Dio sopra le pioggie, e venti ci ottenne dall' istesso un chiaro, e tranquillissimo giorno; si rimandorno la mattina più presto del solito li scolari alle case loro, acciò potessero il giorno esser più solleciti in venire al Collegio, dove si doveva ordinare la Processione. In tanto si diede ordine, che si nettassero le strade per dove si haveva da passare, e con le due Campane del Collegio, e quelle del Giesù si sonò à Festa più volte per gran pezzo di tempo. Venuti li scolari, radunati nelle proprie scole con le torcie in mano, & assegnatoli li compagni alle 20. hore si principiò la Processione, la quale uscendo dalla Chiesa per il cortile delle Scuole s'incaminò verso il Giesù, e quivi entrata accese le torcie, e prese lo Stendardo, il quale fù dal nostro P. Generale apparato con piviale in mezzo à dui Padri Assistenti, vestiti con la stola, e cotta, incensato, consegnato al Padre Rettore del Collegio; fatto questo si auviò la Processione (sonandosi in tanto tutte le campane, non solo nostre, e delle Chiese avanti le quali si passava, mà anche quelle del Senato, e Popolo Romano, che in tutte le nostre feste si è mostrato alli Santi, & alla Compagnia devotissimo) verso la Valle per la strada de Cesarini, di li andò all' Anima passando per Pasquino, indi à Torsanguigna, e Santo Agostino, quivi voltò verso li Borghesi, da questi entrò nel Corso, li dove comincia il Palazzo del Cardinale Borgia, e caminò tutto il Corso, fin' alla piazza di San Marco, d' onde per strada dritta se n' andò alla Chiesa del Collegio. L' ordine della Processione fù questo. Andavano avanti alcuni Suizzari della guardia di Nostro Signore, quali per la moltitudine della gente, che era concorsa à vedere, furono chiamati à far strada

alla

alla Processione. Appresso venivano cinque Trombettieri sonando, à quali seguiva la Croce in mezzo à due Accoliti; che portavano li candelieri, doppo i quali erano gli Orfanelli, che vengono alle nostre Scole con le torcie accese in mano, doppo questi venivano li Scolari delle Scole inferiori à due à due con torce accese in mano con quest' ordine, prima venivano li Scolari dalle tre ultime scole di Grammatica, poi quelle tre seconde, appresso quei della tre prime pur di Grammatica. Doppo questi venivano gli Humanisti delle due Scole, & i Rettorici. Finite le Scole inferiori cominciavano quelle delle Superiori per ordine, cioè Logici, Fisici, Metafisici, Casisti, e finalmente li Teologi; dopo tutti questi venivano li Convittori del Seminario ultimi trà quelli, ch'andorono con l'abito secolare; appresso à loro seguivano gli Alunni del Collegio de' Scozzesi, dietro à quali quelli de' Maroniti, dell' Inglesi, e doppo di tutti li Chierici del Seminario, quali tutti li Alunni, e Chierici andarono non solo con la torcia, come gli altri, ma anche con la cotta. Seguiva li Chierici del Seminario la lor musica molto numerosa, appresso la quale venivano li nostri Fratelli coadiutori col mantello, beretta, e torcia; doppo questi i Fratelli Scolari con torcie, e cotte; poi li Sacerdoti pur con torcia, e cotta; al fine veniva lo Sterndardo portato da varii Padri più gravi, e più antichi del Collegio, auanti al quale precedevano cinque altri Trombettieri, dietro allo Stendardo vi furono dui Padri Assistenti con il Padre Segretario con torcie, e cotta, che vennero ad accompagnare tutta la Processione sù la piazza del Giesù, mentre passò la Processione vi furono quattordici Tamburini del Popolo Romano, che sonarono, finche tutta fusse fuori, e poi l'andorno ad incontrare in diversi luoghi, e finalmente la sera si trovorono sempre al Collegio sonando, finche lo Stendardo fusse messo in Chiesa, e fussero finiti li fuochi, nel qual tempo fù anche sparata una salua de Mortaletti: all' uscir del Stendardo dal Giesù furono sparati molti Mortaletti, e fatti altri fuochi artificiali, come, anche in varie Piazze, e contrade, per dove passò. I Palazzi de Prencipi, de Cardinali, ed altre persone d' ogni conditione erano tutte tapezzate di belli, e finissimi drappi, & in due, ò trè luochi erano altari con i quadri de nostri Santi, chiarissimo segno, & argomento della devotione del Popolo verso i nostri Santi Padri; le finestre erano pieni di Prelati, Cardinali, & altri Prencipi, che concorsero à vedere la processione; molti de quali havevano in processione con la torcia i suoi parenti, essendo stata la processione non più numerosa di gente, che di nobiltà; anzi le persone più nobili, e titolati delle Scuole vi vennero tutte, e tante loro, quanto il resto delli Scolari andorno con tanta modestia, e devotione, che diedero che dire à tutta Roma, parendo difficile à credere quello che ogn'uno vedeva, che Giovanetti di tenerissima età andassero in processione con tanto silentio, che ne pure una parola dicessero. Nel processo del viaggio fù lo Stendardo incontrato due volte, prima dalli putti del Letterato, i quali con venti torcie si fecero auanti, & accompagnorno per un pezzo lo stendardo, poi nella Piazza di Sciarra fù incontrato la seconda volta dalla Congregatione della Communione generale, e da quella delli Sacerdoti (quali si fanno nel Collegio Romano) capi de quali erano trè Vescovi. Il numero delle persone di queste Congregationi trà Sacerdoti, e Secolari fù sopra cento, con edificatione di tutto il popolo, essendovici d'ogni sorte, e conditione di persone. Finita la Processione, e attaccato lo Stendardo, quale ricevè sù la porta della Chiesa il Padre Provinciale, vestito di Piviale in mezzo à dui Sacerdoti vestiti cō cotta, e stola si cantò in musica il *Te Deum laudamus*, poi essendo già notte si cominciarono li fuochi, i quali furono li seguenti. Su la Piazza del Collegio erano diece fuochi grandi, che da se soli illuminavano tutto il vicinato; le fenestre della facciata del Collegio, che trà grandi, e piccole arrivano al numero di 78. erano tutte piene di lumi. Sul' fine della facciata vi è il tetto, che era similmente carico di lumi, e fuochi fatti con pece, & altre materie combustibili, che erano à riguardanti di bellissima vista. Sopra il tetto sono li Balaustri, e Campanile, che erano straordinariamente carichi di lumi, e fuochi, come anche la cuppola dell' istesso ornata con diversi ordini di lumi. Nell' architravi dell' istessi erano con varie scalinate disposti vagamente lumi, e fuochi in quantità; l'istesso era sopra li Draghi, che di qua, e di

e di la accompagnano il campanile, e mentre ardevano i lumi si sparorono altri mortaletti, e stettero sempre presenti le Trombe, e Tamburri sonando. Nell'istesso tempo dal Collegio al Seminario caminavano tre stelle lavorate con molto artificio dal Padre Grambergiero Matematico che tutti con diversi moti si movevano. Si viddero l'istessa sera per Roma molti fuochi, raggi, lumi alle finestre, che accompagnauano l'allegrezza, e feste de' nostri, dimostrandò con quelli la devotione verso i Santi, e la gratitudine verso i maestri del Collegio. Il giorno seguente si distribui la limosina ad alcune migliaja di Poverelli, dandosi à ciascheduno un pane bianco di diece oncie, e perche i pani erano 1000. nè si poterono spedire tutto quel giorno, il Padre Rettore ordinò, che se ne mandassero à tutte le prigioni di Roma, alle Zitelle sperse; alle putte di Santa Caterina, e quei del Letterato, & al Giesù ne mandò 170. da darsi à quelli Confessori, acciò li dispensassero loro à chi più conoscevano haverne bisogno. Questo è quanto si è potuto in fretta, e brevemente scrivere della Processione, e feste fatte in questa occasione della Processione dello Stendardo de Santi Ignatio, e Francesco, fatta dalli Scolari, e Padri del Collegio Romano. La Processione durava più di un miglio, le Torcie dicevano esser tre mila.

✠ VII ✠

ALTER IGNATIVM ARIS ADMOVIT, ALTER ARAS IGNATIO.

✠ VIII ✠

LVDOVICVS CARDINALIS LVDOVISIVS SACRAE ROMANAE ECCLESIAE VICECANCELLARIVS. SANCTI IGNATII TEMPLO, VBI PATRVVS GREGORIVS AD SAPIENTIAM ADOLEVERAT DESIGNATO.

ILLI EX HOC GLORIAM HVIC EX ILLO SVFFRAGIVM QVAESIVIT.

Duplicem ejusdem numismatis faciem expressimus, quod tum Gregorii XV. tum Ludovici Cardinalis Ludovisii ejus Nepotis erga Divum Ignatium amorem, ac erga Societatem ab eodem fundatam beneficentiam commendat. Gregorius enim erga Divum Ignatium Orbis Christiani cultum indixit. Ludovisius vero, ut pie coleretur Templum magnificentissimum excitavit, utriusque imaginem pars antica ostentat, postica verò inscriptionem, quæ Templum extructum commemorat.

Vir fuit Cardinalis Ludovisius Comitis Horatii Laviniæque Albergatæ Filius, heroicis virtutibus, excelsisque animi dotibus maxime instructus, fuit castus, & *Oldoin. col.* liberalis, ac in laboribus indefessus, commendatus supra modum ab insigni facili- *478.* tate, qua confluentes ad se qualibet hora humanissime excipiebat, à benignitate nullis pene terminis circumscripta, atque à charitate, qua pauperes omnes, quos sive morbus, sive inopiam prostraverat, miseratione maxima & liberalitate admirabili semper complexus, patrui, aureique Pontificatus fælicitatem nobilitavit, & vere fælix dicendus est Gregorius XV. quòd illi obtigerit præstantissimi ingenii, morumque optimorum nepos.

Templum autem à Ludovico Cardinali extructum his verbis describitur à *Lib. 4. cap.* » nostro Donato. Illud in ampliorem hujus ævi templorum formam descriptum *12.* est,

„ est, & figuram Crucis, cujus pars ima longior, quam summa, transuersæque æqua-
„ les: ternæ in imo peramplæ cellæ ternis sibi obversis respondent, & suo quæque
„ tholo sublimes camerantur.

Ad cellarum aditus quadraginta, & octo Columnæ singulari ornamento constitutæ. Pilæ autem medium Templi intercurrentes è Tiburtino lapide perpepetuis à summo ad imum canalibus striatæ capita sustollunt de more Corinthio, eodemque conformatum Epistilium Zophorum, atque è mutulis prominentem Coronam frons Septentrionem spectat candidis commissa glebis tiburtinarum lapidicinarum, latissime, altissimeque consurgit, ejus Ichnographiam in tabula adiecta subiicimus, quam excogitavit Pater Horatius Grassius, patria Savonensis, vir omni Scientiarum genere excultus, qui Mathesim annis undecim Genuæ, & Romæ cum laude docuit Architecturæ insigniter peritus. Deest tamen illi Tholus, qui duplici globosaque concameratione fornicatus, si juxta ideam ad summum fastigium produceretur, omnia, quotquot Roma miratur, excepto Vaticano, superaret, si tamen oculus attollat templum ingrediens in magnum, quod patet emisphærium illi tholum impositum esse sibi suadet. In plana enim superinducta area tholum ipsum suo pennicillo adeo præclare simulavit Andreas à Puteo Societatis Nostræ Alumnus, ut intuentibus dubium ingerat, num inter prospeticæ artis eruditos possit inveniri, qui illum vel æquet, vel superet. Ille etiam arcuatum parietem, cui longior, imaque Templi pars subiicitur, coloribus nobilitavit, ea ratione, quam brevis descriptio exposuit Romæ impressa anno 1694.

Sothuellus in Biblioth. Societ.

Qua autem pompa primum hujus Templi lapidem posuerit ipsemet Cardinalis Ludovisius explicuit Epistola Romæ impressa italicè apud hæredes Bartholomæi Zannetti, deindè latino sermone Leodii anno subsequente 1627. Ex qua aliqua hic adduco. Cum igitur metatis Templi finibus prima fundamenta fodi cœpissent, & primo lapidi jacendo Dominica intrà Octavam Divi Ignatii Ludovisius incœptionem præclari operis suis manibus aggressus est; mane Venusino cum Principe ejus Fratre, & Oratore Bononiensi, lectoque Præsulum, & Aulicorum nobilium comitatu Romanum ingredienti Collegium obviam ferè prodiere trecenti Patres. In his Societatis Universæ Moderator, Assistentes quatuor, Secretarius ejusdem Societatis, & Romani Collegii Rector, qui omnes consalutatum humanitèr hospitem humanissimum ad aream perduxerunt, ædificationi designatum, qua velis inumbrata pro tecto, qua veste pretiosa pro parietibus mirè collucentem. In area posita erat Ara pulcherrima Divo Ignatio: eodem in loco prorsùs, eaque in parte Gymnasii, quàm Rethoricæ frequens Auditor obtinuerat olim Gregorius XV. Hic Antistes Ludovisius Musicorum choris rei benè gerendæ principium à Deo fœlix, faustumque precantibus compluviata veste, mitra, lituo, ceterisque Pontificalibus ornamentis insignis, duorum Præsulum medius solemnem in Sacris ædificiis ceremoniam incœpit, Salem, & aquam Divina impertit prece; Hisque Sacram ad lustrationem confusis, ingentem aspergit Crucem solemni ritu pridiè defixam in area. Deindè eadem aqua lustrali perspergit lapidem in fundamenta jaciendum. Forma lapidis quadrata, ejusque latitudo palmorum trium, dimidiati palmi erat altitudo. Summa in fronte, quà cælum spectabat, hæc legebantur insculpta verba.

LVDOVICVS CARDINALIS LVDOVISIVS
SAC. ROM. ECCLESIÆ VICECANCELLARIVS
TEMPLVM IACTO AB SE PRIMO LAPIDE
FVNDAVIT IV. NONAS AVGVSTI
ANNO SALVTIS M DC XXVI.

In altera verò parte legebantur hæc alia.

ERIT LAPIS ISTE IN SIGNVM
MEÆ ERGA S. IGNATIVM
EIVSQVE ORDINEM
PIETATIS.


Erant


Ichnographia Templi
S. Ignatij Loiolæ Romæ

Templum S Ignatio Loiolæ extructum Romæ
a Ludouico Cardinali Ludouisio



Alexander Specchi incidit



Erant in superficie lapidis loculamenta tria, quibus ex auro, argentoque Numismata totidem inclusa sunt, & avelli ne possent marmoreis tessellis occlusa. Porro alia numismata ad hanc rem ex ære, ex auro, argentoque percussa, & non iisdem imaginibus, atque sententiis utrinque variata, varias fundamentorum in partes conjecta sunt, quæ mox infrà legentium oculis contemplanda subjiciam.

Ubi lapidem Antistes precatione solemni consecravit, eumdem gladio quaqua versus inducto Cruce consignavit.

Post triplicem Crucis ductum, Lytaniis, Psalmoque decantatis, Orationem ipse succinuit. Ab Oratione continuò lapidem tetigit, dextraque prehensum in fundamenta ritè demisit, demissumque lustrali iterùm aqua, novisque precibus prosequutus est. His peractis reliqua loca fundamentis aperienda passim aspergendo totam aream præeunte supplicatione lustravit. Lustrationem hanc tria divisit in spatia, singulisque spatiis absolutis, preces, psalmosque decantando tribus interquievit stationibus, donec rediret ad locum, ex quo primùm lapidem in fundamenta dejecerat. Tum alta voce *Veni Creator Spiritus* incinentem secuti Cantores, & post Hymni concentum solus Antistes ultimam executus Orationem, populoque frequentissimo bene precatus, ad Collegii Romani Ædem Virgini Annunciatæ Sacram se contulit, Ignatio Litaturus.

Ædes hæc salutatę Virginis damascena veste summum ad lacunar ab imo pavimento tegebatur. Ex ea Poeticum ornamentum pendebat, quod raritate picturarum intuentium oculos pascebat. Artes enim, quæ condendis Basilicis ancillantur humanæ figuræ statu, vel prominebant è tabulis, vel extrà tabulas operosę, hilari ambitione famulandi, sese operamque suam Ludovisio certatim offerebant. Quod argumentum titulum operi fecit, qui principi Templi portæ imminens ampla in tabula incurrebat in oculos.

QVAS HIC FAMVLARI AGMINE
ARTES CIRCVMSPICIS
LVDOVICE CARDINALIS MVNIFICENTISSIME
TIBI FABRICANT MOLEM
IGNATIO
OPERAM LOCANT
ÆMVLATVRÆ IN TERRIS TEMPLVM
QVOD NON HVMANA DECEMPEDA FABREFACTVM
PATRVVS TVVS
GREGORIVS XV. PONTIFEX MAXIMVS
IGNATIO
APVD SVPEROS PATEFECIT
QVODQVE TIBI TOTIDEM IN COELO ARTIFICES
E DIVINÆ MENTIS IDEA
PAR TVIS VIRTVTIBVS
MOLIVNTVR.

Artium aliæ quasi Caryatides oneri ferendo collocatę sustinebant capite conchas amplissimas, quæ suis flexibus, atque Canaliculis Achanthi folia, & volutas corynthias exprimebant. Alię tabulis amplioribus explicatę ex iis in globis, historiisque artificii sui compendium ostendebant. In loculamentis, sivè conchis, tanquam uniones inclusa numismata spectabantur ex Ære, sed intercurrentis auri venis asperso. Numismatum diameter erat palmorum quatuor, Statuæ cum basibus sine conchis trium, & viginti novem altitudo. Opus omne Pictoris exquisiti manu, & singularum artium ora non agenda spirabant opera, sed propemodum agebant.

Prima Statuarum Aræ maximæ propior Ars ædificandi dextera libellam gerebat, concham læva capiti impositam; Ex Concha numisma prominebat, quod in addita hic tabula posui sub numero I. cum D. Ignatii Imagine verbis Apostoli

1. Corinth. 3. circumſcriptum. VT SAPIENS ARCHITECTVS FVNDAMENTVM POSVI, QVOD EST CHRISTVS IESVS.

In Statuæ verò ſtylobata ſubſcriptum legebatur Epigramma.

Cui ſuper imponam Molem LVDOVICE *ferendam!*
Quis tantum ſtabili pondere libret opus?
Cæliferum huc Atlanta. Voces nam culmina nubes
Alta ſupertollit Cælum imitata Domus.
Aut LOIOLAE *humeris templum committe ſuperbum*
Verior in terris Cælifer ille fuit.

Hanc inter proximamque Statuam media erat Architectura, quæ perampla in tabula normam manu geſtans, operarum multitudini operum rationes imperabat. Opificum alii pro Templi parietibus ingentes lapides attollebant; Alii vectibus, ergatiſque immania marmora tabulatis imponebant. Architecturæ ſuum Epigramma ſubjectum erat.

Artes quare novas Molitrix alta domorum
Vicinum, ut major Pantheon umbret apex.
Illis nempe Deus ſurgit par omnibus Aedes,
Et Divum populo ſufficit una domus.
Sic Agrippa Deos arctat. LVDOVISIVS *unum*
LOIOLAM, *at quanto largius Aede colit?*
Hanc ubi conſpiciet Molem Roma inclyta dicet
Conſulis ille fuit, Cæſaris iſte labor.

Architecturam Statuaria ſequebatur, quæ altera manu malleum, ſcalpellumque, ſuperiùs altera numiſma geſtabat averſum, verbis illuſtre, quæ legis in tabula num.II. Ejuſdem argumenti in ſtylobata collocatum erat Epigramma.

Sume Peregrinis lucentia marmora venis,
Et formanda ultrò currit in ora Paros.
Spiret onix LVDOVICVM *fulvus ſpiret Jaſpis*
GREGORIVM, *hos virtus indica gemma decet.*
Ponere, ſi Capitum par nobile dignius optas
Pandimus en pectus ponere corda potes.

Statuariæ ſignum excipiebat Sculptura, quæ capacem intrà tabulam Cardinalis Ludoviſii Caput pretioſo ſculpebat ex marmore, dum alii ejuſdem inſigne gentilitium laborioſe formarent Scalpris, alii terebriſque Corinthium capitulum, aliaquè id generis exculperent. Ipſa ſubjecto Ludoviſium alloquebatur epigrammate.


En Ego, ſeu tereti placet inſudare Cylindro,
Seu gentilitias Stemmate ferre notas;
Seu vultus LVDOVICE *tuos, educere formas*
Duraque in humanas flectere ſaxa libet.
Sed ſigna effinxiſſe meum eſt, maxime Princeps.
Tu vitam ſignis inſinuare potes.
Auguſtum ſubito jubeas cum vivere Templum,
An vitam nequeas indere marmoribus?

Sculpturæ Cruſtaria jungebatur. Hæc altera manu ſectricem marmorum Serram cum Calamo aquam irrorante geſtabat. Malleum, Scalprum, normam, aliaque inſtrumenta in baſi collocaverat. Altera verò manu capiti loculamentum impoſuerat, cui inditum erat numiſma Divi Paulini verbis inſcriptum, ut numero III. (Epiſt. 12.) Quæ verba fuerunt etiam ſequentis Epigrammatis argumentum.


Par-

pag 554


I



II



III




IV



V




VI




VII




VIII



IX




X



XI



XII



XIII



XIV





Partior in tenues vivacia marmora crustas,
Ut fabricanda diù vivere Templa queant.
Mortua num vitam promittant Saxa? Sed illis
Dum LUDOVICE *Anima es, vita perennis inest.*
Fundamenta domus fragili jaciemus arena,
Ista sed æternum vivere imago dabit.

Crustariæ Pictura succedebat, quæ coloribus exprimebat in tabula Cæleste visum illud, & Cæleste promissum Ignatio. EGO VOBIS ROMAE PROPITIVS ERO. Circa hæc illustris umbrarum introrsùs recedentium fuga eumdem Ignatium Minoressano latentem in specu ponebat ob oculos. Alii pingendæ telæ gypsum inducebant, alii terebant colores, alii temperabant, omnia denique his versibus comprehensa.

Terrarum quodcumque vides. Cælique, Marisque
Pingit appellæo nostra colore manus.
Veraque sunt, oculis, quæ ficta illudit imago,
Credunt naturæ, quod fuit Artis opus.
Est quoque divinus nostris Sol pervius umbris
IGNATI *arcanas combibis unde faces.*
Mira tamen semper pingam tuus optime Princeps
Si mihi virtutum sit LUDOVICE *color.*

Comitabatur Picturam Graphica. Hæc dextra lapidem tenerum præferebat, cujus opera in ingenti ad stylobatam pergamena primo ductu linearum informarat historias in Templi facie collocandas; Sinistra verò è loculamento numisma præferebat aversum, ut num. IV. & Epigramma incisum in basi.

Illa ego sum ductis Calamo, quæ molior umbris
Luce colorandum prodere mentis opus.
Aspice descriptum nascens in imagine Templum,
Et faciem dignam Principis imperio.
Extima sed species meus est labor, intima Templi
Sola potest pietas Principis exprimere.

Hinc se offerebat Fusoria egregiamque Gregorii XV. statuam recens fusam climabat. Eadem in tabula operarum aliæ fundebant æra, fusa aliæ poliebant, formisque futurorum operum aliæ insudabant, adjecto hoc Epigrammate.

Me quoque fundentem calidis fornacibus æra,
Artificemque vocant signa sequuta manum.
Sed magis effulgent ductis simulachra metallis,
Unde LUDOVISII *Principis ora micant.*
Purpura dat lucem, virtus dat vivida vitam
Dant operi æternum grandia facta decus.
Solus ALEXANDRUM *Lisippus duxerit: artus*
Ponet ALEXANDRO *Par* LUDOVICE *tuos.*

Secundum Fusoriam Cælatura se prodebat ornata malleo, cæloque quibus vasa marmoraque signis eminentibus insignire solet, altera numisma V. prehendebat impressum divinis Ignatio promissis, ex loco jàm areaque pulcherrimi Templi fundamentis aperta comprobatis. Ejus Epigramma sic habebat.

Ast ego quæ quondam æterno famulata Parenti
Immortale rudi decus, & cognòmina Cælo
Cælatura dedi primus dum surgeret Orbis:
En modò ferrum opifex artemque, manumque magistram,

Devoveo LVDOVICE *tibi: tu maximè Princeps*
LOIOLAE *Templum augustum qui ponis in Vrbe,*
Cælum Vrbi donas hoc nomine pulchrius illo,
Quod refert melius Divinam immobile Sedem.

Ejusdem Fusoriæ comes in communi duorum parietum angulo Monetalis insidebat. Aurea bulla pendebat è collo, formaque calybis erat in manu, qua imprimeret æris aurive massam. Numismati autem facies altera inscripta verbis ut numero VI. & his Epigramma adjunctum.

Adsum quæ docili procudo Numismata ferro
Regia me pietas, quò LVDOVICE *vocat.*
Signa equidem argento descripta vel Aere, vel Auro
Plura feram, vultu sed pretiosa tuo.
Quæ dum nascentis jacies sub viscera Templi
Gaudebit tanto munere dite solum.
India Romanas jam demirare fodinas
Quas LVDOVISII *Solis imago beat.*

Proxima Plastica spectabatur. Hæc è suo exemplari Angelum effictum è gypso eadem ex materia vestibus candidissimis induebat. Hoc illi adjunctum fuerat Epigramma.

Numinis æterni cum prima ætate Parentem
Finxit in argilla, me genuere manus.
Tu Princeps ne sperne meæ miracula destræ
Terrenas quamvis dextera tractet opes.
Aemula Naturæ laudari ars quælibet optat
Aemula sed magni numinis una feror.
Attamen unde tua Artificis manus exprimat ora!
Argillæ subeant pectora grata vices.

Plasticam æmulabatur *Lateraria*, cujus altera manus Pentagono nitebatur, alteram numismati num.VII. signato supponebat, in quo Sapientia, & Religio mutuos ruebant in amplexus. Illa Collegii Romani vultum induens, caduceata Gregorianis Draconibus incedebat, hæc Romani Collegii Templum exprimendo cælestem aram domesticis Ludovisii Cardinalis insignibus exornabat cum lemmate, SAPIENTIA, ET RELIGIO OBVIAVERVNT SIBI. Ornatum augebat Epigramma.

Quid vos Religio Soror, & Sapientia dextras
Jungitis, inque vices, oscula Sancta datis.
Auguror; Aethereas poscunt surgentia Cælo
Templa manus, ingens hæ meditantur opus.
Confice tu Virgo lateres, queis grandia crescant
Mœnia, & augusta regnet in Arce Deus.
Illæ operis praerunt, ut Moli præbeat Aether
Formam, ut materiem juncta ministret humus.

Altera pars ejusdem numismatis à FERRARIA gestabatur, Statua ipsa prægrandi, spirantique folli alteram appellebat manum. Verba numismatis lege sub num. VIII. Epigrammatis autem hæc erant.

Virgo age, cui ferrum varios tenerescit in usus,
Et rapido victus diffluit igne chalybs.
IGNATI *Augustum lambet, qua sydera Templum,*
Qua prope Cælum intrat GREGORIANVS *Apex.*

Hic

Hic licet insudes, tu ferrea vincula Moli
Iniice, & ista tui meta laboris erit.
At verò interior LVDOVISI *splendor honoris*
Auri, non ferri postulat Artificem.
Erravi, tantis minus est virtutibus aurum,
Quod non ille aurum moribus efficiat.

Vicina extabat in tabula *Musivaria*, quæ quadratis trigonis minutissimè tessellatis in pavimento Cardinalis Ludovisii gentilitium insigne componebat. In imo stylobatæ prostabat Epigramma.

Sectilibus rerum formas animare lapillis,
Atque unum è multis conciliare meum est.
Dispare contexo LVDOVICI *Stemma colore*
Hinc aurum, hinc ostrum sectilis Orbis habet.
Principis in signo bene purpura jungitur auro,
Aureus ipse animo corpore purpureus.

Altero in Templi angulo *Gemmaria* extabat, quæ è collo Gemmarum pendulum sertum ostendebat.

Prior numismatis facies erat, qualis sub num. VII. exprimitur in Serie Pontificiorum numismatum, & hic sub num. IX. adjecto Epigrammate.

Fundata pulchra templa Gemmarum potens
Pro silice gemmam contuli.
Casura nunquam debuit LVDOVISIA
Adamante niti gloria.
Adornavit adamas ima latebrarum micet,
Ut in tenebris clarior.
Adamante decuit Templa fundari, quibus
Pyropus est IGNATIVS.

Prominebat deinde *Encaustica*. Hæc auream ex encausto Crucem operis egregii prętendebat manu, & alteram in capite numismati frontem attollebat hic expressam sub num. X. Ad basim verò hoc erat Epigramma.

Nomina, si duxi, viresque Encaustica ab igne
IGNATI *Cultum debeo prima tibi.*
Non alio melius nostri lucere colores
Possunt, quam pulchro nominis igne tui.
Clarius una tuos LVDOVISIA *purpura honores,*
Expinget radiis Concolor una tuis.

Post has *Auraria* Calicem delimabat argenteum, subjiciebat oculis Epigramma.

Hunc LVDOVISIO *de stemmate profluet aurum;*
Aurea nunc triplici Flumine Secla fluent.
Nam tuus IGNATI *pollentior igne liquabit,*
In sacros usus Flava metalla color.
Pulchriùs haud aurum tractavi Auraria, eodem
Quo fluxit Cæli traxit ab igne jubar.

Nigellaria sequebatur, quæ calici lineas excavatas opplebat argento fusili, remissoque plumbo operi nigrorem. Ejus numisma erat quale exprimitur sub num. XI. cujus lemma: SIC PER PIETATEM ADITVS AD SAPIENTIAM APERITVR, & in stylobata nigellatum Epigramma.

Nigel-

Nigellavit splendidis tenebris
Vel Soli adderet aureum nitorem
Aurum dum maculis notat decoris
Ut fulgens mage fulgeat metallum.
Sic Florum Rosa, pompa Consularis
Dumis obsita molle purpurascit,
Virtus ferrea, sic honoris aurum
Sic parit labor improbus quietem.
Expertus LUDOVICE *faustitatis*
Culmen per pietatis, & Minervæ
Iter, quam bonus omnibus recludis
Addens Palladiis sacros recessus
O Cor Principis, ò benigna Virtus
O mens, ò probitas locanda Cælo
Nam te sæcula prisca si tulissent
Templa, quæ tu alis, tibi dicaret.

Hinc *Lignaria* Templi portas aggressa, quarum in valvis cum Ludovisiæ gentis insignibus Ignatii vita pulcherrimè cælata visebatur. Ejus hoc fuit Epigramma.

Digna Cedro IGNATI *Mundo tam provida Virtus*
Et Cedro pietas digna LUDOVISII *est.*
I Faber IGNATI *factis intersere nomen*
Principis quantum crescit utrique decus.
Creditur IGNATI LUDOVICO *judice, virtus*
Illo teste hujus creditur, & pietas.
Ingentem Princeps Aedem molire, minacem
Cælo quæque Astris inserat alta caput.
Inde ædem propius spectabis dextera Cælo
IGNATI *æternam, quam tibi grata parant.*

Ab *Lignaria* Segmentaria paululum recedebat. Pendebat hujus ab humero ferrula, altera manu posticum numisma contemplandum offerebat, quale sub num. XII. His verò Carminibus inciderat basim.

Ne sperne exigua, aridis tumescunt
Multis flumina rivulis, arenæ
Frenant Oceanum, imbribusque lentis
Mundus alluitur coactus Orbis
Nempè olim ex atomis adhuc honorem
Nunc servat: nimis, ut alta crescant
Et quam tollere cogitas, Colossea
Aedes vertice, quæ flagellat astra
Minuto lapide, & minore saxo
Surgit. Ne dubita: Caduca vox est
Mortalis, parit attamen perenne
Immortale decus, coacta in unum
Simul, si sonet, ut simul sonabit
Sic dum segmine discoloris orni
Grandes ducit Imaginum figuras
Segmentaria LUDOVICE *spondet.*

Inde *Textoria* prestò erat. Hæc solemnem, qua Ignatius Divum in numerum relatus fuit Apotheosim intexuerat Aulęis, attexuerat etiam Epigramma.

IGNATI *decora alta vides, Sacrosque Triumphos,*
Et patrui, & magni grande Nepotis opus.

Hæc

Hæc patrui Lvdovice *tui venerabile munus*
Exhibet, hæc meriti textilis umbra tui est.
Lanificas alii studeant mulcere sorores
Ut liceat Fato candidiore frui.
Fata tibi Virtus Lvdovice, *æternåque Famæ*
Stamina sollicita texuit ipsa manu.

Textricis hujus vestigium premebat *Vestiaria* quæ altera manu forfices, adversum altera Numisma XIII. sustollebat literarum ambitu circumscriptum ex homil. 34. D. Chrysostom. acceptarum. *A Deo data vicissim Deo reddimus.* Ipsa de suo in Epigrammate loquebatur.

Filia tum primæ, sed non & conscia culpæ
Et de Matre tuli nil nisi servitium.
Nam veteres texi frondosa veste Parentes
Quos puduit nudi criminis esse reos.
Me sacram Ignati *revocat Ludovisius ad Aram*
Sim famula, ut lucis, quæ modo noctis eram.
Magnum opus aggrederis, Princeps ô magne quis unquam
Progeniem sceleris fecerit arte piam.

Ultima Tabularum *Phrygiaria* Altaris aureo in frontali Ludovisiorum insigne floribus ingentibus coronabat. Ejus laborem Carmen incitabat.

O age, quid cessas, telam distinguere pubes?
O laudum stimulis te tua pungat acus.
Excute vim: nescis quæ nunc miracula tractas?
Quot figendo aperis puncta tot ora locas.
Ora quibus per te, vel stamina muta loquantur
Principis, & nomen dicere fila doces.
Hæc tua sunt rerum molimina, non opus artis
Lorolae *magnum, dum* Lvdovice *faves.*
Optat adhuc linguas centum, centum ora Poetis
Et tibi jam gestat tela, quod illa rogat.

Orbem denique candidatarum artium claudebat Odoraria, quæ Principem propè Aram collocata odoratum ad fumum pastillorum virgulam incendebat. Altera manu Numisma XIV. versabat, ex quo, tanquam è vena tria Flumina aurea erumpebant in Mare, cursuque suo, tanquam ductu trium linearum gentilitium insigne Ludovisiorum Ecclesiastę verbis cap. 1. impressum adumbrabat, scilicèt *Unde excurrunt revertuntur.* Succinebat Epigramma.

Illa ego fragmentum peregrina Antistes odorum,
Quam juvat Eois imperitare plagis.
Adsum & pastillos dextra gero, tu mihi præstas
Ignati *ardentes ò* Lvdovice *faces.*
Non alio poteram redolentior igne videri
Quam quem magnanimi Principis aura ciet.
Sed minùs hæc fragrant mea fumi virgula quam tu
Atque tuum in nostro munere munus olet.

Tandem in Epystilii tophoro inscriptum est hoc Carmen, quasi coronamentum Artium subiectarum, & clausula operis.

Artes struendis molibus bonas vides
Excivit ingens Fama Templi, quod paras
Operam libentes sedulo locant suam

Vicisse

Viciſſe vota Principum, atque opes ſolent
Tui LVDOVICE *non erunt uni pares.*

Ex his numiſmatis primum, ſecundum, ultimumque Ludoviſius in fundamenta coniecit. Secundum enim averſa fronte ſuſceptum opus, adverſa verò operis indicabat Auctorem. Et, ut cuinam Cęlitum colendo Templum extrueretur, Ignatii vultus exprimebat in primo, ità Ludoviſius ipſe Templum offerendo, & tria Ludoviſii flumina Deum Optimum Maximum fontem, & mare bonorum omnium repetendo Cultus Divini cauſam loquebatur in ultimo.

Hoc apparatu rerum, & pompa Ludoviſius recentem Ignatio Baſilicam auſpicatus eſt. Et ſanè dignitas argumenti inventionis raræ, fœlicitas Picturarum explicata majeſtas implevit animos, oculoſque Romæ, in qua nemo fuit, qui rem pulcherrimam diù non ſpectaret, nemo ſpectavit, qui non probaret. Peracto ſolemni Sacro pranſus eſt apud Patres Romani Collegii Ludoviſius, ejuſque Germanus Frater Venuſiæ Princeps cum Oratore Bononienſi, tribuſque Pręſulis domeſticis. Menſæ frugalitatem honeſtavit perpetua concio trium, & viginti linguarum, quorum ſingulæ, excepta una, Pronunciatores patrios habuere, ut ne Japonia quidem deſideraverit Oratorem ſuum. Diei reliquum cum aut in rogandis Architectis, fabricęque conſultationibus poſuiſſet, Ixtitiæ plenus, amoriſque, vale Patribus dixit, illud ante clara voce teſtatus, eum diem, non Templi natalem fuiſſe, ſed fauſtum ſibi, fœlicemque Æternitatis aditum, & inſtar immortalitatis diem, quo fragilem arenam jaciendo non tam ſibi Terræ aream, ſed Cælum fundamentis occupaſſe videbatur.

Habet Lector Collegii Romani gratulationem ex primo jactu lapidis in fundamenta Templi, quod Regis magnificentiam adęquat.

Templum hoc auguſtum conſtruere quidem cœpit Ludovicus, imperfectum deindè abſolvi juſſit Teſtamento; adiecit enim ut ducentis aureorum millibus opus longè pulcherrimum ex animi ſui ſententia ſtaret.

Pluribus annorum ſpatio inſudavit ars, ut abſolveret, ſed ne nimis in longum protraheretur ejus uſus anno Jubilęi 1650. ad ſacra munia, & ad pietatis officia major ejus pars idonea fuit reddita, deindè anno 1670. tota patuit Baſilica.

In ea ſupra fores hanc legimus Epigraphem.

LVDOVICVS CARDINALIS LVDOVISIVS
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ VICE-CANCELLARIVS
IN HONOREM S. IGNATII SOCIETATIS IESV FVNDATORIS,
QVEM GREGORIVS XV. PONTIFEX MAXIMVS
PATRVVS INTER SANCTOS RETVLERAT
TEMPLVM HOC A FVNDAMENTIS EXTRVXIT
NICOLAVS PLVMBINI, ET VENVSIÆ PRINCEPS
FRATER APERIENDVM CVRAVIT
SVB AVSPICIIS INNOCENTII X. PONTIFICIS MAXIMI
ANNO IVBILÆI M.DC.L. SANCTISSIME CELEBRANTIS.

IX

ASSAGIVM GENERALE.

Antequam ad Numiſmatis lucubrationem deveniamus hęrendum parumper eſt in ipſo lemmatis nomine, ideſt ASSAGIVM, quod quidem à Latinis Au thoribus non uſurpatur. Itali enim tantùm dicunt *Aſſaggio*, & *Aſſaggiare* quod verbum doçet Menagius de Origine linguæ Latinæ derivare à particula *Ad*, & nomine *Sapor*, ſeu *Sapos*, *ſapus*, *ſapa*, *ſapagium*, undè *ſapaggiare*, *ſapgiare*, *ſagiare*, *adſagiare*, & *aſſagiare*, quibus vocibus nil aliud ſignificamus, quàm lęviter deguſtare, ſeu aliquid delibare. Ex voce *Saggiare* originem ducunt hęc aliæ *Saggiatore*, e *Saggiuoli*. Lotarius Sarſi in libro, cui titulus Ratio Ponderum Libræ, & Simbellæ.

Pag. 66.

bellæ.

bellæ. *Noram* (ait) *hoc nomine Saggiatore*, *si prima ejus repetatur origo*, *eum significari qui vina degustat, libat, pitissat*, *sic etiam ea voce Saggiuoli exprimi enophora illa parvula, quibus cujusq; vini specimen degustandũ, ac libandum emptoribus circumfertur.*

Hanc vocem *Assagium* jam in usu fuisse anno 1255. notat Dominus Du Cange in Glossario ad Scriptores mediæ, & infimę Latinitatis, illamque inveniri in Bulla Alexandri Summi Pontificis apud Ughellium Tomo 1. pag. 68., in qua dicitur, *Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Fulono in quatuor urcam, & unum assagium, & dimidium Salinis fundi Furani.*

Translata deindè fuit ad significandum examen monetarum, quod quidem duplici ratione perficitur. Primò enim in ipsa monetarum materia, ut an ex puro auro, seu argento constet, nullo vitiato alterius metalli furfure. Secundò, an pondus à Principe decretum ęquet, utrumque non ad privatam, sed ad publici Magistratus, seu ipsius Principis auctoritatem ex antiquissimo more spectare narrat Borghinus agens de Monetis Florentiæ cusis, licèt anno 1322. lex emanarit, qua omnibus privatis jus conceditur Aurificis stateram apud se retinere, qua justum monetarum pondus deprehendatur, metallum tamen, ex quo moneta conflatur solus Princeps recognoscit, eoque probato, in publicos usus erogatur pecunia, vocaturque probata, seu publica; quem usum antiquissimum arguit locus ex Genesis cap. 23. ubi dicitur, Abraham pro sepulchro Saræ, sive spelunca, & agro, quem in illum finem emerat ab Ephron appendisse *quadrigentos Siclos argenti probatæ monetæ publicæ*. Publica autem dicitur, quæ signata est ea figura, qua moneta Principis, aut Communitatis insignitur; probata est, quæ justum pondus, & pretium habet, sive quod in tractandis rerum commerciis exponitur, nos dicimus *monetam currentem*. *Pag. 228.*

Ut autem singuli certi essent de monetarum valore, & pretio docet Aristoteles ideò illis Principum Effigies esse insculptas; undè Rex Theodoricus boni publici interesse dixit monetas haberi integras minimèque attritas. Hæc sunt Cassiodori verba. *Omninò monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur, & generalis utilitas invenitur*. *Quidnam erit tutum, si in nostra peccetur effigie, & quam subiectus corde venerari debet manu sacrilega violare destinat*? Et ut major constaret monetæ veneratio. Pagani quidem Imperatores Deam sibi eamdem finxerunt, quam frequenter ipsis nummis insculpserunt, eamque graviter punientem eos, qui dolum in pecunia committerent. Christiani verò hisce verbis insigniebant. *Sacra Moneta Augustorum, & Cæsarum nostrorum*. Primi repręsentabant tres Deas stantes, trutinas tenentes, quarum prima aureis, secunda argenteis, tertia æneis signandis consecrata censeretur. Quò pertinet trium virorum monetalium solemnis inscriptio, cum officii sui rationem suis nummis inscriberent, quam his characteribus exprimebant A A A F F, quasi illis sese Sponsores traderent æquitatis monetarum sua auctoritate procusarum. *Auro, Argento, Aere, Flando, Feriundo*, de quorum officio scribit Cicero lib. de Legibus, & Pomponius in libro 2. §. 16. de origine Juris, ajuntque, illorum interesse numismata probi auri, & argenti, justique ponderis examinare, undè ille celeberrimus vates retulit, scribens de Nerone. *Apud Patin. cap. 5. pag. mihi 33.* *Variar. l. 7. cap. 32.*

Non circumcisa, & justi ponderis Aera
Quæ nova cuduntur? sine capite absque tuo.

Ob eamdem rationem doctissimi Grammatici censuerunt, monetam dici, quòd moneat, ne quid fraudis in ære, signo, vel pondere fiat, nec non monetam sic vocari eo quòd signi impressione authoris, & valoris nos moneat. Scribit Joannes Ferrar. in usibus Feud. lib. 5. cap. 5. seu monetam, quod moneat in eo metallo signato nullam esse fraudem. Tessut. Jun. tract. de variet. monet. par. 1. *Grass. lib. 3. Miscell. cap. 13.*

Hanc igitur legem monetæ probandæ, ut sanctiùs quam cęteri Principes retinerent Summi Pontifices publici Ærarii Præfectos constituerunt, à quibus novæ pecuniæ, quoties publicandæ sunt, ad trutinam diligentissimè revocantur.

Tale examen indicari ab hoc numismate affirmat D. Joannes Palatius, cui Epigraphe inest ASSAGIVM GENERALE non tamen verum est (quod idem subdit) *totiès repeti solere, quoties nova cuditur moneta*. Manifestum hoc fiet, si ejusmodi examinis seriem exponam. *Pag. 356.*

In Officina Monetaria, quæ Romæ extat, Vir ille, cui ejus cura à Summo Pontifice commissa est, debet singulis annis monetam argenteam cudere ad summam

usque triginta quinque millium nummorum, auream verò decem millium, nec Principis effigiem, nisi in probato metallo imprimi permittit ab operariis. Committitur propterea Perito alicui, qui vulgò dicitur *il Saggiatore* hujus examinis onus, à quo tota auri, seu argenti massa recognoscitur. demptis undequaque particulis, quæ admoto igne diligentissimè inspiciuntur. Si aptum inveniatur metallum, ex eo cuduntur pecuniæ, quæ singulæ non solùm ad trutinam revocantur ab jis, quibus hæc cura Principis authoritate commissa est, ut præscriptum pondus præferant; verùm metallum ipsum rursus in novo examine recognoscitur. Conveniunt propterea Illustrissimus Romanæ Ecclesiæ Thesaurarius, Commissarius Pontificius, Officinæ Monetariæ Præfectus, ejusque cęteri Administri, coram quibus monetæ explorator, seu *il Saggiatore* particulam demit ex pluribus monetis, quas sine ullo delectu è toto parato pecuniæ cumulo desumit, quæ particulæ rursus diligentissimè probantur in igne, quod si fortè metallum vitio non carere existimetur, illicò pecunia tota destruitur; si verò probetur, ad publicos usus impenditur.

Monetę autem, ex quibus particulæ pro examine oblatæ fuerunt in arcula ob id parata servantur, usquę dum, singulis annis, pluribus aliis adiunctis, ad summam excrescant, ex qua plurima numismata, tum aurea, tùm argentea formari possint, quibus Inscriptio ponitur ASSAGIVM GENERALE, suntque probatæ monetæ publica testimonia. Hujusmodi generis fuisse apud antiquos ea numismata, quæ forma cęteris majora, & ponderosiora à Gallis *Medaillons* nuncupantur, existimavit Carolus Patinus. *Introduct. ad hist. numismat. cap 5.*

Quando verò talium numismatum usus apud Pontifices Romanos incœperit ex nullo monumento eruere mihi licuit. Inter numismata sub Gregorio XV. cusa, illa primùm inveni, pro certo tamen habeo monetarum examen tum institutum, cum primùm monetam cudere iidem Romani Pontifices incœperunt. Non enim eorum rectitudo, justitiæque amor ab Ethnicis, seu Christianis Principibus superari ambigendum est.

De Umbella, seu rotundo umbraculo cum clavibus subjectis, quas insculptas numisma præfert alibi satis ediximus..



X

QVIA DOMINVS SVSCEPIT ME.

Num. 6. CHristum Jesum in Cælum ascendentem, dum Gregorius in numismate expressit, adiecto lemmate accepto ex Psalmo Davidis tertio: *Exurrexi, quia Dominus suscepit me*. Nil aliud significare voluisse existimo, quam se ad summum Ecclesiæ Apicem evectum sola Omnipotentis Dei manu nullo proprio merito pręcedente, sicque præclaram sui animi demissionem eximius Pontifex fovebat, ipsa Pontificia dignitate ob id maximè dignissimus.



XI

GLORIA DOMINI PLENVM EST OPVS.

QVinque Beatorum Canonizationi, quos inter Sanctos Gregorius adscripsit, (ut in numismate VI. narravimus) præsens numisma alludit, in quo diffusi solis radii per globum cryſtallinum congregati clariore luce illuminant cor ardens, sagittam, volumen apertū, lilium, & falcem arborariā.

In his Symbolis ipsos Divos intellige. Cor enim ardens Divum Philippum Nerium indicat, cujus cor Dei amore adeò intumuit, ut pectoris costæ diffractæ fuerint. Saggitta Divam Theresiam, cui pectus Cælestis aliger telo ignito transfixit. Liber Divum Ignatium, in quo Societatis Jesu Constitutiones ad majorem Dei gloriam conscripsit. Lilium Divum Franciscum Xaverium puritatis virtute insignem. Falx denique Divum Isidorum Agri Cultorem, sed Sanctitate præclarum, Hos Deus ipse in Sole expressus, tanquam Luminum Pater splendidiores reddidit medio cristallino globo, scilicet Pontifice Gregorio in terris ejus Vices gerente, qui ob suorum morum puritatem meritò à pura cristallo potuit significari.

VRBANI

I



II



III



IV



V



VI



VII



VIII



IX



X



XI



XII



XIII



XIV



XV



XVI



XVII



XVIII



XIX



XX



URBANI VIII. NUMISMATA.

I

VRBANVS VIII. PONT. MAX.



Aphei Barberini effigiem cernis expresſam, cui Orbis vota, & ſuffragia virtutis Apoſtolicum Principatum petierunt, quemque prudentia rerum uſu, & literarum artibus excultum, ad juſtitiæ tutelam, & Religionis gloriam cæleſtibus conſiliis inſtruxit. Natus è nobiliſſima Barberina Familia, poſt plurima in Aula Romana feliciter obita munera, à Paulo V. in ampliſſimum Cardinalium Presbyterorum ordinem cooptatus, Gregorio XV. demortuo Summus Pontifex renunciatus anno 1623 & 29. Septembris ante Auguſtam Sancti Petri Baſilicam in Xyſto, ut mos receptus poſtulabat ab Alexandro Sanctę Marię in via lata Diacono Cardinali Eſtenſe Sacro ejus capiti, Populo Fauſtas acclamationes iterante, triplici tiara pręcedentium virtutum teſtimonio, ac mercede impoſita fuit; die verò Dominico 19. Novembris inſigni equitatu ad Lateranum contendit. Eo Pontifice renuntiato, lætata eſt Urbs tota, audito maxime Urbani nomine, vocabulum vel ab Urbe, vel ab humanitate deducas. Pontifex eo delecto ſe peculiarem Urbis parentem humanum non minus, quam nomine futurum tacite innuiſſe judicarunt; ob id Senatus, Populuſque Romanus immenſi ſui gaudii argumentum Arcum in Capitolio erexit, de quo Auguſtinus Maſcardus libello, cui nomen *Pompæ Capitolii*, italice, ſed ornate diſſeruit, inſcriptioneſque ſequentes recenſuit.

Oldoinus col. 498.

In facie Arcus, quę Romam reſpiciebat.

VRBANO OCTAVO PARENTI PVBLICO
SACRORVM REGI
QVOD ADMIRABILI NON MINVS VIRTVTVM
QVAM SVFFRAGIORVM CONSENSIONE
PRINCEPS RENVNCIATVS
ORBEM TERRARVM IN SPEM
MANSVRÆ FÆLICITATIS
EREXIT
S. P. Q. R.
PERPETVI MONIMENTVM OBSEQVII.

In facie altera ejuſdem Arcus è Regione Capitolii.

VRBANO OCTAVO BARBERINO
PONTIFICI MAXIMO
ANTIQVÆ GLORIÆ RESTITVTORI
AVTHORI NOVÆ
S. P. Q. R.
IN VETERIS CAPITOLII RVDERIBVS
HOC QVALECVMQVE
RECIDIVÆ MAIESTATIS SPECIMEN
PONIT.

Ad radicem Capitolii in Septimii arcus facie, quæ Capitolium respicit.

VRBANO OCTAVO PRINCIPVM MAXIMO
QVOD SACRVM IMPERIVM PATRVM SVFFRAGATIONE
DELATVM
RELIGIONE, SAPIENTIA VOTIS POPVLORVM
PROMERITVS
INVIDIAM ÆTATIS INTEGRÆ
PREROGATIVA VIRTVTIS ELVSIT
S. P. Q. R.
PVBLICÆ GRATVLATIONIS ARGVMENTVM P.

In altera versus forum Boarium.

TE
VRBANE PRINCEPS INCLYTE
RELIGIONIS CVSTODEM
IVSTITIÆ VINDICEM
ROMANÆ PATRONVM ARCIS CAPITOLINÆ
PRÆSIDEM
S. P. Q. R.
PONTIFICEM CVLTV PATREM CHARITATE
PRINCIPEM OBSEQVIO HVMANVM LÆTITIA
VOLENS LIBENS
ADORAT

Arcum Titi duę alię exornabant inscriptiones, videlicet.

VRBANO OCTAVO
AD SACERDOTII CACVMEN
DIVINITVS EVECTO
ANIMI MAGNITVDINE, ET ORIS MAIESTATE
SPECTATISSIMO
AD PVBLICVM BONVM,
ET IMPERII PROPAGATIONEM
NATO
S. P. Q. R.
IN TRIVMPHALI TITI VESPASIANI
SOLIMORVM EVERSORIS
MONVMENTO
VRBANI SECVNDI FÆLICITATEM,
ET AVGVSTIORES TRIVMPHOS
OMINATVR

In altera ejusdem Arcus facie, quæ Lateranum respicit.

VRBANO OCTAVO PONT. OPT. MAX.
PRÆSENTI SANCTIMONIÆ EXEMPLO,
AC IVSTITIÆ CVSTODI
AD SACRORVM INCREMENTVM,
ET SÆCVLI DECVS
MORTALIBVS
DATO
S. P. Q. R.
CONCEPTÆ LÆTITIÆ ARGVMENTVM P.

II

IN VERBO TVO.

IN Divo Petro è navicula rete jactante in Mare Urbanum Pontificem recognosco, qui post electionem ad Altare processit, ut in re tam ardua Deo se commendaret, neque tamen permisit, ut se in locum secretiorem vestiendi causa abducerent, antequam prostratus humi ante Altare precibus, & lachrimis Divinam Majestatem implorasset, ut si minus Ecclesię adiumento futurum prævideret, ne exire vivum pateretur. Deinde in Simbolum Pontificium illud Davidis accepit. *In Domino sperans non infirmabor*. Consentit eidem Simbolo præsens numisma, in quo cum Divo Petro loquitur Urbanus IN VERBO TVO *laxabo rete* nil se posse sibi certo suadens, omnia verò in Deo, qui debilia *confortat* juxta Divi Pauli documentum.

III

TE MANE, TE VESPERE.

INnuimus Urbanum Pontificem die festo S. Michaelis triplici Corona decorari voluisse, quia, (ut refert Pater Oldoinus) Michaelem, primum inter Seraphinos locum obtinentem, Cælestium legionum Ducem Catholicæ Christi Ecclesiæ & Pontificis Maximi Custodem præcipua veneratione colebat, unde illius imaginem musivo opere in Principis Apostolorum Basilica apud aram Sanctæ Petronillæ Joannis Baptistę Calandrę manu perfecit. Talem cultum ære etiam cuso se ante illum genibus innixo indicavit, adiectis his verbis TE MANE, TE VESPERE. Quibus adde *venerabor*. Regium Psalmistam imitatus, qui Psalm. 54. num. 18. ajebat, *Vespere, & Mane, & Meridie narrabo, & annuntiabo & exaudiet vocem meam*. Piissimam hanc mentem non tantùm in percusso numismate anno 1626. scilicet tertio sui Pontificatus declaravit, sed plurimo monetarum genere in quibus eamdem inscriptionem exculpi jussit cum eadem S. Michaelis imagine, circa quam hæc sunt animadvertenda. *Col.498.*

Pingitur ille cum libra, *ut simplices* (inquit Echius) *intelligant, eum potestatem habere animas hominum suscipiendi, eorumque merita ponderare*. Quod quidem non ita intelligendum est quasi ji consequantur vitam æternam, in quibus bona opera præponderant malis. Hęc enim absurdissime dicerentur, cum nihil coinquinatum introire possit in Regnum Cælorum, & qui offenderit in uno factus est omnino reus, sed significatur hac pictura, quòd debemus deponere omne pondus peccati, ut signifer Sanctus Michael repræsentet nos in lucem Sanctam. Significatur, quòd in æquitate erit judicium de nobis, & figurate fit mentio in scriptura. *Appensus est in statera, & inventus es minus habens*. Qua phrasi etiam utuntur Patres, & Dyonisius Areopagita cap. 4. Eccles. Hierarch. *Hom. 18.* *Daniel 5.*

Pingitur armatus, nam celebrior factus est Michael contra Diabolum pugnantis pictura expressum. *Factum est enim prælium magnum in Cælo* (ut dicitur in Apoc. 12.) *Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone*. Ideo nunc Protector Ecclesiæ Dei habetur, unde Archangelus dicitur, qui omnium Angelorum est Dux. Sic olim anno 1469. viso Divo Michaele ad Pontem Aurelianę Civitatis, Urbem à dira oppugnatione Anglorum liberante, Ludovicus Undecimus Galliarum Rex instituit Ordinem Equitum, quem dicunt Sancti Michaelis, cujus imago aurea pendet ex aureo collari, ut refert Claudius Paradinus in Simbolis heroicis.

Rursus apud Danielem cap. 10. *Ecce Michael unus de Principibus primis venit in adiutorium meum*, quare Rupertus Abbas. *Michael Princeps in prælio contra Diabolum Princeps noster & dicitur, & est Princeps in prælio contra Diabolum, & est*

est Princeps in prælio Princeps in Orationis suffragio. Demum armatus exprimitur, quia Antichristi audaciam retundet, juxta Danielis vaticinium. *In tempore illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis Populi sui*.

Cap. 12.

IV

PAX IN VIRTVTE TVA.

IUstitia videtur expressa cum ense, lancibus, & hac epigraphe PAX IN VIRTVTE TVA, Urbaniania iustitiæ munia præcipua explicantur; Fulcimentum ille fuit Orbis, & vindex Pacis, ideò strictus ensis in dextera quo universa protexit, sive rescindendo noxia, sive salubria imperando, ideò in lęva lances, ut ęquali examine jus Orbi dividere ostendatur, pręsidium igitur in illo mucrone habuit Orbis non causam timoris.

Oldoinus col. 525.

Quam autem Pacis amator fuerit, eamque obtentam Deo impiger tribuerit ex sequentibus disce.

Anno 1624. serpentibus in Valle Tellina armis, Franciscum Cardinalem Barberinum ad Reges, & Principes, ut ad pacem componendam incumberet, suum, & Apostolicæ Sedis Legatum de latere declaravit, Legato ad Galliarum Regem pergente cum arma hostilia in Liguriæ, & Insubriæ finibus in cædes parata intellexisset, Epistolam Encyclicam pietatis, & prudentiæ luminibus insignem ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos Catholicæ Ecclesiæ Divinum Numen propitium reddituros dedit. Mense Aprili à Vaticana Basilica ad S. Mariæ Transtyberim cum Urbis Clero, cum Religiosis Ordinibus, cum Populo, & Sacro Senatu Supplex Dei opem implorans pedes incessit, omnibusque triduum se inedia Ecclesiastica affligentibus, & indicata duo Templa obeuntibus, Jubilæi illius anni divitias tribuit.

Idem col. 505.

Anno 1627. Cardinalibus narravit negotium Vallis Tellinæ felicitèr compositum, redditaque Torquato de Comitibus Ecclesiasticorum Copiarum Ductori propugnacula, & ille mox Regum Galliæ, & Hispaniæ Ministris solo æquanda reliquit, & inter alia hæc protulit verba. *Demùm quod nostris erat in votis ex unanimi Regum voluntate pax est firmata: omnem movimns lapidem, ne quid detrimenti Catholica religio pateretur: testes sunt ipsi Reges, & ipse novit Deus, cujus honorem, & gloriam præ oculis semper habuimus*.

V

PONAT FINES SVOS PACEM.

VI

RESERAVIT, ET CLAVSIT.

VII

HOMINIBVS BONAE VOLVNTATIS.

PErtinent hæc tria numismata ad annum Jubilęi, quod anno 1625. celebravit Urbanus. In primo ipse Pontifex dum Portam auream claudit, vota futuræ pacis, de qua diximus in superiori numismate depromit, verbis ex Psalmo 147. acceptis in quo dicitur, *qui posuit fines suos pacem*, Ritum Portam Sanctam aperiendi alibi exposuimus, in pręsenti numismate tantum adverto,

Pon-

Pontificem pluviali indutum Caput habere regno redimitum (quo tamen in ejusmodi ingressu Pontifex non utitur, sed illud, uti peculiare Pontificis insigne Cælator adjecit.

In secundo dicitur Pontifex reserasse Portam auream, illamque clausisse. Antequam eam Portam statuto tempore aperiret; in Consistorio Secreto die 29. Aprilis anni 1624. declaravit se Jubilæum in proximum annum indicere statuisse. Die Ascensionis Domini Sacra ejusdem indictionis diploma, uti Sanctitas Sua Vulpiano Vestrio Brevium à secretis præceperat, de more in atrio Augustinus Urandus Abbreviator Curiæ consuetis Cæremoniis evulgavit, & ne quidquam advenarum commoditati deesset, paterna charitas Urbani curavit. In primis itaque Pontifex hospitium exteris Episcopis, & Sacerdotibus excipiendis ad Vaticanum erigi Sacri Palatii Præfecto imperavit; post tertiam Adventus hebdomadam publico Edicto à Cardinali Vicario emanante omnium Ecclesiarum Custodibus imperavit à singulis tribus diebus ante Pervigilium Nativitatis, post Salutationem Angelicam mane, meridie, & post Solis occasum omnes Campanas festivè personarent. Pervigilio deinde Nativitatis accito tum Regulari, tùm Sęculari Clero post renunciatos Legatos ad portas Basilicarum aperiendas, nempe Cardinales à Monte Sacri Collegii Decanum, Lenium, & Millinum, delatus ad porticum Templi Vaticani sub Umbella in Sella sublimi, consueto ritu trino ictu Portam percussit, eamque ingressus est, jussitque Militibus Sancti Petri, & Pauli, ut quotidie Portæ aureę custodiæ invigilarent. *Paulus Alaleona in Diariis.*

Antequam eamdem clauderet, ter decies eo anno Urbanus quatuor Urbis Templa obivit, sexies ultra consuetos dies solemnem impertivit benedictionem, privatam verò è fęnestra Palatii, ubi commodè posset conspici, quotiescumque Sodalitatum, populique frequentia id exposcebat.

Sub initium mensis Februarii cum lues Panormi sævius grassaretur, ad tuendam Urbem Basilicæ Sancti Pauli invisendam subrogavit Sanctæ Mariæ Transtyberim Ecclesiam, in qua Portam Sanctam aperiri voluit: Marmorea tabula in atrio ejusdem Ecclesię propè Fores collocata, Beneficii memoriam his verbis æternitati tradiderunt.

VRBANO VIII. PONT. MAX.
QVOD TRIGEMINA PORTA PESTILENTIÆ METV CLAVSA
IN BASILICÆ DIVI PAVLI LOCVM
TEMPLVM HOC, PORTAMQVE EIVS MEDIAM
MAGNVM ANNI SANCTI PARTEM
SVBSTITVERIT.
CANONICI MEMORES BENEFICII
POSVERE
ANNO IVBILÆI
M DC XXV.

Archiconfraternitati Sanctissimæ Trinitatis ultra centum nummorum summam singulis mensibus è Pontificio ærario assignatam valida pecuniarum subsidia ab eo sunt attributa. Constat ex Rationario in Archivo ejusdem Xenodochii asservato, Pontificem eo Anno novem millia, & octingentos nummos argenteos Sodalitati suppeditasse, & peregrinos per singulos dies hospitio ibi receptos eo anno quingentorum sexaginta quatuor millium numerum explevisse, præter viginti sex millia trecentos nonaginta sex valetudinarios.

Ut autem quos benignè excipi aliis præceperat sua quoque præsentia Pontifex foveret, prædictum Sanctissimæ Trinitatis hospitium non semel adivit, plurimorum pedes lavit, mensas benedixit, iisque ministravit religiosa animi jucunditate, proinde marmorea tabula sub æreum Urbani simulachrum in Cœnaculo Xenodochii apposita hujus rei sequens exhibet testimonium.

VR-

VRBANO VIII. PONT. MAX.
COELESTIS, HVMANÆQVE REI DISTRIBVTORI
LIBERALISSIMO
QVOD ANNO IVBILÆI M DC XXV.
APERTIS VTRISQVE MVNIFICENTIÆ VALVIS
XENODOCHIVM HOC ÆRE PLVRIMO IVVIT
NOVA SVPELLECTILI AVXIT
PRÆSENTIA SÆPIVS
ILLVSTRAVIT.
SODALITAS GRATI ANIMI MONVMENTVM
P O S.

Inter Missæ Sacrificium etiam privatum Dominica quinta post Pascha in Basilica Vaticana celebratum, trecentos fermè Sodalitatis Sancti Benedicti Civitatis Florentiæ Confratres Sacco indutos Sacro Christi Corpore cibavit: Deinde in aula Clementinæ contigua, post ministratam aquam ad lotionem manuum singulis Confratribus, mensas benedixit, eosque cibo temporali refecit.

Phœbeus de Iubil. p.2. cap.13.

Completo Anni decursu in Nativitatis Dominicæ pervigilio absolutis Vesperis Portam auream Vaticanam solemni ritu Urbanus clausit. Duodenæ capsulæ plumbeæ aureis, argenteis, & æreis numismatibus suo nomine inscriptis plenę in ipsa structura fuerunt reconditę. Hoc monstrat ex una facie Portam Sanctam clausam cum epigraphe RESERAVIT, ET CLAVSIT, quę verba etiam legebantur supra fornicem clausæ Portæ, scilicet

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
PORTAM SANCTAM RESERAVIT, ET CLAVSIT
ANNO IVBILÆI M DC XXV.

Alia numismata tunc temporis cusa fuisse sunt qui referunt, scilicet alterum fuisse in quo lemma: QUI INGREDITVR SINE MACVLA; in altero verò HOMINIBVS BONAE VOLVNTATIS: cum Porta aperta, in qua ipse Pontifex ingreditur. Tale exponit in sua tabula num.VII. P. Molinettus; Talia tamen nullibi vidi, sed solum ea, quæ exposui, quorum ultimum Portam clausam habet cum imagine Redemptoris in Sudario expressa cum ea inscriptione HOMINIBVS BONAE VOLVNTATIS, qua innuitur non propter iniquos, & depravatos homines cælestes thesauros aperiri.

VIII

FORTITER EGIT PRVDENTER PATITVR.

Fortitudinem, Prudentiam, & Pacem tres Mulieres hic exculptæ significant; Pax oleam gerit, & palmam; Clypeum cum gladio Fortitudo; Prudentia speculum, quo significatur, Virum non posse dici prudentem, nisi seipsum primùm agnoscat, propriosque defectus dispiciat, ut corrigat. Id Socrates innuebat, suos discipulos monens, ut singulis diebus summo mane seipsos in objecto Speculo intuerentur. Hac expressione virtutes Urbani VIII. commendantur, quæ semper in ipso eluxerunt. Ait enim Oldoinus. *Vir fuit magni ingenii, prudens, ac semper humanissimus. Sic Pacem coluit, ut ejus industria, & authoritate duorum potentissimorum Regum exercitus maximo Rei Christianæ detrimento ad Casalem jamjam collatis signis decertaturi post initas pacis conditiones compositis armis quieverint* Hoc idem numisma post Urbani mortem iterum recudi jussit Eminentissimus Franciscus Barberinus variato lemmate hoc pacto. FORTITER EGIT PRVDENTER PASSVS, quod numisma in suo Cimelio servat Romę Dominus Gaspar Mola. Easdem Urbani virtutes luculentèr commendavit Pater Gulielmus Dondinus Soc. Jesu in

Ripa Ichonolog. pag. 509.

sua

ſua oratione, ex qua hęc accipe verbis aliquantulum variatis.


„ Piget ſexcenta Urbani opera commemorare, quibus ejus fortitudo, ac „ prudentia elucеſcerent. Illud præterire non debeo, omnia Urbani mentem, „ non unius tantùm Mundi capacem ità adminiſtraſſe, ac ſi non eodem tempore „ cogeretur exercitus ad tutandos Imperii fines conſcribere, non annonę caritati „ magno ęrarii detrimento ſubvenire, non incredibili ſtudio vigilantia, ſumptu, „ peſtem à Pontificia ditione propulſare. Nam ut olim fabulosè in hoc terrarum „ quaſi theatrum, hinc teterrima monſtra illinc Herculem induxiſſe fortuna nar- „ ratur, ita illa, ſed veriſſimè hac noſtra ętate ab altera parte triumviratum il- „ lum malorum peſtem, famem, & bellum, ex altera Urbanum oppoſuit. Quam- „ obrem ſi ab Affrica victor Affricanus dictus eſt Scipio, his malis propulſatis à „ debellata, non à blandiente, fortuna fortunatus appellari meretur Urbanus. „ Attollant igitur alii humanis in rebus fortunę potentiam, & inconſtantem do- „ minatum, equidem illam poſuiſſe Romę alas, rotamque Urbano regnante, ejuſ- „ que fortitudine, ac prudentia Sceptro crinibus illigatis teneri crediderim. Ut „ enim luſores, arrepta temporis opportunitate, pilam exceptam manibus, & „ & repercuſſam, quo deſtinaverunt, dirigunt, ità Urbanus fortuitu rerum huma- „ rum, & damna ipſa in gloriam vertens Sapienti, prudentique jactu ad ſalutem „ dirigit, fœlicitatemque Regnorum. Quid enim ſub ipſum beatiſſimi Principis „ exordium bella minantur? Proviſum eſt ab Urbano contra prѣſentes metus „ exercitibus, contra futuros armamentariis, & arcibus; Peſtis ingruebat ad fi- „ nes? Depulſa eſt, & profuturę poſteris leges ſaluberrimę conſtitutę. Fames in „ proximo bacchabatur? Ingenti frumenti Copia invecta exulare coacta eſt fa- „ mes, & ſempiternis annonę commodis horrea quam ampliſſima excitata. Tan- „ tus igitur unius hominis animus ſtetit, tantum Conſilium valuit, ut qua parte „ maximè patebat ad vulnera, per eam potiſſimum ſalutem induceret, & malo- „ rum incurſus occaſiones bonorum faceret. Quę olim Montis excelſitas tanta „ ſtrepentes inter nubes, procellaſque ſonantes audit, quanta Urbanę mentis al- „ titudo ſupra fortunę ſtrepitus elata, inviolata ſerenitate fruebatur beatiſſimę „ pacis. Quę dotes effecerunt, ut Urbanus prudentiſſimus invictos Pontifices, „ Pontifex inter Prudentes fortiſſimus haberetur.

IX

TRANQVILLITAS REDVX.

MVlier ſedens Columbam manu ſuſtinet, quæ ramum olivæ roſtro gerit. Columbam ad Arcam Noe oleam referentem memorat, & aëris poſt diluvium tranquillitatem.

Similem tranquillitatem experta eſt Europa, ſedatis ab Urbani prudentia bellis. Vincentio enim Mantuæ Duce prærepto, ſceptroque illius Civitatis à Carolo Gonzaga aſſumpto, magnam belli procellam in Monte-Ferrato excitatam vidit Italia: Pontifex, quem Pacis, & communis Italiæ, & Orbis boni incredibile deſiderium tenebat, Joannem Baptiſtam Pallottam ad Cæſarem, Cęſarem Montium ad Catholicum Regem legavit, literiſque apprimè piis Jubilęum indixit, ſacriſque in Principis Apoſtolorum Vaticana Baſilica ad Aram Pietatis peractis, religioſa ſupplicatione cum Cardinalibus, & Principum Oratoribus ad Ædem Sancti Spiritus in Saxia pedes Proceſſit, & ſeptem Templorum Urbis peregrinationem peregit. *Oldoinus col. 506.* Pacem denique ſtabilitam vidit, quæ Italiæ, bellorum motibus turbatæ, optatam attulit TRANQVILLITATEM.





AVCTA AD METAVRVM DITIONE.

Io: Palatius pag. 553.

URbini Principatus, mortuo sine liberis Francisco Maria Ruvereo, qui eum possidebat, cum ad Ecclesiam rediisset Romanam; Suadebant aliqui Urbano, ut Nepotes in hereditatem vocaret, ne augumento tanti Principatus fortior Ecclesia Romana consurgeret, vel ut invidiam hæredibus cumularent. Cognita Urbanus arte, majorem gloriam Familiæ suæ credidit, si repudiaret, quàm usurparet. Misso, ad nobile membrum in Ecclesiæ Corpus revocandum, generosissimo juvene Thaddeo filio fratris Pontificis, exercitus Duce, de tanta illa imperii accessione sibi, & Barbarinæ familiæ solam modestiæ gloriam reportavit, sola enim prudentia, non sanguine, nec armis, evulsis penitùs discordiæ radicibus, quæ pullulare aliquando potuissent, clientelarem Provinciam recuperavit Ecclesiæ, qua de re hæc est memoria in Vaticano,

Dondin. in orat. pag. 20

Oldoin. 509

CIVITATES, ET DITIONES DVCATVS VRBINI
NOMINE COMPREHENSÆ,
QVAS A ROMANIS PONTIFICIBVS FELTRIA PRIVS,
DEINDE RVVERIA FAMILIA BENEFICIARIO IVRE
POSSIDEBAT
IN FRANCISCO SECVNDO EXTINCTA,
VTRIVSQVE SOBOLE IN LIBERAM APOSTOLICÆ SEDIS
DOMINATIONEM CONCESSERE
VRBANO VIII. PONT. MAX. ANNO SALVTIS M.DC.XXXI.

Baudrandus V. Vrbini.

Regio autem Virorum, tum militari studio, tùm insigni opificio, & doctrinæ laude præstantium multitudine celeberrima est. Ejus partes sunt Ducatus Urbini, Comitatus Montis Feretrani, Comitatus Eugubii, Pisauri Dynastia, & Vicariatus Senogalliæ, terminatur à septentrione Mari Adriatico, & Romandiola, ab ortu Piceno, à meridie Umbria, & ab occasu Hetruria.

Hanc recuperationem declarat numisma præsens, in quo lemma AVCTA AD METAVRVM DITIONE. Urbini enim Ducatum alluit Fluvius Metaurus, vulgò *Metro*. Oritur hic ex Appennino Monte, deindè Fanum Sancti Angeli in Vado, Urbaneam, & Forum Sempronii rigat, postea auctus aliis Fluviis in sinum Adriaticum se exonerat quatuor milliaribus à Fano Senogalliam versùs. In eodem numismate Pallas est, vel Roma, instar Palladis armata sustinens manu Templum, quod indicat Ecclesiam Cathedralem *Durantis* Oppidi, quod Urbanus in Urbem auxit Episcopatu donatam, dixitque à suo nomine Urbaniam, ut in ejusdem Urbis Palatio scriptum est his verbis.

VRBANO VIII. PONT. MAX.
QVOD POST AVCTAM AD METAVRVM
ECCLESIÆ DITIONEM
METAVRIENSE DVRANTIS CASTRVM
CIVITATIS IVRE DOTAVERIT
LOCVMQVE OB CÆLI SALVBRITATEM
VRBINANTIVM DVCVM SEDEM
ADDITO EPISCOPO
SALVBRIOREM ANIMIS PROCVRAVERIT,
AC DIOECESIS FINES EXTENDERIT
VRBANIENSES
VT QVOTIES NOMINENTVR
TOTIES ACCEPTI BENEFICII ADMONEANTVR
CONDITORI SVO POSVERVNT.

Nec

Nec tantùm in percusso numismate monimentum hoc posteris traditum est, sed in pluribus pecuniarum speciebus, in quibus eadem expressio, eodem prorsùs lemmate insignita.

XI

BEATO ANDREA INTER SANCTOS RELATO.

Beatus Andreàs, quem memorat inscriptio numismatis, ille est, qui è nobili Corsinorum familia natus Florentiæ Carmelitarum Religionem amplexus fuit, deindè Fesulanam Ecclesiam rexit, postquam pueri voce mirabiliter loquentis proditus fuit, dum latebat ignotus, eo munere se indignum existimans. Propter ejus insignes Virtutes illum Urbanus V. ad sedandas Bononiæ turbas Legatum misit, quas summa prudentia extinxit, deindè plenus meritis, die à Beata Virgine sibi prædicto ad Cælestia Regna migravit anno 1373.

Hunc Urbanus VIII. in Sanctorum album adscripsit die 22. Aprilis, quæ Dominica in albis fuit anno 1629. Ritibus à Pontificibus decretis. Vaticanæ Basilicę parietes undequaque sericis pannis circumtecti cernebantur, plurimęque cereę faces accensæ suprà Coronicem circumquaque nitebant. Magna Umbella auro præfulgida Altari imminebat, ejusque Lacinię Insignia ostentabat Urbani Pontificis, Regis Galliarum, Magni Ducis Etruriæ, & Carmelitarum Religionis. Theatrum, in quo Pontifex cum Sacro Purpuratorum, atque Episcoporum Cætu assidebat, Columnis constabat juxtà Doricas regulas extructis, inter quas sex excelsa Simulachra auro obtecta, quorum duo Sanctorum Eliam, & Eliseum, cętera Humilitatem, Vigilantiam, Prudentiam, & Justitiam referebant, quæ omnia dirigente Equite Laurentio Bernino perfecta sunt. Preces Pontifici pro Canonizatione obtulerunt Orator Regis Galliarum, & Comes Antonius Montecatinus Sacri Consistorii Advocatus; ejus sacræ actionis pompam, ac seriem luculenta enarratione comprehendit Antonius Gherardus Romanus ejus Canonizationis Procurator deputatus, quam typis edidit Romæ anno eodem Hęres Bartholomęi Zannetti.

XII.

ECCLESIAE B. VIRGINIS CONCEPTAE PRIMO IACTO LAPIDE M.DC.XXVI.

Summus Pontifex reprę sentatur, qui lapidem humo deponit, ut significetur Templi fundatio, quod in honorem Conceptionis Beatissimæ Virginis sub Urbano Pontifice extructum fuit post translatum Capuccinorum Monasterium à Monte Quirinali ad Collem Pincium ad preces Fratris sui Antonii Cardinalis à S. Onuphrio, quem ex Regula Capuccinorum ad Purpuram evocaverat. Ipse Pontifex die S. Francisci festo primum lapidem posuit, in quo erant hę notæ.

VRBANVS VIII. HOC PIETATIS IN DEVM AMORIS,
ET OBSERVANTIÆ ERGA CHRISTI PAVPERES RELIGIOSOS
SANCTI FRANCISCI CAPPVCCINORVM FRATRES
LAPIDEVM MONVMENTVM IN FVNDAMENTIS ECCLESIÆ
IMMACVLATÆ DEIPARÆ CONCEPTIONIS
SVMPTIBVS GENEROSIS ILLVSTRISSIMORVM
BARBERINORVM FAMILIÆ
OPIFICE CONSTRVENDÆ DEVOTISSIME APPOSVIT
ANNO DOMINI M. DC. XXIX.

In fornice interiori portæ Templi hæc alia extat Inscriptio.

FR. ANTONIVS BARBERINVS
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS SANCTI ONVPHRII
VRBANI VIII. GERMANVS FRATER.
TEMPLVM IMMACVLATÆ VIRGINIS
A FVNDAMENTO EREXIT
RELIGIOSI IN DEIPARAM OBSEQVII
BENEFICÆ IN SVVM ORDINEM CHARITATIS
MONVMENTVM
ANNO SALVTIS M. DC. XXVIII.
CAPPVCCINI FRATRES GRATI ANIMI ERGO POSVERE.

In Ædibus verò Templi proximis legitur.

VRBANVS VIII. PONT. MAX. DATVRVS FOELICIA
NOVO CAPPVCCINORVM COENOBIO AVSPICIA
PRIMVM LAPIDEM IECIT DIE IV. OCTOBRIS M.DC.XXVI.
IN EIVS TEMPLI FVMDAMENTIS,
QVOD B. VIRGINIS CONCEPTIONI SACRVM,
ET RELIGIOSIS CELLIS CIRCVMDATVM
FR. ANTONIVS BARBERINVS,
CARDINALIS SANCTI ONVPHRII
EXTRVIT SVÆ IN B. FRANCISCVM PIETATIS,
ET IN EVM ORDINEM BENEVOLENTIÆ
MONVMENTVM.

In Ecclesia Conceptioni Virginis Sacra extat.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
SVÆ IN BEATVM FRANCISCVM PIETATIS
IN EVMDEM ORDINEM BENEVOLENTIÆ
MONVMENTVM
PRIMVM HVIVS ECCLESIÆ LAPIDEM IECIT
DIE IV. OCTOBRIS PONTIFICATVS SVI ANNO IV.
NOLENSQVE PONTIFICIÆ CHARITATIS
MAGNIFICENTIAM
CAPPVCCINÆ PAVPERTATIS LIMITIBVS
COERCERI
ARAM MAXIMAM ORNAVIT.

Ad latus Altaris finiſtrum hæc alia verba inſpicies.

FAVSTVS POLVS ARCHIEPISCOPVS AMERINEN.
HANC ECCLESIAM DEO IN HONOREM IMMACVLATÆ
CONCEPTIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ CONSECRAVIT,
ET ALTARE MAIVS, IN QVO RELIQVIAS
SANCTI CALISTI PAPÆ, ET MARTYRIS,
ET GREGORII TAVMATVRGI INCLVSIT,
SACRASQVE INDVLGENTIAS DE MORE CONCESSIT,
COETERA VERO ALTARIA BENEDICTVS LAVDIVS
EPISCOPVS FORISEMPRONIENSIS,
ET IOANNES BAPTISTA SCANNAROLA
EPISCOPVS SIDONIENSIS
CONSECRAVIT DIE VLTIMA AVGVSTI
ANNO DOMINI M. DC. XXXVI.

Templum

Templum hoc delineavit Felix Casonus cum P. Michaele Capuccino Architecturę artis perito. In Sacello, quod ad dexteram ingredienti patet, Guido Renus Sanctum Michaelem Archangelum depinxit. In proximo S. Franciscum Sacra Stigmata ab Angelo recipientem, Mutianus. In tertio Domini Transfigurationem, Balassus Florentinus. In quarto Redemptorem in horto orantem, Baccius Ciarpus. In quinto Divum Antonium ad vitam mortuum revocantem, Andreas Sacchus. In opposita linea Sacellum Ianuæ proximum Divi Pauli Imago est à Petro Cortonensi coloribus expressa. In secundo Beati Fœlicis Ossa requiescunt cum ejus Imagine suprà Altare Alexandri Veronensis manu depicta. In tertio Comasseus Redemptorem exanimem ejus Matrem, & Sanctam Mariam Magdalenam posuit. In quarto Deiparæ Nativitatem à Lanfranco delineatam videmus. In ultimo Sanctum quemdam Episcopum cum Virgine, & Filio puero depinxit Andreas Sacchus. In principe autem Ara Eques Lanfrancus egregiè expressit Beatam Virginem.

Baleonus in vit. pict. pag. 181.

Tit. in Stud. pict. pag. 307.

Hoc Templo, quod sub titulo Conceptionis immaculatæ Virginis Urbanus excitavit, eo die pręcipuè colitur, quod Sixtus IV. anno 1476. immaculatam Conceptionem Virginis annuatim recolendam decrevit. Si quæras hujus Festi originem Wilhelmo debes Angliæ duci.

Missus ab hoc Helsinus Pręsul, qui hostium vires exploraret, dum imperata exequitur gravi tempestate jactatus nulla alia ope affulgente, Stellam Maris Mariam vocat. Adest pro hoc è Cælo Nicolaus, naufrago manum spondet, si Virgini Conceptæ diem festum habiturum se spondeat. Illicò convenitur, subridet, enatat, vota solvit. Initia hæc, ampliora postea D. fecit Anselmus Archiepiscopus Cantauriensis, Monacus Sancti Benedicti, qui instituit, ut in suo Archiepiscopatu celebraretur festum Conceptionis Beatæ Virginis. Floruit Anselmus tempore Gregorii VIII. circa annum 1073. juxtà relationem Ciacconii tom. 1. col. 854.

XIII. XIV

ORNATO SANCTORVM PETRI, ET PAVLI SEPVLCHRO.

Eruditissimus Abbas Mabillonius in Ordinem Romanum Comment. pag. 21. describens formam veterum Urbis Basilicarum ait. Post Chorum Cantorum sensim assurgebant gradus Sanctuarii, quod ab eodem Choro dirimebant Cancelli; Rugas, seu Regias appellabant, vel Cancellorum aditus, seu portas, vel Cancellos ipsos; Sub Ciborio erectum erat Altare, sub Altari verò Confessio, & post Altare in coronæ modum dispositum erat Presbyterium, seu Chorus Sacerdotum, in quo sedebant Episcopi à dextris, à sinistris Presbyteri, in capite habentes Pontificis Thronum passim ex marmore cum duobus Accolitis. Altare ornabat Ciborium quatuor Columnis innixum, quod *Propitiatorium* Anastasius quandoque videtur appellare; *Umbraculum* Altaris vocat Ordo Romanus vulgatus pag. 122. Sub Ciborio posita Confessio qui locus est, in quo Sanctorum Reliquiæ, & Corpora servabantur.

Sub hujusmodi ornamento in Basilica Vaticana Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli à tempore Sancti Sylvestri Pontificis servata fuerunt usque ad tempora Clementis VIII., ut fusè narravimus in cap. 24. historiæ Basilicæ Vaticanæ, qui Pontifex novum Altare, & quidem magnificentiùs erigi jussit. Paulus deindè V. magnam Umbellam auro pręfulgidam imposuit, quam quatuor Angelorum simulachra, ex ligno compacta sustinebant. Talem Machinam nostra tabula exhibet quadragesima octava, eam ex ære, auroque excitare animo inerat Pontificis, ut loci Sanctitati par esset, & splendidissimi Pontificis pietatem ostenderet.

Pag. 155

Cum nihil tamen Paulo regnante effectum fuisset, Urbanus VIII. nobile ornamentum excogitavit, quod duplici forma delineatum duplex numisma proponit, quod sub numero XIII. positum est ideam ejus refert, quam in nostra tabula 50. exposuimus ab Equite Bernino delineatam, quæ tamen mentem Pontificis non explevit, & nimio æris pondere Columnis imposito easdem Columnas laxari posse dubitatum est. Aliam proinde formam Berninus excogitavit indicatam in numis-

numismate XIV. & insculptam in tabula 49. Ejus descriptionem ex Donato retulimus, expensas insuper, ac summam, tum æris, tùm auri, quo constat adeò mirabilis Machina, & ne quid historię deesset aliam ornamenti ideam exposuimus, quam Martinus Ferrabosco delineavit.

Pag. 158.

XV. XVI

SANCTI PETRI BASILICA CONSECRATA.

MEmorant hęc duo numismata Solemnem Ritum, quo Urbanus VIII. Vaticanum Templum à Constantino Magno erectum, religiosaque multorum Pontificum munificentia in amplissimam formam redactum anno 1626. consecravit. Aram autem maximam à Clemente VIII. consecratam, cum non egeret consecratione, integrè sublatam efferri voluit. Affuerunt huic Consecrationi Cardinales duo supra viginti, ingensque aliorum Virorum Ecclesiasticorum multitudo. Ex Episcopis sex Cardinalibus tres aberant, reliqui Albanensis, Pręnestinus, Sabinensis Pontificis ea in re adiutores extiterunt. Loco Ostiensis Portuensis,& Tusculani adhibiti sunt Cardinales Contes,Lantus,Sabellus. De hac Basilica ab Urbano Consecrata hæc in illa legere poteris.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
VATICANAM BASILICAM A CONSTANTINO MAGNO
EXTRVCTAM,
A BEATO SYLVESTRO DEDICATAM
IN AMPLISSIMI TEMPLI FORMAM RELIGIOSA
MVLTORVM PONTIFICVM MAGNIFICENTIA REDACTAM
SOLEMNI RITV CONSECRAVIT,
SEPVLCHRVM APOSTOLICVM ÆREA MOLE DECORAVIT,
ODÆVM, ARAS, ET SACELLA, STATVIS,
AC MVLTIPLICIBVS OPERIBVS ORNAVIT.

Hanc sacram actionem peregit Pontifex,juxtà ritus in Pontificio Cęremoniarum libto pręscriptos. Undè autem Sacras Basilicas solemniter consecrandi usus invaluerit, atque Basilicæ nomen Ædes Sacræ sortitæ sint hic breviter examinabimus, & primò de ipso Basilicæ nomine aliquid innuendum.

Plura de hoc nomine ex Cicerone, Josepho, Plinio, Cęlio Rodigino, ac Jurisconsultorum responsis adduci possent, quæ libens omitto. Illo cænationem significari teste Servio ait Alemannus de Pariet. Lateran. cap. 4. Cænatio verò est triclinium, teste Quintiliano, Valerio Maximo, Suetonio, Tranquillo, & Vitruvio lib. 6. cap. 5. Apud etiam Christianos quæcumque paulo major, honestiorque domus dici Basilica consuevit. In Sylvanis etiam Monachorum Casis, atque Cœnobiorum ædificatiunculis,si qua reliquis esset amplior janua,etiam Basilicam, sive Regiam cum ab aliis, tum à Sophronio vocatam invenies in vita M. Agrip. Triclinia autem, seu Basilicas, quòd in morem sępè Concharum curvata sinuataque essent, Conchas dixere Veteres Græci, & Latini, quare Paulinus Nolanus Antistes in epist. ad Sever. 12. *Totum verò* (inquit) *extra Concham Basilicæ spatium alto, & lacunato culmine geminis utrinque porticibus*. Communiter tamen, si nominis Etymologiam cum Vitruvio sectemur Domus regia significatur, in qua præcipuè coram Senatoribus lites agitabantur. Illas quadrata figura extruxerunt Romani, sicuti ex Josephi historia lib. 8. cap. 5. habemus, fuisse Basilicam Salomonis Regiæ adhęrentibus, litibus destinatam, corinthiis Columnis ad centenos in longitudinem cubitos, ad quingentos verò in latitudinem propagatis, videlicèt ad duplicis quadrati portionem extensam; erant autem ut plurimum ternis deambulationibus, aliquando quinis constructæ, teste Leone Alberto, latiori in media, ut populum commodè exciperet, in latere ad ostium spectante Spherica patebat, Scapha, in qua Judices jura decernentes locum tenebant, atque, ut locus evaderet op-

Lib. 7. fol. 253.

ret opportunior, aliud inter tribunal, & deambulationes intervallum, causidicam navem dictum, ubi causarum disceptatores cum clientibus degebant, addiderunt. Plurimas in Urbe Basilicas construxere Romani inter quos Victor novemdecim adnumeravit, inter quas pręcipuè erant Æmilia, Portia Fulvia à Plutarco commendatę.

Sic paritèr postquam Constantinus Imperator anno circiter salutis humanæ 324. finito Maxentii bello, hanc Ædem Vaticanam singulari extruxerat pietate, jure Basilicam nominavit; cum enim Latini Regibus Basilicas consecrare solerent, similem Ædem Divo Petro Apostolorum Principi dicavit, noscens in ea magnam fore Populi frequentiam, unicum, verumque Numen agnoscentis.

Post ejus extructionem putat Donatus noster, Christianorum Ecclesias Basilicarum nomine insignitas fuisse, & præsertim Templa illa primaria, Lateranense, *Lib. 4. c. 2.* Vaticanum, & Sancti Pauli, quæ eo prorsùs modo fuerunt fabricata, quo Basilicę veterum extruebantur, ac propter eorum dignitatem, majestatemque. Nomen enim ipsum *Basilichi* Regiam domum sonat, ideò Isidorus *Basilicæ priùs vocabantur Regum habitacula, undè & nomen habent.*

Basilicam igitur, quæ sub Divi Petri nomine Deo Optimo Maximo Summi Pontifices in augustiorem formam post Constantinum excitarunt, Urbanus VIII. consecravit, prout antiquissimus in Ecclesia Ritus exigebat. Consecratio autem Templorum nil aliud est, quàm solemnis quædam, & cum celebri exultatione facta Deo gratiarum actio, quod domus illa ad optatum finem perducta sit, cui fausta apprecatio certis, sacrisque Cæremoniis adiungitur, quorum quasdam ipsa natura docuit, alia lex Ecclesiastica præscripsit, earumque finis est ad significandum Templum, quod dedicatur, & consecratur Deo, ejusque cultui, ac sacris actionibus deputatum, neque esse domum prophanam, sed sacram. De huiusmodi Consecrationis origine hæc pauca adnotavi. Et primò in lege naturæ. Genes. cap. 28. Jacob erexit lapidem, eumque consecravit, & indè eum locum appellavit *Bethel*, idest domum Dei. In lege Mosaica Tabernaculum Moyses consecravit, & comple- *Exod. 40.* to Templo suo Salomon illius dedicationem maxima cum exultatione, & solemnitate celebravit, eam describit historia Regum lib. 3. cap. 8. & lib. 2. Paralip. cap. 5. 6. & 7. Ter autem Templum dedicatum fuit, primùm, cum à Salomone constructum est. Secundò, cum reędificatum fuit post captivitatem Babilonicam Esdrę 6. quando ex parte dirutum, & pollutum à Gentibus tempore Judæ Machabęi, de quo lib. Machabęorum 4. Ex libro secundo Rabani Mauri Archiep. Mogunt. de institut. Cleric. cap. 45. docemur, Festivitates annuas dedicationis Ecclesiarum ex more veterum celebrari, de qua re in Evang. dicitur: *Facta sunt autem Encænia Hierosolymis.* Encęnia quippe festivitates erant dedicationis Templi, Gręcè enim καινὸν, dicitur novum, exponit ibi Rabanus sacras Cæremonias Consecrationis, atque piè illas explicat.

Apud Christianos in lege Evangelica Templi dedicandi ritum à Fœlice primò indictum docet in suis Tabulis Chronologicis Pater Dominicus Musantus Societatis nostræ, vixit Fœlix usque ad annum 274. In Breviario tamen Romano, ubi pręscribuntur lectiones Divini Officii pro die 9. Novembris, qua dedicatio Basilicæ Salvatoris celebratur lect. 4. sic legitur. „ Ritus, quos in Consecrandis Ecclesiis, „ & Altaribus Romana servat Ecclesia B. Sylvester Papa primus instituit, nam & si „ jam ab Apostolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, quæ à quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiæ dicebantur, ubi Collectæ fiebant per unam Sabbati, & „ Christianus populus orare, Dei verbum audire, & Eucharistiam sumere solitus „ erat, non tamen adeò solemni ritu consecrabantur, nec in eis adhuc in titulum „ erectum erat Altare, quod Chrismate delibutum, Domini nòstri Jesu Christi, „ qui Altare Hostia & Sacerdos noster est, figuram exprimeret.

Sunt qui Evaristo Papæ ejus originem adscribunt, ut notat Eminentissimus Cardinalis Bona in libro 2. Rerum Liturgicarum cap. 20. §. 3. qui Pontifex circa annum centesimū vivebat, *sed multo certiùs* (ait hic Author) *est Apostolicum institutū, nisi dicamus ab hoc Pontifice scripto promulgatum, quod sola traditione ab Antecessoribus acceperat, aut fortè addidit ad veteres Cæremonias, ut sine Missæ Sacrificio Basilicæ non consecrarentur, ut ex illo referunt Canonum Collectores.*

Alii ex adverso scribunt ante Imperii Constantini Magni nullas fuisse Eccle-

Ecclesiarum Consecrationes propter metum persecutionis, quod tamen verum est, si de publicis, & solemnibus agatur, non verò de privatis, ut advertimus. Confirmant hanc sententiam verba Joannis Diaconi in libro de Ecclesia Lateranensi, ubi hæc habet ante caput primum *decimo die à solemnitate dedicationis istius* (nempe Basilicæ Lateranensis) *quam Ecclesiam Beatus Sylvester publicè, quod non fiebat antea dedicatæ sunt, postea Basilicæ Sanctorum Petri, & Pauli.*

Apud P. Mabill. appeud. 2. ad ord. Rom.

Veterum enim Patrum testimonio evincitur semper Christianos suas Ecclesias habuisse, quas ab Episcopis, mosaicę legis exemplo, & Apostolica institutione edoctis, Divino cultui certis cæremoniis consecratas nemo certe negabit, cui perspecta sit in rebus etiam minoris momentis illorum temporum disciplina. Sanctam Ceciliam inducias à Deo petiisse legimus, ut domus sua in Ecclesiam consecraretur integro sæculo ante Sanctum Sylvestrum. Accedit huic assertioni robur ex eo, quod scribit lib. 10. hist. Eusebius Cæsariensis describens ille lętum, & tranquillum Statum Ecclesiæ, postquam Constantinus Christianæ Religioni adscriptus fuit, emicasse ait in omnium vultu divinam quamdam hilaritatem, cum templa viderent paulò ante, destructa rursus à solo in immensam altitudinem erigi, & longe majori cultu, & splendore, quam illa, quæ prius demolita fuerant „ nitescere, & initio cap. 3. Ait votivum nobis, ac desideratum spectaculum præbe- „ batur dedicationum scilicet festivitas per singulas Urbes, & Oratoriorum recens „ structorum Consecrationes, & post pauca. Jam vero Antistitum absolutissimæ „ cæremonię, & accurata Sacrificia Sacerdotum, & Divini quidam, augustique „ Ecclesię ritus, hinc Psalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas „ voces auscultantium, illinc Divina, & arcana obeuntium ministeria.

Quibus verbis Eusebius letitiam Christianorum describit Consecrationes, & Sacrificia, quę prius occulte fiebant jam publice peragi cum maxima Majestate, & solemnitate. Tantæ vero Religionis hęc consecratio fuit, ut impius, ac pene sacrilegus haberetur, si quis in Ecclesia non dum consecrata synaxim fecisset. Nihil clarius ad hoc probandum, quam Sancti Athanasii Apologia ad Constantium, cujus potissima pars in eo versatur, ut se purget apud Imperatorem, quòd in Ecclesia non dum absoluta, & consecrata Sacrificium celebrasset.

Finis non erit, si in his immorari, & calamo indulgere voluero. Sisto igitur, & numismata proposita observo. In XV. Pontifex Crucem parieti depictã oleo inungit, in XVI. Crux ipsa ornamento Coronę instar circumdata repræsentatur. Inter enim Sacras Cæremonias, quæ in dedicatione Templi adhibentur præcipua illa est, quæ signum Crucis parieti depinxit, ut significetur, Christo Templum dedicari. Pinguntur autem Cruces duodecim ita inter se distantes, ut totum templum occupent, & ad singulas lampades singulæ accenduntur ad significandum, quòd Apostoli Duodecim hoc Vexillum Christi per totum Orbem Terrarum portaverunt, & sua prædicatione illum illustrarunt. Inunguntur oleo, quod est liquor nobilissimus, quippe qui omnibus supereminet, & maxime omnium penetrat, & sanat, & roborat, ac demum res illustres facit. Ita passim Authores, inter quos Joannes Stephanus Duranti de ritibus Ecclef. lib. 1. cap. 24. ita Juo Serm. de Sacr. de Consecr. Alt. *Chrismantur in parietibus, & typum gerunt Apostolorum qui Crucis Misterium Populis, & Gentibus manifestare studuerunt.*

Guillelmus etiam Durandus in rat. lib. 1. cap. 7. triplicem causam cur Cruces in dedicatione Ecclesiæ depinguntur enarrat. Primò propter Dæmonum terrorem ut scilicet Dæmones, qui inde expulsi sunt videntes signum Crucis terreantur, & illuc ingredi non pręsumant. Secundò propter Triumphi ostensionem, Cruces namque sunt Vexilla Christi, & signa triumphi ejusdem; meritò ergo, ut ostendatur, quod locus ille Christi dominio subjugatus est ibidem Cruces depinguntur. Nam & apud Imperialem magnificentiã observatur, ut aliqua Civitate sibi tradita Imperiale Vexillum in ea erigatur. Tertiò ut earum inspectores Christi Passionem, qua suam Ecclesiam consecravit, & Passionis fidem ad memoriam reducant. Hunc signandi Cruces morem asserit Gretserus noster lib. 2. de Cruce cap. 7. emanasse è Domo Nimphæ cujusdam, quam Divus Paulus in Epistola ad Colossenses salutat his verbis *salutate Fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nimpham, & quæ in domo ejus est, Ecclesiam* quibus in verbis licet Cornelius noster putet cum

Cap. 4.

Teophi-

Teophilacto significari domesticam Nimphæ Ecclesiam, & Familiam fidelem. Theodoretus tamen, & Divus Ambrosius affirmat, Nimpham consecrasse Domum suam in Ecclesiam (quam Nimpham virum fuisse probat Cornelius; Fæminam credidit Divus Ambrosius) de qua sic, *cujus & domum salutat*; *tam enim devota videtur fuisse*, *ut omnis domus ejus signo titulata esset Crucis*, *hoc est dedicata*, inquit Gretserus, *inscripto Crucis signo, qui mos non solum præsignificatus fuit facto illo Jacobi Patriarchæ*, *qui erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper*, *sed illustri miraculo divinitus comprobatus*, de quo vide Ealredum Scriptorem rerum gestarum Sancti Eduardi Regis Anglorum, & Gretserum ibidem. Ad hanc dedicationis cæremoniam referendum est quod ait Franciscus Diaconus in vita Sancti Nicolai de Cethrone, qui in memoriam Sancti Nicolai Templum dedicavit, & ornavit latera muri Coronis aureis, cujus moris hodie ubique clara vestigia; nam duodenæ ille Cruces fere Coronis depictis cinctæ hodie in Templis cernuntur. Nec satis fuit Veterum Pietati Cruces in Templis pingere, & statuere, ipsas insuper Ecclesias in speciem, & habitum Crucis conformabant. Quo Crucis schemate nominatim extructum fuit Templum illud Gazæ in Palestina, quod Sanctus Porphyrius in locum Marnii delubri celeberrimi everso idolo substituit, idque jussu Eudoxię Imperatricis, ut testatur Marcus Gazensis Diaconus Discipulus Sancti Prophirii in vita ejusdem apud Surium 26. Februarii.

In Epist. Paul.

Ibidem.

28. *Jan.*

Gretserus lib. 2. cap. 14.

Quia rursus templum destinatur Divinis Sacrificiis, aliisque puris actionibus, ideo ad hanc munditiem significandam præter Cruces Templum aspergitur aqua, thus adoletur, cerei accenduntur, quia verò sacratur ad concionandum, & docendam fidem, quæ est fundamentum totius justitię, ideo describitur alphabetum in pavimento, describitur autem grecè, & latinè, quia illis linguis prædicata est fides, & illis utebatur tota fere Ecclesia eo tempore, quo Cæremoniæ sunt institutæ. Cætera percurre apud Sacros Doctores à quibus Sacri Ritus illustrantur.

XVII

ORNATO CONSTANTINI LAVACRO, ET INSTAVRATO ROMAE.

PRope Basilicam Lateranensem nobilis ædes assurgit, in quo insigne servatur prophireticum vas ad Sacrum Baptismatis usum, vocaturque baptisterium Constantini, quòd in eo Imperator Constantinus undis salutaribus circa annum 325. ablutus fuerit, & quia nomen illi conditoris liberalitas fecerit, ut affirmat Eusebius Cęsariensis. Extat ærea tabula, in qua Antonius Lafrerus Romæ anno 1553. exculpsit hoc baptisterium illi titulo adiecto.
„ Balnei Laterani, & in eo ad curandam Constantini Cęsaris Elephantiasim innoxio
„ infantium sanguini suscipiendo primùm parati labri, ac mox conversa in pieta-
„ tem crudelitate ejusdem baptismo destinati simulachrum.

In Lectione quinta Breviarii Romani, quæ præscribitur Sacerdotibus dicenda die 9. Novembris in festo dedicationis Basilicę S. Salvatoris hæc verba leguntur. *Constantinus in suo Lateranensi Palatio Ecclesiam Salvatori dedicavit*, *& ei continentem Basilicam nomine Sancti Joannis Baptistæ condidit*, *& loco*, *quo ipse Baptizatus à Sancto Sylvestro à lepra mundatus est*. Hunc locum fuisse Anti thalamum ipsum Palatii, quod italicè *Anticamera* dicimus, refert Dominus Abbas Piazza in suo Emerologio, quam opinionem Nardinus refellerat Anastasii authoritate fultus. qui in vita Sancti Sylvestri affirmat, Constantinum extruxisse iuxtà Palatium Basilicam, & Fontem Sanctum, ubi baptizatus est Augustus Constantinus ab eodem Episcopo Sylvestro.

Die 24. *Iul.*

Lib. 3. *c.* 7.

Sed mitto indaginem hanc circa Constantini lepram, & Baptismum à Sancto Sylvestro celebratum; opus enim est tricis obsitum. Legatur quidquid Bollandus retulit ad diem 21. Maii. Satis, superque mihi sit numisma exponere, illudque bre-

brevi, & sincera narratione illustrare. Est igitur baptisterium, quod dicitur *Constantini*, quodque Constantinus construi fecit, ut indicavimus cum Anastasio, juxtà antiquam consuetudinem, qua post primitivam Ecclesiam, (cujus tempore baptismus celebrabatur in fluminibus, fontibus, mari, domi, aliisque in locis) crescente Fidelium multitudine ad hoc peragendum Sacramentum singulis in Civitatibus fuerunt deputata loca, quæ ad sinistram Orientem versùs prope Ecclesiæ Cathedralis vestibulum ut plurimùm sita erant; dixi, *ut plurimùm*, nam in Basilica Divi Petri in ipsa Basilica collocabatur, quare Augmentum Basilicæ dicebatur, ut notat P. Granerius. Tale baptisterium, quo nomine haud significatur Fons ipse Sacer, sed ædes Basilicæ addita, quales hodie apud Ravennam, Florentiam, Bononiam, Pisas, alibique visuntur, quæ ut non est sub eodem tecto cum Basilica, ità proprium habet Consecrationis ritum. Extat in libro Diurno Romanorum Pontificum in lucem edito cum notis à P. Granerio formula petitionis de dedicando Baptisterio. Petebatur enim à Pontifice consecratio loci, quem aliquis in fundo sui juris ædificaverat.

Lib. Dium. Pont. tit. 19

Erat itidem Baptisterium speciali forma constitutum, nempe octagonali, vt S. Ambrosii denotant carmina ad Fontem in templo Sanctæ Teclæ Mediolani inscripta, & relata à Grutero in suis inscriptionibus.

Pag. 1166. num. 8.

Octachorum Sanctos templum surrexit in usus.
Octagonus Fons est munere dignus eo.
Hoc numero decuit Sacri Baptismatis aulam
Surgere, quo populis vera salus rediit.

Sanctus Carolus Borromeus in instructione Fabricarum Ecclesiasticarum præscribit etiam formam sexangularem, aut rotundam quibus tamen octangularem præfert, cętera, quę ad ejus constructione spectant ex Divo Carolo recenset Sarnellus in antiqua Basilicographia.

Cap. 19.

Cap. 49. §. 5.

In eodem Templo octagonali, ut plurimum octagonalis formæ magnum erat aquarum receptaculum, in cujus medio aqua erumpebat. Ejus exemplar affert Illustrifs. Ciampinus in to. 2. veter. moniment. quod ait videri in Metropolitana Pisanę urbis. Ad eadem baptisteria descendebatur antiquitus, ut notat Isidorus Hispalensis, qui floruit in principio septimi Sæculi his verbis, *Cum baptizamur in Christo per aquam renascimur, ut purificati vivificamur, Fons autem origo omnium gloriarum est, cujus septem gradus sunt, tres in descensu propter tria, quibus renunnunciamus (intellige Mundum, Dæmonium, & Sensum). Tres in ascensu propter tria, quæ confitemur; Septimus verò is est, qui & quartus similis filio hominis, extinguens fornacem ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporalitèr*: Parem graduum numerum omnibus in baptisteriis observatum fuisse deducitur etiam ex Albino Flacco lib. de Divin. Off. cap. de Sabb. S. Paschæ.

Lib. 2. de Divin. Off. cap. 24.

In delineatione Constantiniani baptisterii, quam supra diximus Romæ vulgatum ab Antonio Lafrero anno 1553. prout eo anno extabat, Tres videntur gradus, ut descendi, & ascendi per eos posset, insuper Vas porphireticum in centro areæ collocatum, & unico gradu à solo elevatum.

Si verò ornatum quæramus, hæc refert Sanctus Damasus in lib. Pontif. in vita Sancti Sylvestri. „ Baptisterium illud Lateranense ex lapide porphyretico ex „ omni parte coopertum extrinsecùs, foris, ac desuper Constantinus extrui cura- „ verat. Hujus pars illa. quæ aquam continet ex argento erat, in medio bapti- „ sterii columna porphyretica posita erat, in qua aurea phiala 50. librarum Balsa- „ mo plena, in labro Fontis stabat Agnus auri purissimi, unde aqua fundebatur. „ Ad dexteram Agni erat statua Salvatoris argenti purissimi 170. librarum, ad „ lævam Signum Joannis Baptistæ argenteum librarum 100. in cujus manu erat „ index *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Erant & septem Cervi ar- „ gentei, fundentes aquam, *singuli libr.* 80. His ferè similia refert Anastasius in „ vita B. Sylvestri, dicens: Ipsum Sanctum Fontem ex metallo (idest lapide) „ porphyretico ex omni parte coopertum intrinsecùs, & foris, & desuper, & „ quantum aqua continet ex argento purissimo in pedibus 5. qui pensavit argenti „ libras tria millia, & octo. In medio Fontis columna porphyretica, quæ portat phia-

„ tat phialam auream, ubi candela est pensans ex auro purissimo librarum 52. ubi „ ardet in diebus Paschæ balsamum lib.200. Mixum verò ex stippa amianti, in „ labro Fontis baptisterij Agnum ex auro purissimo fundentem aquam, qui pen- „ sat libras 30. Ad dexteram Agni Salvatorem ex argento purissimo in pedibus 5. „ pens. libras 170. In leva Agni Beatum Joannem Baptistam ex argento in pedi- „ bus 5. tenentem titulum scriptum, qui hoc habet *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit* „ *peccata mundi* pensantem libras centum, Cervos ex argento septem, funden- „ tes aquam qui pensant singuli libras 80. Thimiamaterium aureum cum gem- „ mis, prainis, & hiacynthinis 42. pensans libras decem.

Hæc eadem recitat Rasponus lib.3. cap.1. de Basilica Lateranensi, additque, Constantinum aliquot columnas ex lapide porphyretico advexisse cum suis epistiliis, ut Baptisterium magis exornaret. At opus differendo, interveniente morte, posteris relinquere coactus est.

Sed Sixtum III. illas erexisse, ac totidem illis epistilia octo super imposuisse refert liber Pontificalis. Circuitum Epistiliorum Zophorus perpetuus comitatur, in eoque versiculi aliquot leguntur originem Sacri Baptismatis, & mysteria explicantes. His Hilarus Papa lucernam auream adjecit cum quinque lucernulis minoribus decem librarum, & Cervos argenteos tres, aquam effundentes, quorum singuli erant librarum triginta. Turrim argenteam cum Delphinulis (lucernarum genus erat) librarum 60., & Columbam auream duarum librarum. Leo etiam Tertius Sacrum hunc Fontem velis albis olosericis per gyrum numero decem exornatis decoravit cum aliis donis. Traditur deinde, Hadrianum reparasse hoc ædificium, jam vetustate fatiscens. Hadrianus etiam IV. Baptisterii navim exæquavit Basilicæ Salvatoris, atque adeò ex aquæ Claudiæ aquæductu, quem pariter restauravit, aquas in ipsum Baptisterium corrivavit. Leo X. restituit tectum, quod etiam reparavit Paulus Tertius, eique plumbeas laminas Pius IV. adjecit. Gregorius verò XIII. laquearibus constructis, & Porta prope Lateranensem Basilicam patefacta decoravit. Novissimè Urbanus VIII. in elegantiorem eam formam, quæ nunc extat reduxit.

Octangularis est hujus Baptisterii forma, superioribus Sæculis ad Sacrum hunc Fontem adeuntes per gradus quatuor ex area ejus anteriore ascendebant, per alios deinde tres ad Fontem ipsum descendebant. Interior baptisterii pars singulari Urbani VIII. munificentia ornata est picturis egregiis ad parietes in gyrum insignita, quæ res gestas Constantini Magni exprimunt. Pictorum insignium opera illa sunt, nempè quæ tholum exornant Andreæ Sacchi, Historia Crucis à Constantino in Cælo visę picta fuit à Hiacyntho Geminiano; Pugna verò,& triumphus ejusdem ab Andrea Camasseo, reliquæ duæ à Carolo Maratta, & Cagnonio. Paries hic depictus superioribus sæculis erat porphyreticis, & albis marmoreis tabulis, partim quadratis, & partim oblongis artificiosè incisis incrustatus cum interjectis variis ex opere tessellato emblematibus. Capitelli columnarum quatuor ordinis corinthii sunt, reliqui quatuor jonici, laquearia, quæ inter columnas, & extremum parietem intercedunt miro artificio elaborata, auroque illita cernuntur cum gentilitiis insignibus Familiæ Barberinæ, inter fęnestras numismata Urbani exprimuntur, in quibus opera publica ejusdem notantur. In medio baptisterii Fons ipse includitur, labrum ad usum Baptismi est ex lidio lapide, superstat simulachrum Sancti Sylvestri, lustrali aqua, Constantinum abluentis. Pavimentum interioris areæ variis marmoribus sectis ornatur, sicuti pavimentum superiùs. Supra columnas, quas diximus totidem aliæ marmoreæ cum capitellis elegantissimis cernuntur, qui Baptismi tholum inauratum sustentant, & in ejus apice spectatur Spiritus Sancti symbolum cum Epigraphe. SPIRITVS DOMINI FEREBATVR SVPER AQVAS. Habet Baptisterium sacella duo ad dexteram S. Joannis Baptistæ, ad lævam S. Joannis Evangelistæ. Gemina hæc Oratoria conditorem suum Sanctum Hilarum Pontificem agnoscunt, qui ea etiam ornavit, & locupletavit donis. Forma Oratorii S. Joannis Baptistæ est quadrata musivo opere, & picturis elegantissimè exornatum jussu Clementis VIII. à Joanne Aliberto, & Sanctum Joannem aquis Christum abluentem Andreas Commodus Florentinus depinxit, Statuam verò Præcursoris Domini Donatellus Florentinus exculpsit.

Philippus Titi in studio pictor. pag 187.

Oratorium S. Joannis Evangelistæ è regione alterius oppositum figuræ dimidiæ Crucis simile est, in eo testudo musivo opere elegantèr instructa. Illam Clemens VIII. pariter restituit anno 1597. sui Pontificatus quinto. Historias ejusdem Apostoli Antonius Tempesta coloribus expressit, cęteras Augustinus Ciampelli, Statuam æneam Joannes Baptista à Porta compegit, imagines in lateribus dispositas Cęsar Arpinas depinxit.

Qui plura desiderat legat quæ Joannes Diaconus in sua de rebus Lateranensibus historia inseruit, & Emin. Raspon. lib.3. cap.7.

Antequam finem imponamus non abs re erit curiosum Lectorem docere quæ idem Rasponus enarrat cap.4. A Pontificibus Romanis olim fieri in hoc Baptisterio, præcipuè Sabbato Sancto, ut refertur in vetusto Codice rituali Ecclesiæ Romanæ. Tum enim post Lectiones recitatas in Basilica Constantiniana Pontifex cum Sacris indumentis, & pallio ad hunc Fontem descendebat unà cum Cardinalibus Diaconis, Subdiaconis Regionariis Lytanias interim modulantibus; Primicerius verò cum Schola Cantorum responsorium canebat, cujus initium est *Sicut Cervus*, ubi ventum erat ad porticum S. Venantii Pontifex assidebat in Faldistorio. Cardinales verò tùm Episcopi, tùm Presbyteri, qui in Choro remanserant accedebant. Tunc Prior Presbyterorum Sacris instructus vestibus appropinquans Pontifici dicebat: *Jube Domne benedicere*, eique Pontifex benedictionem impertiebat, quod iterùm & tertiò repetebat, ac demum Pontifex adjiciebat hæc verba. *Ite, & baptizate omnes gentes*. Tum Cardinales Presbyteri vestibus Sacris amicti ad proprios Titulos equitabant, & ibidem singuli eo die Baptismi mysterium celebrabant. Pontifex autem solemni ritu Fontem benedicebat, deinde tres parvulos Sacra Baptismatis unda eluebat. Deinde minor Diaconorum Cardinalium, & Canonici Lateranenses infantes omnes, & quotquot aderant aqua lustrali Christiano cultu initiabant. Plura etiam agebat deinde Pontifex quæ cum ad Baptismum non pertineant in præsentiarum omittimus.

✠ XVIII ✠

AEDE EXORNATA FACIE RESTITVTA.

Pag.165.

25. Decèb.

EXtat Romę ad radices montis Palatini nobile Templum, quod in honorem S. Anastasiæ constructum fuisse à S. Damaso Pontifice affirmat P. Molinettus; Verùm ex vita Sanctę Anastasiæ, quam Simeon Metaphrastes conscripsit allata ab Aloysio Lipomano scimus ante annum post Christi ortum trecentesimum. *Apolloniam quamdam mulierem genere insignem precatam Præfecti uxorem accepisse post martyrium Corpus Sanctæ Anastasiæ, & cum ipsum præclarè, & ut oportebat honorasset deposuisse in horto domus suæ. Postea verò templum quoque excitasse Martyri præclarum, & magnificum*. Illud est quod numisma præsens proponit, fuitq; semper inter Romana Templa conspicuum Titulo Cardinalium insignitum, etiam circà annum 500. ut apparet in Catalogo 28. Titulorum, quorum numerus in Synodo sub Symmacho celebrata describitur, relatus ab Oldoino tom.1.col.117. in Hygino Pontifice, imò quarto loco nominatur in Catalogo eorum Titulorum, quos circa annum 305. Marcellus primus constituit.

In eodem Templo Festo Natalitii Christi Domini die secundum in Aurora Sacrum Summi Pontifices celebrabant, indeque die prima quadragesimæ, Sacris Cineribus Fidelium capiti impositis, cum Cruce Stationali ad Sanctam Sabinam proficiscebantur.

Quamobrem plurimis muneribus dotatum multi Pontifices reficere conati sunt ut inibi lapidea monumenta testantur, post S. Damasum, & Hilarum. Leo III. præcipuè anno 795. à fundamentis reædificavit, anno 1201. Innocentius III. atque Sixtus IV. anno 1471. magnis sumptibus refici jusserunt. Cum demum anno 1636. ejus Templi frons collapsa fuerit, Urbanus VIII. illam restituit, exornata itidem interiori parte, ut lemma numismatis contestatur cum inscriptione, quam paries intra Templum januæ superpositus exhibet his verbis.

VR-

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
SANCTÆ ANASTASIÆ TEMPLVM A SVMMIS PONTIFICIBVS.
SANCTIS DAMASO, HILARIO, ET LEONE III.
RELIGIOSE EXORNATAM
MELIOREM IN FORMAM RESTITVIT
COLLAPSAM FRONTEM A FVNDAMENTIS EXTRVXIT
DVAS TVRRES AD NOLARVM VSVM EREXIT
INTERIORA ORNAMENTA ADIVNXIT
ANNO SALVTIS M DC XXXVI. PONTIF. XIII.

Eam Templi frontem delineavit Dominicus Castellus. Post Urbanum VIII. Eminentissimus Cardinalis Uldericus de Carpineo Summi Pontificis in Urbe Vicarius tituli S. Anastasię anno 1644. Altare majus transtulit ab antiquo situ, ad parietem sub apside collocatum, picturasque adjecit expressas, à Lazaro Baldo. celebri pictore, insuper statuam ejusdem S. Anastasiæ, quam suo Scalpro incœperat exculpere Franciscus Aprilis, sed eo demortuo Hercules Ferrata absoluit, ambo Sculptores Mediolanenses. *Titus pag. 64.* *Titus pag. 66.*

Minores arę Virginem Deiparam à Rosario dictam ostentant, & Christi Nativitatem, quas idem Lazarus depinxit: D. Georgium in alia ædicula positum Dominus Pontus Januensis expressit. Arcum Tribunæ binæ columnæ magni pretii suffulciunt, sunt enim è marmore, quod antiqui lapidem Pentelicum vocitabant, ab Italis dicitur *Porta Sancta* variatis maculis compactum.

✠ XIX ✠

AEDE SANCTAE BIBIANAE RESTITVTA, ET ORNATA ROMAE.

Aliud Templum perantiquum prope Urbis mœnia aliqui dixerunt extructum à Simplicio Pontifice (circa annum 470.) dicente Anastasio. *Hic dedicavit aliam Basilicam intrà Urbem juxtà Palatium Licinianum Beatæ Martyris Bibianæ, ubi Corpus ejus requiescit.* Quod Palatium illud fuisse dicitur Licinii Imperatoris. Donatus verò putat fuisse Licinii Suræ Trajani familiaris, seu Marci Licinii Crassi, civis ditissimi, cujus domum in ea regione sitam scripsit Victor. Dicitur hoc Templum ad Ursum pileatum, ideſt propè viam tali nomine expressam ob simulachrum Ursi, cujus caput pileo contegitur. Sed ex inscriptione, quæ supra majoris Portæ fornicem extat, deducitur ab Olimpina Matrona Sanctissima fuisse excitatum, quæ vixit circa ann. 363. sub Liberio Pontifice, & à Simplicio restitutum; sic enim legitur. *Apud Nardinum l. 4. cap. 2.*

ÆDEM HANC AB OLIMPINA MATRONA SANCTISSIMA
IN HONOREM SANCTARVM BIBIANÆ DEMETRIÆ, ET DAFROSÆ
PRIMVM EXCITATAM A SANCTO SIMPLICIO PAPA,
DEINDE RESTITVTAM AB HONORIO III. CONSECRATAM
VRBANVS VIII. PONT. MAX.
INSTAVRAVIT, ET ORNAVIT
ANNO IVBILÆI M DC XXV. PONTIF. SVI SECVNDO.

Sacerdotes Sacris in eadem operaturos constituit, & imposito templo fastigio S. Bibianæ, aliarumque Sociarum, ideſt SS. Demetriæ, & Dafrosæ cineres religiosè cultos à Liberiana Basilica, ad quam fuerant devecti, ad illud celebri pompa Romana Civitas transferri vidit. Erant illi tribus in thecis æneis inclusi, quas Thalamus sustinebat Oloserico panno tectas. Thalamum quatuor digniores Liberianæ Basilicæ Canonici suppositis humeris detulerunt Planetis induti sub magna umbel-

umbella, cujus hastas Summi Pontificis Parafrenarii gerebant. Post Sacra illa pignora sequebatur Illustriss. Præsul Alphonsus Sacratus inter duos Canonicos pluviali, & mitra decoratus. Præcedebat autem Liberianæ Basilicæ Clerus faces accensas habens. De tali translatione in eodem Templo hæc extat memoria.

VRBANVS PONT. OPT. MAX.
CORPORA SANCTARVM BIBIANÆ, DEMETRIÆ, ET DAFROSÆ
IN HAC OLIMPIANA BASILICA REPERTA,
ET DVM ELEGANTIORI CVLTV ILLVSTRATVR
IN LIBERIANA TRANSVECTA,
INDEQVE PRISTINAM AD SEDEM RELATA,
LABRO ONYCHINO ÆNEISQVE LOCVLI,
INCLVSA PIETATI VRBIS EXPOSVIT
ANNO A PARTV VIRGINIS MDCXXVI.
PONTIFICATVS IV. III. IDVS NOVEMBRIS.

Et in ærea lamina, quæ Arcas Sacrorum Reliquiarum complectitur.

VRBANVS PAPA VIII.
CORPORA SANCTARVM BIBIANAE, DEMETRIÆ, ET DAFROSÆ
HIC INVENTA HONORIFICENTIVS COLLOCAVIT
ANNO DOMINI MDCXXVI. XI. NOVEMBRIS.

Cum in hac inscriptione dicatur ea Sacra Ossa eo in loco fuisse inventa, sciendum est illa anno 363 post Christum natum recondita ibi fuisse à quodam Sacerdote, cui nomen Joannes, ut narrat Beda in vita S. Bibianæ apud Villegam. *2. Decemb.* Deinde anno 1624. die vigesima quarta Februarii, cum antiquum Altare destrueretur, ut area Templi amplior evaderet, præsentibus RR. DD. Marcello Vitellesco, Laurentio Amatorio, Francisco de Bubalis, Octavio Baccio, & Dominico Fedino Canonicis Basilicæ Liberianæ, aliisque Operariis, detectum fuit marmoreum loculamentum in quo erant duo vasa vitrea, ossa, ac cineres S. Bibianæ continentia, ut insculpti antiquissimi caracteres indicabant, idest ✝ *Bibian. Virg.* Paucos post dies cum jussu Urbani VIII. antiquum templum in nobiliorem formam redigi oporteret, inventa ossa S. Demetriæ, paulòque post Corpus S. Dafrosæ in pretioso labro ex alabastro orientali, cujus longitudo undecim palmos æquabat, latitudo quinque, tres autem altitudo. Supracitatus Canonicus Fedinus sibi suasit vas adeò pretiosum ex illis fuisse, quibus in privatis Balneis Veteres nobiliores utebantur; ex pluribus argumentis suam sententiam deduxit, quæ omnia diligenter exposuit in vita S. Bibianæ à se conscripta, & Urbano VIII. oblata, in qua diligenter enarrat quæcumque in nova collocatione Sanctorum ossium acciderunt, Templumque totum ad amussim describit.

Consecrationem autem factam ab Honorio Pontifice quam prima memorat inscriptio, aliæ notæ explicant supra unum minorum ostium expressæ.

„ Honorius III. Pont. Max. Templum hoc in honorem Sanctę Bibianę Vir-
„ ginis, & Martyris consecravit anno post Christum natum M CC XXIIII. Pon-
„ tificatus sui VII. mense Martio, feria ante Dominicam Passionis VI. & hujus
„ Consecrationis memoriam tertio ante eamdem Dominicam die imposterùm ce-
„ lebrandam constituit.

Frontem hujus Templi ab Urbano restitutam Eques Laurentius Berninus delineavit, qui etiam exculpsit S. Bibianę Statuam, quam supra majus Altare collocatam veneramur. *Baldinucc. in ejus Vita pag. 15.* In parte dextera Historias Sanctarum Bibianę, Dafrosę, & Olimpię coloribus supra parietes expressit Augustinus Ciampellus, in sinistra Petrus Berettinus Cortonensis. In Sacello Jacobus Verona Flander imaginem depinxit, in opposito Petrus Cortonensis.

DE-

XXI



XXII




XXIII



XXIV



XXV



XXVI



XXVII



XXVIII



XXIX



XXX



XXXI



XXXII



XXXIII



XXXIV



XXXV



XXXVI



XXXVII



XXXVIII




XXXIX



XXXX





XX

DENVO EXAEDIFICATA.

FRontem Ecclesiæ numisma indicat cum inscriptione in Coronice expressa his verbis.

DIVO CAIO PAPÆ DICATA.

In Via, quam hodie Piam nominamus, ad Portam Nomentanam ducente, extabat Sancti Caii Domus, quam ipse Cajus ad Pontificiam dignitatem evectus in Ecclesiam commutavit. Sic de illo Oldoinus refert. *Præter propriam domum* Tom. 1. col. *Gabinii, Susannæ etiam ex fratre neptis ædes Deo dicavit. Quia verò Gabinii do-* 191. *mus Caii domui jungebatur, idcircò unica tantùm Statio ibidem decreta, atque ad duas domos appellata, idest ad domum Gabinii, & Susannæ.* Fuit etiam Ecclesia Sancti Caii titulo Cardinalis insignita, & numeratur duodecimo loco in Catalogo Titulorum perantiquo, quem exponit Oldoinus tomo primo col. 117. in vita Sancti Hygini Pontificis, collapsa autem domo Caii, ait Ciacconius, *titulus per-* Tom. 1. col. *mutatus est à Sancto Gregorio Magno in quatuor Sanctos Coronatos, & Ecclesiæ me-* 189. *moria deperdita.* Hanc Urbanus VIII. restauravit perantiquam, & quasi penitùs dirutam Ecclesiam renovando, titulo, statione, & ipsius Sancti Pontificis cineribus ditando, ut sequens inscriptio in eadem Ecclesia reposita testatur.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
DOMVM IN VRBE SANCTI CAII PAPÆ, ET MARTYRIS.
IN ECCLESIAM OLIM CONSECRATAM,
AC IN TITVLVM ERECTAM,
SACRAQVE STATIONE CELEBREM
VETVSTATE COLLAPSAM
A FVNDAMENTIS EXCITAVIT. Oldoin. to.
ILLATISQVE EIVSDEM SANCTI CAII 1. col. 191.
RELIQVIIS TITVLVM,
AC STATIONEM RESTITVIT
ANNO SALVTIS M DC XXXI.
PONTIFICATVS IX.

Statio autem in ea celebratur die Sabbati, qui Dominicæ quartæ Quadragesimæ præcedit

Nova hæc Ædes ex delineatione constructa fuit Paparelli, & Vincentii à Græca dicti, continetque egregias picturas. Divum Cajum Sacrum Baptisma Titus pag. porrigentem Joannes Baptista Speranza depinxit; Divum Bernardum Camassæus; 264. Redemptorem cum D. Magdalena Balassus pictor Florentinus.



XXI

INSTRVCTA MVNITA PERFECTA.
M DCXXVIII.

HAdriani Molem, Æliam dictam, quo nam pacto quandoq; ex sepulchro in Arcem commutatam fuisse satis explicuimus in numismate sexto Alexandri VI. Pontificis à quo diximus pulcherrimum propugnaculum imminens Tyberi veteribus munitionibus additum fuisse, quas etiam ipse reddidit validiores, quæ impetum exercitus represserunt, qui Borbonio Duce in Urbem irru-

irruperat anno 1527. septemque menses retardarunt, donec emissus Clemens Pontifex libertatem recepit. Fuerat Alexander Farnesius Cardinalis cum Clemente in arce detentus, posteaejus Successor Paulus III. nuncupatus, qui vetera obsidione quassata refici, novaque ædificari superioresque ędes instaurari, & picturis ornari jussit, post Paulum Pius IV. plura molitus est, qui nova mœnia latiore circuitu porrectisque seseque invicem tuentibus propugnaculis, adiunxit, sed quamuis hęc cautè, prudenterque provisa, nondum tamen periti rei militaris instructam satis arcem prędicabant, deque ea munienda nonnulli commentarios, librosque in lucem edidere ad ostensionem magis ingenii, quàm ad inducendos Pontificum animos, ut Veteribus munitionibus rejectis contra hostium insultus novis redderent firmiorem. At Urbanus VIII. vix inito Pontificatu operis molitionem aggressus celeriter magno sumptu perfecit; nummi cusi quid in ea egerit iis verbis satis ostendunt. INSTRVCTA MVNITA PERFECTA. Mœnia enim non tuta adversus tormentorum ictus elato super terreo aggere ad eos eludendos opplevit, perduxit latissimam in altitudinem fossam, eoque interfluentis aquæ corrivavit rivum se se evoluentem in Tyberim; quædam, quæ desiderabantur adiecta propugnacula, inter quę magnam partem muri direxit. Camporum retro jacentium extulit paulatim acclivitatem, ut fossæ crepido æquaret altitudinem mœnium; disturbatis circum tectis vacuum ab ædificiis patefecit solum. Dejecit propugnaculum lapideum Alexandri VI. quod in medio situm extrema, & angulosa propugnacula mutuo se tueri, invicemque Bombardas collineare prohibebat, ex quo & Tyberis alveus laxior evasit. Pons enim Ælius quatuor magnis arcubus, duobus minoribus extremis Ripam utramque conjungit. Horum duos clauserat Alexandri munitio, quare fluvius coarctato alveo, & aquis crebro itumescens reliquis arcubus impediri non poterat, ne Urbem inundaret. Verùm sublato propugnaculo, per redditos ponti arcus fluvius liberior excurrebat. Publicum ibi monimentum hoc legimus in tabula lapidea descriptum.

Donatus lib.4.cap.7.

VRBANVS VIII. PONTIFEX MAXIMVS.
PROPVGNACVLVM DVO HÆC INTERCLVDENTES
SVB PONTIS FORNICE SPATIA,
INVTILITER ANTIQVITVS FABREFACTVM SOLO ÆQVAVIT.
FLVMINIS LAPSV EX PARTE RESERATO, QVOD MVNITAM MAGIS
ARCEM EFFICIT, ET EXVNDATIONES INGRVENTES COHIBET,
NE POSTERI PROVENIENTIS HINC VTILITATIS IGNARI,
SECVS QVOD MOLIANTVR.
HOC VOLVIT EXTARE MONVMENTVM ANNO M DC XXVIII.

Præter hæc ęneas machinas circa centum dispari magnitudine conflatas per muros collocavit. Domus præsidiario Militi, horrea frumento, apothecas oleo, cellas vino condendo, receptacula pyrio pulveri, cæteroque bellico instrumento paravit. Dispofuit novas per muros Militum stationes, ac vigilias, addiditque ad transitum in arcem ligneum, mobilemque Pontem.

Omnia hæc Urbani molimina suo ingenio dispofuit nobilis Architectus, & militari peritia eximius Julius Burattus Romanus, quem Præfectum rei armamentariæ Pontifex constituit.

Balleonus pag.178.

Ambulacrum etiam, quo Palatio Vaticano Arx Ælia jungitur, solidavit Alexander VI. sed temporis decursu labefactatum Urbanus restituit, ut legitur in adjecta inscriptione.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
DEDVCTVM IN ARCEM LATENTI FORNICE TRANSITVM
A VATICANO RVINAM MINANTEM CONSTABILIVIT,
TECTOQVE MVNIVIT
ANNO MDCXXX. PONTIFICATVS VIII.

ADDI-


pag. 565.
DELINEATIO
VRBIS AC PORTVS
CENTVM CELLARVM
A CINTHIO FLORO
FACTA AN. M.DCXCIX.
BB
AA
Z
S
M
O
B
AA
Z
R
Q
A. Vrbs Centum cellarum
B. Portus pro Triremibus Pontificijs
C. Arx
D. Munimentum dictum il Bicchiere
E. Domus ad merces expurgandas
F. Moles ante Portum
G. Laterna
H. Armamentarium pro Nauibus Construendis
I. Arx Vrbis antiqua
L. Munimentum cornutum
M. Porta Vrbis uulgo di Corneto
N. Porta Romana
O. Porta marina
P. Porta uulgo di Liuorno
Q. Munimentum dictum del Casone
R. Munimentum dictu del Turco
S. Munimentum S. Barbaræ
T. Munimentum Burghesianum
V. Munimentum Barberinum
X. Munimentum dictum Campanella
Y. Munimentum S. Sebastiani
Z. Propugnacula Lunata
AA. Fossa
BB. Via a telis tuta
CC. Via Romana
Hieron Frezza incidit


AA
V
T
BB
AA
A
X
L
N
BB
P
Y
H
CC
C
PORTVS
E
D
G

XXII. XXIII

ADDITIS VRBIS PROPVGNACVLIS.

Duplex numiſma cum eodem lemmate mœnia, ac propugnacula proponit, quibus Urbanus VIII. publicæ ſecuritati conſulens, Urbem cinxit ea in parte, quæ meridiano Sole illuſtratur. Patet ibi antiquiſſima Urbis Janua dicta olim Aurelia, quia ab Aurelio Imperatore extructa, ſeu Janiculenſis à Janiculo monte, in quo eſt, nunc Sancti Pancratii ob Templum propinquum Sancto Pancratio dicatum. Urbanus igitur hinc indè ad talem Portam mœnia conſtruxit. Numiſma XXII. illa proponit, quæ à Porta Janiculenſi excurrunt ad portam uſque, quæ dicitur *de' Cavaligieri* ab Ædibus propinquis, quas Innocentius VIII. conſtruxit pro levis armaturæ Militibus, numiſma verò XXIII. propugnacula excitata uſque ad Tyberis ripam, ubi Janua patet Portuenſis, tali nomine inſignita à Portu Romano antiquo, quem per hanc Portam Romani petebant, ut docuit Procopius. Navalis etiam Porta dicta fuit ob Tyberis proximitatem, ut Sextus Pomponius aſſerit, hæc dicens: *Navalis porta à vicina navalium dicta. Chriſtiani verò* (ait Aringus) *fœliciori ſanè omine, ac titulo à celebri Divi Fœlicis Cœmeterio hac Via ſito Sancti Fœlicis Portam appellare non dubitarunt, quam poſtea Arcadius, & Honorius Imperatores unà cum cæteris Portis, ac Romanæ Urbis mœnibus inſtaurarunt, ut poſita in Portæ ejuſdem proſpectu inſcriptio ſatis edocebat: extabat illa ſuprà veterem Portam Portuenſem, ſed in molitione novorum mœnium ſublatam ſcimus.* *De Roma Subterran. Pag. 359.*

Eam adducit Joannes Petrus Bellori in ſuis Notis ad fragmenta veſtigii Romę Veteris tabula ſecunda pag. 11.

S. P. Q. R.
IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS PRINCIPIBVS
ARCADIO, ET HONORIO VICTORIBVS,
ET TRIVMPHATORIBVS SEMPER AVGVSTIS,
OB INSTAVRATOS VRBI ÆTERNÆ MVROS, PORTAS,
AC TVRRES EGESTIS IMMENSIS RVDERIBVS EX SVGGESTIONE
V. C. ET ILLVSTRIS MILITIS, ET MAGISTRI VTRIVSQVE
MILITIÆ F. C. STILICONIS AD PERPETVITATEM NOMINIS
EORVM SYMVLACHRA CONSTITVIT.
CVRANTE FL. MACROBIO LONGINIANO V. C. PRÆF. VRBIS.
D. N. M. Q. EORVM.

Mœnia autem in hoc ſpatio ab Urbano extructa, juxtà delineationem Fratris Vincentii Maculani, ex inſigni Dominicanorum primùm familia alumni, deindè ab ipſo Urbano Pontifice ſacra Purpura donati, ſpatium ſuperant unius milliarii, ideſt palmorum 9072. juxtà calculum Caroli Padredii, qui Romæ libellum edidit, in quò continentur variæ Urbis menſuræ. *Pag. 25.* Mœnia verò, quæ ſpatium implent inter Portam Portuenſem, & Portam Militum levis armaturæ, unum ferè milliarum ęquant, ſcilicèt palmos 6670. ex ejuſdem Padredii calculo: utriuſque Januæ fabricam, hoc eſt Janicularis, & Portuenſis delineavit Marcus Antonius de Rubeis Architectus. In Janiculenſi Porta hæc extat memoria.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
ABSOLVTIS CIVITATIS LEONINÆ MONVMENTIS,
ET MOENIBVS, AC PROPVGNACVLIS AD TYBERIM
VSQVE EXCITATIS IMMINENTEM VRBI IANICVLVM
ET TRANSTYBERINAM REGIONEM CIRCVMDVCENS
PVBLICÆ SECVRITATI PROSPEXIT.
ANNO DOMINI M.DC.XLIV. PONTIF. XXI.

XXIV

NVNC RE PERFECTO.

DE Portu Centumcellarum loquitur lemma in ipso numismate expresso. A Trajano Imperatore suam originem ille agnoscit, à multis Summis Pontificibus deindè instauratus, sed ab Urbano tandem perfectus opere quidem admirando, cujus molitio, & sumptus magnitudo, ac frementium undarum insani æstus cæteros retardarunt; Quippe Sabulosum littus austro opponitur, fluctibusque recurrentibus verberatur ex alto, nec ullo introrsùs retràcto sinu curvatur, quo subsidentibus procellis naves se tutò recipiant. Civitas porrò condita est propè antiquam Urbem Centumcellas, ejusque vestigia Urbem sejungunt à Portu mœnia, quæ interjecta semita parùm distant à Mari, eorumque extrema claudit Arx quadrangula,quę bellicis tormentis, & quatuor munita Turribus Urbem, ac Portum cui imminet propugnat. Hinc secundum mœnia sinuatur Portus, dein dextro, tanquam cornu moli conjungitur, quę continenti primùm recto opere commissa, postea in undas excurrens; tum cubitu veluti flexa sinum ferè quadratum efficit, spatioso aditu ad ingressum navium relicto. Hoc sinu anguloso, quem extrinsecus muniunt cuneata propugnacula, statio ab omnibus ventis tuta prębetur navigiis: hic hibernant Pontificię Triremes, in quas per lapideos gradus facilis est è mole descensus. Sub hujus sinus aditu alterum molis quasi bracchium in mari producitur, quo alter efficitur sinus, vulgarique nomine Portus dicitur. Antę illum alia moles lapidea mediis in undis assurgebat, qua protensi maris fluctibus elisis,Portus tutior efficiebatur. Eam paulatim assiduo impetu collisam, & quasi penitùs exęquatam Paulus V.instauravit anno salutis 1608. Pontificatus IV. & Pharum erexit, ut binæ inscriptiones appositæ contestantur, quarum prima est.

PAVLVS V. PONT. MAX.
PVBLICÆ NAVIGANTIVM SECVRITATI
PHARVM EREXIT.
IGNES IN EA PERVIGILES ARDERE IVSSIT
ANNO SALVTIS M.DC.VIII. PONT. IV.

Secunda àutem.

PAVLVS V. PONT. MAX.
PORTVM HVNC MVLTIS PARTIBVS PLANE DIRVTVM
OMNIBVS LABEFACTATVM
IACTIS MOLIBVS INSTAVRAVIT
ANNO SALVTIS M.DC.VIII. PONTIFICATVS IV.

Non tamen Portus securitati satis provisum, nisi regnante, & jubente Urbano VIII. quoniam exęstuantis, & profundi maris altitudinem æquari necesse erat, sic nexus operum est compactus, describente P.Donato. Ingentia saxa magno labore ingerebantur, atque ea injectis aliis,aliisque onerata, & si aquis absorbebantur, substratum tamen, patientemque oneris struem attollebant. Quæ ubi ex aqua paululum eminere cœpit,tum junctis lapidibus moles superstructa est in ludibrium maris,& navium quietem. Igitur bracchium quod cœptum ab sinus introitu curvato ad Urbem littori haud impari flexura respondet rotundo,tanquam propugnaculo terminatur, quemadmodum altera munitio, quæ ab æquali propugnaculo inchoata pari etiam curvatura ad arcem fertur, continuatque molis structuram, tendentem ad Urbem. Inter hęc duo munimenta libero mari panditur ostium Portus, quo naves tutò ingrediuntur, sed quoniam austro opponitur evolutos longè fluctus invehenti, altera contra ostium, scopuli instar, jacta est non modico intervallo moles ostio Portus obversa.

Id va-

Id validum eſt frangendis procellis, ac fluctibus munimentum. Cœterum forma Portus nec ovatæ, nec orbiculatæ par, inter illas media moles latiſſimè panditur, quò profectò data à Pontifice Immunitate vectigalium commeantibus, & allectis inſtitoribus loci ſecuritate, lucri ſpe, copiaque mercimonii Romæ conſultum. Hæc à magnifico, optimoque Pontifice Urbano VIII. perfecta ſunt, quorum monumentum extat in ipſo Portu his verbis expreſſum.

VRBANVS VIII. PONTIFEX MAXIMVS

„ Vectigalibus ſublatis Centumcellarum Portum magnificentiſſimè olim à Traja-
„ no Imperatore conditum temporis iniuria labefactatum, & in pleriſque locis
„ conſumptum, licèt in utroque bracchio à pluribus Pontificibus ſartum, adhuc
„ tamen navigiis excipiendis inutilem, nuperæ ſubſtructionis laxatam compagem
„ conſtabiliens & priſca veſtigia, qua vix apparentia, qua penitùs abolita ſatis
„ ingentibus calce, teſtaque communita ferruminatis implens, priſtino decori re-
„ ſtituit, ut ſecuriùs, fracto maris ſęvientis impetu, navigantes impellerent, &
„ exciperentur: extremas inſulæ hinc indè partes novo prorſus opere lenitèr ad
„ interiora flectens protendit, ambitum latiori lapidum aggere firmavit. Pharum
„ orientalem nimis fatiſcentem reſtauravit, occidentalem conſtruxit, utrumque
„ gremium inveterato cœno oblimatum purgavit, & recentioris coagmentationi-
„ bus ruderibus paſſim vi tempeſtatis invectis implicitum expedivit, ad noturnas
„ deſcenſiones validiſſimum è trabibus repugnaculum nexu utrinque catenæ per
„ certa ſpatia illigatis in aquæ ſummo natantibus prę̨ſto eſſe voluit, cujus illinc
„ objecta parietis, hinc excitans prę̨ſidio diſcrimen arceatur, propugnaculis plu-
„ ribus Arcem munivit, & additis, quæ ſuper aquas extant operibus, ad hanc for-
„ mam redegit Anno ſalutis M.DC.XXXIV. Pontif. XI.

Ibidem etiam legitur.

Vrbanus perfecit opus, quod cœperat ante
Fruſtratus voto ſumptus, & arte labor.

Nec omittendæ ſunt Ædes, quas Mercatorum commodo Urbanus erexit, ac dulcium aquarum copiam eò derivatam. Quamobrem in Centumcellenſi Urbe, in quo plura conſtruxit, legitur.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
E SALVBRIORIBVS FONTIBVS RIVOS VBERRIMOS COLLEGIT,
OBSTRVCTO VETERI AQVÆDVCTV NOVVM ALIBI EX INTEGRO
PROTENSVM PVBLICÆ COMMODITATI SVBSTRVXIT.
ANNO SALVTIS M. DC. XXXII. PONTIFICATVS IX.

Quæ hucuſque expoſuimus de operibus, tum in Urbe, tùm in Portu Centumcellenſi à Pontificibus peractis, jucundiora futura eſſe mihi ſuaſi, ſi veluti depicta unico intuitu inſpicienda proponerem. Tabulam proinde ichnographicam addo, in qua numeri appicti eorum catalogo reſpondent, eaque omnia breviter explicant ex ipſis monumentis fidelitèr accepta.

❁ XXV ❁

QVinque Triremes, quæ in Portu Centumcellarum hyemali tempore ſervantur ſub dominio Pontificis Romani exhibet numiſma ſine ulla inſcriptione. Nil enim aliud earum expreſſione intelligendum eſt, niſi Romani littoris præſidium, quo Summi Pontifices non modico ſumptu ob publicum bonum ditionem ſibi creditam tueri conantur. Inter eos ſanè Urbani VIII. cura non ſuſtinuit gaudium, quo Roma fruebatur, veneno timoris infici, ob id non contentus illam periculis prę̨ſentibus eruiſſe, ut futurorum quoque ſecuram redderet pacem amavit. *Quies gentium ſine armis haberi nequit*, inquit Tacitus. *Hiſt. 4.*

Fluxam enim, & instabilem eam pacem appellans, quæ vi non innititur sua, ne sit diuturna fœlicitas; sed præsidium ad hanc fœlicitatem tuendam ab Urbano paratam sequens numisma uberiùs ostendet.

XXVI

PACIS INCOLVMITATI.

Armamentarium in Vaticano Palatio auctum, novoque armorum apparatu instructum ab Urbano numisma proponit.

Laudabile fuit Veterum institutum, qui in bene munitis Urbibus certum sibi locum elegerunt, in quo cuiuslibet generis arma essent disposita, ut si vel in expeditionem adversus hostem progrediendum, vel intra mœnia exorto tumultui occurrendum esset, haberent unde & arma depromere, & ubi bello, atq; tumultu isto sedato, rursum ea possent recondere. Hinc armamentarium sunt qui ita definiri posse autumant, ut sit munimentum muris, turribusque contra vim instructum, indè machinæ, & tormenta, si quando usui, aut belli necessitas exposcit, proferantur, & tela & arma militi distribuente Tribuno suppeditentur. Ut verò domi suæ quilibet arma haberet pro arbitrio, id è re, & utilitate Civium esse putandum non est. Undè enim tot Civium cędes, Urbium, & rerum publicarum eversiones, nisi ex promiscua armorum licentia? Si quando coorta est.

Seditio, sevitque animis ignobile vulgus
Jamque faces, & tela volant, furor arma ministrat.

ut est apud Virgilium. Saluberrima itaque sanctio est illa, quæ omnibus armorum usus inscio Principe interdicitur, non solùm Laicis, sed multò magis Clericis, quorum arma sunt orationes, & lachrymæ.

At decet Ecclesię Supremum Principem arma in bellis necessaria parare ad salutem Civium, & Ecclesię. Videatur liber integer de temporali Monarchia, quem edidit Franciscus Bozzius. Inter alia ille sic ratiocinatur. „Jam verò hac „in re nihil novi asserimus, sed potiùs, quod aliquibus minùs notum est patefa-„cimus. Nam in primis constat, hanc esse communem Doctorum Canonistarum „sententiam. Etenim Innocentius cap. licèt de foro competenti expresè vult, „penes unam, & eamdem personam regnum fuisse, & Sacerdotium à tempore „Noe, usque ad Christum Regem, & Sacerdotem, idem cęteri Doctores asse-„rentes, utrumque gladium (juxtà illud sunt duo gladii hic) esse penes Pontifi-„cem, sed unum immediatè per ipsum Pontificem exercendum, alterum in qui-„busdam casibus, aut certè ad nutum Pontificis per alios: accedunt ad Canonistas pręcipui Theologi, eadem sentit D. Bonaventura, docens una cum D. Bernardo utrumque gladium esse penes Ecclesiam, similia habet Riccardus de duobus gladiis, 4. sentent. dist.37. Idcircò eadem Romana Ecclesia ab antiquo tempore consuevit tradere gladium Imperatori contra Infideles, vide Bullam in Alexandro VI. Dixerunt Apostoli Redemptori *Domine ecce duo gladii hic*: at ille dixit, *Satis est*. Est expositio, quę affirmat, jussisse Christum parari gladium, non tamen jussos Apostolos cędere, & occidere, hoc autem fecisse dicunt Christum, ut notum fieret, se pręvidisse pericula, & insidias Judęorum, & habuisse se, & suos potestatem defendendi armis; tamen noluisse, quia spontè pati volebat, quæ est Augustini, & aliorum. Bossius libro 3. cap. 6. adducit Augustinum. Cæterùm quòd potestas habendi arma sit penes Petrum, sic apparet, *quia imperatum fuit à Christo* (ait Augustinus) *discipulis, ut emerent gladium, nimirùm ad Christi defensionem*. Idem S. Augustinus lib. 77. contra Manichęos, *non debere bella fieri docet*, recta bella geri, cum fiunt authoritate Principis ob publicam pacem, & hoc tàm in veteri testamento, quàm in novo, probatque rectè Moysem in veteri lege bella gessisse, bellabat enim pro Dei populo, & authoritate legitima, idcircò ait Petrum. & discipulos ferrum tollere, & Petrum propterea fuisse reprehensum, quia spontè ferire ausus fuerat. In eadem sententia cum S. Augustino est S. Hieronymus, Beda, Ambrosius, & S. Bernardus, qui libro 4. de considera-tione

Lib 1. c.2.

4. dist.37.

Lib.2. contra Faustū Manichæi cap.70.

tione ad Eugenium Papam ex illis verbis. *Converte gladium tuum in vaginam*, arguit sic. *Tuus ergo, & ipse tuo forsan nutu, & si non tua manu evaginandus, alioquin, & si nullo modo ad te pertineret dicentibus Apostolis, Ecce gladii duo hic non respondisset Dominus Satis est, sed nimis est*. Uterque ergo, & spiritualis scilicèt gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est, ille Sacerdotis, is militi manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, ità Bernardus.

Itaque hæc optimè noscens Urbanus VIII. ut erat ad Sacrarum rerum incrementa, & ad Sęculi decus addictissimus, in Vaticano Palatio armamentarium instruxit, apposita ibi marmorea tabula his verbis incisa.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
VRBIS, ET DITIONIS ECCLESIASTICÆ
SECVRITATI
ANNO IVBILÆI M DCXXV.

Constituerat illud Sixtus V. sub Bibliotheca à se ædificata cum hac inscriptione SVBIECIT ARMA LITTERIS. Idemque instauravit Paulus V., Urbanus tandem tot armis, quot quatuor millium, & eo ampliùs militum legionibus armandis sufficere possint ditavit, adjecitque hac alia epigraphe à P. Donato relata. Lib.4. c.7. VRBANVS VIII. PONT. MAX. LITERAS ARMIS, ARMA LITERIS PONT. ANNO III. ut tranquillæ ornamento litteræ, & turbatæ Urbi arma præsidio essent. Non minori studio, quo Molem Hadriani munivit ad Urbis securitatem, Romam munitam ex inermi fecit. *Nimirùm* (ait Donatus) *apes non solùm mel conficiunt, sed etiam aculeatæ armantur ad pugnam*, ut quę præcelsa de Sede Urbanæ liquorem Sapientiæ in populos effuderunt, constanti etiam fortitudine, timorem provocantibus inferrent.

XXVII

VBERIORI ANNONAE COMMODO.

QUantùm Antiquis, Romæ præcipuè cordi fuerit Annonæ parandæ studium alibi indicatum est, nec eruditum Lectorem latet, Triticeas Copias Romam è Provinciis invehi solitas. Antequam Romanum Imperium in duo divideretur, Annona maximè ex Ægypto deferebatur, postea Ægyptus, Constantinopoli cessit. Ex Africâ, Gallia, & Macedonia, ex Sicilia, & Sardinia etiam Romæ excipiebatur, quas Provincias Valerius Maximus benignissimas Romæ nutrices vocavit; Sed parum fuisset Annonâ parasse, nisi ejus conservationi consulvissent. Lib.7. c.6. Erant proindè Romæ horrea quadrato lapide insularum instar extructa condendo tritico. Libet hic ascribere horreorum numerum ex Publio Victore. In prima regione ad portam Capenam erant horrea 13. In regione secunda ad Celimontium horrea 23. In tertia regione horrea 18. In quarta horrea 8. In quinta horrea 23. In sexta horrea 18. In nona horrea 22. In decima horrea 48. In undecima horrea 16. In duodecima horrea 26. In decima tertia horrea 26. In decima quarta horrea 22. Inter quæ multa erant privata; multa publica, quę Lipsius ex Victore numerat 209. sumebant nomina ab Authoribus, sic horrea Aniceti, Varguntei, Sejani, & ab ipsis Imperatoribus horrea Augusti, Domitiani &c. Videntur horrea Lolliana in tabula prima fragmentorum vestigii Romæ, quæ cum notis Joannis Petri Bellori in lucem edidit Eminentiss. Camillus Maximus S.R.E. Cardinalis.

Horreis verò utebantur, non solùm ad reponenda frumenta, verùm etiam ad alia commoda, nempè ad asservanda ex publico deposita, & pignora. Scribit Lampridius, Alexandrum Severum, ædificasse publica horrea ad custodiam etiam privatorum bonorum. Horrea in omnibus regionibus publica fecit; *ad quæ conferrent bona hi qui privatas custodias non haberent*. Extitere insuper plurima frumentaria horrea ad quotidianum victum, & publica alimenta ex liberalitate Romano-

manorum Imperatorum, ut abundè idem Lipsius. Hęc plurimum aucta sub Trajano, & Hadriano, pueris, puellisque alimentariis Romæ, & per universam Italiam admissis.

Non minori providentiæ studio Summi Pontifices Romani incensi, Annonæ ubertatem, eamque servandi curam semper habuerunt. Quamobrem præter cęteros Gregorius XIII. horrea in Quirinali non procul ab Exquiliis juxtà Diocletiani thermas inchoavit, sed cum loci angustiæ multum rei frumentariæ damnum afferrent, Paulus V., cui Annonæ ubertas in primis cordi fuit, horrea ingenti opere laxanda altero fermè tanto ædificii ad Gregorianum addito curavit, Fontesque quotidianis usibus deduxit. In ejus interiori atrio hæc incisa est inscriptio.

PAVLVS V. PONT. MAX.
HORREIS VBERIORI ANNONÆ BONO AMPLISSIME DILATATIS
MADEFACTIS QVANDOQVE FRVMENTIS AREAM STRAVIT,
SITIENTIBVS AGRICOLIS, PVLVERVLENTISQVE BAIVLIS
FONTES ADDVXIT
ANNO SALVTIS MDCXII. PONTIF. VII.

In interiori verò facie hęc leges.

PAVLVS V. PONT. MAX.
ADVERSVS MAIORES ANNONÆ DIFFICVLTATES
MAIORA SVBSIDIA PRÆPARANS
NOVA HÆC HORREA VETERIBVS ADIECIT
ANNO MDCIX. PONTIF. SVI V.

Urbanus demum VIII. nova alia, & amplissima horrea veteribus adjunxit, Portamque aperuit in Via, quæ *Pia* dicitur. Illa delineavit Marcus Antonius Andreuccius Architectus, opus promovente Illustrissimo Præsule Theodolo, tunc temporis Annonę Pręfecto. In ipsis ne improvisa Annonę caritate fami Roma succumbat, servantur semper triginta tria millia quarumdam mensurarum mensuræ tritici, quæ à Romanis dicuntur *Rubia*, inter quas quatuor millia comprehenduntur in farinam redacta, singulisque annis renovantur, consumuntur autem Romæ singulis diebus quadringenta circitèr ejusmodi frumenti mensuræ.

Pellerus p. 180.

Hæc horrea exhibet numisma præsens cum epigraphe VBERIORI ANNONAE COMMODO. Nummo junge inscriptionem ibidem apposita.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
VETERIBVS HORREIS A GREGORIO XIII,
ET PAVLO V. CONSTRVCTIS.
NOVA TANTVNDEM SPATII CONTINENTIA,
VT VBERIVS ANNONÆ CONSVLERET
ADIECIT.
ANNO MDCXXXIX. PONTIF. XVIII.

Ut autem Annona ad publicum bonum recondita tutiori in loco servaretur, horrea ibi constructa fuerunt, nempè in excelso situ Boream respiciente, cujus perfrigido flatu putredo arcetur, qua tineæ frumentum corrodentes generantur. Apud Antiquos horrea, ne frumenta computrescerent, hac forma jubebantur extrui à Philone lib. 2. Hordeum, & triticum optimè purgare oportet, & specus altissimos fodere, solùmque luto facto, & amurca munito, circumquaque alto quatuor digitos jungere. Duæ sunt, pulveris partes, una arenę, quę luto admiscentur, ut siccari possint. Cum autem triticum ingestum est, defodere oportet vas fictile aceti acerrimi in medio, usque ad collum, & desuper lateribus in Coni, ac metæ speciem amplecti, lutoque injungere, ità enim triticum non computrescit. Vitruvius libro 5. cap. 9. Fodiuntur, & exinaniuntur quam altissimè structiles cloacæ cum tabulis complentur, & loca carbonibus, deindè insuper sabulone ex ambu-

ambulationes sternuntur, & exæquantur, ut sint siccę. In his sunt thesauri Civitatis, aliud horreorum genus ita describit Philo, Triticum acervatur in cœnaculis, quorum parietes amurca inuncti, & solùm ipsum, & fęnestras plures, & spiracula obversa ad Boream habeant retibus munita, nę ab avibus comedantur, aut animalia innascantur. *Lib. 2.* *Apud Bulenguerum de Imp. Rom. lib. 6. c. 5.*

Quandoquidem de horreis sermo est, non abs re erit ejus nominis Etymologiam indicare ex Solino, qui ad lib. 1. Georg. Horreum ab horrore dictum existimat. Is enim locus in eminentiori domus partu, sive villę esse debet. Columella lib. 1. cap. 6. Tabulata pensilia vocat Vitruvius lib. 6. cap. 7. sublimata. Alia tamen fuere subterranea. Varro de re rustica lib. 1. Quosdam scribit sub terris granaria habere, quę *Speluncæ* in Cappadocia dicuntur, *Hannonariæ specus, sive horreaticæ in Urbibus munitissimis, quæ ferè capita Provinciarum erant asservandæ condebantur*, ut loquitur Ammianus de Paleis Isauriæ.

XXVIII

SECVRITAS PVBLICA.

EXbibet numisma ichnographiam Arcis, quam in agro Bononiensi munitissimam ad Pontificiam ditionem defendendam condidit Urbanus, ac de suo nomine *Urbanam* dixit. Quatuor habet propugnacula in aciem prominentia, quatuorque muri inter ea facies. Illa operibus munitionibusq; obvallata duplici fossa cingitur, duplicique vallo, in quo cuneata alia propugnacula assurgunt. Tres ibi militum Centurię semper pręsidio sunt, ac triginta duo tormentorum explosores. Tormenta viginti octo in murorum circuitu semper disposita manent, totidemque majora in Armamentario servantur cum plerisque aliis minoribus, inter quę mortaria sex ad ollas igniarias emittendas paratissima. His adde trecenta millia librarum pulveris pyrii, ac centum millia nitri ad pulverem tormentarium conficiendum. Magnam etiam annonæ, tum tritici, tum vini copiam aquę insuper copiosum Fontem, nec quidquam deest, quod munitissimam arcem efficiat. Ibi inest inscriptio in tabula marmorea insculpta. *Ex relatione Pellegrini Pedretti, in ea Arce Libratoris an. 1696.*

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
ARCEM HANC DE SVO NOMINE VRBANAM NVNCVPATAM
VALIDISSIMIS PROPVGNACVLIS, GEMINOQVE VALLO, GEMINAQ.
FOSSA IVGIS AQVÆ FLVXV REFERTA CIRCVMDATAM,
VT SOLI PATENTIS IN DITIONEM ECCLESIASTICIS ADITVS
HOSTICIS ARMIS INTERCLVDERETVR PVBLICÆ SECVRITATI
CONSVLTVS A FVNDAMENTIS EXCITATAM ABSOLVIT,
ET VSVI MILITARI REBVS OPPORTVNIS INSTRVXIT,
ET MVNIVIT. *Oldoin. 504*

In eadem tres aliæ inscriptiones exculptæ leguntur, qaarum prima est.

FORVM GALLORVM, FLORENTE ROMANO IMPERIO
NOBILISSIMVM ÆMILIÆ VIÆ OPPIDVM
HIRCII, ET PANSÆ ROMANORVM CONSVLVM ADVERSVS
MARCVM ANTONIVM CASTRAMETATIONE, AC VARIIS
DEINDE INTER BONONIENSES, ET MVTINENSES PRÆLIIS
NOBILITATVM, IN MARTIS DITIONEM SIC TANDEM CESSIT,
VT ARCE MVNITISSIMA ILLI ADIECTA
VRBANVS VIII. PONT. MAX.
TOTIVS ECCLESIASTICI IMPERII PROPVGNACVLVM DELEGERIT,
ET PRISCVM SPLENDOREM A IVRE INTER CIVES DICENDO,
VTILIVS IN HOSTES IGNE FERRO PROPVLSANDOS IMMVTARIT
ANNO DOMINI MDCXXXVIII.

Secun-

Secunda est.

VIATOR.

HIC EST LIMES AGRI BONONIENSIS,
ET ECCLESIASTICÆ DITIONIS INITIVM
QVOD, VT
VRBANVS VIII. PONT. MAX.
TECTVM SARTVMQVE REDDERET,
ARCE MVNITISSIMA, VT MOX VIDEBIS, EXCITATA,
SIC PONTIFICIÆ MAIESTATI, SIC SVBDITORVM
SECVRITATI CONSVLVIT,
VT EXINDE CLAVIBVS IMPERTERRITE
OVILIS DOMINICI GERERET CVRAM,
ET GLADIO TRVCVLENTAM ARCERET LVPORVM RABIEM.

Tertia extat in Sacello in eadem Arce extructo his verbis exculpta.

ARCIS VRBANÆ PRÆSIDIARIÆ COHORTES,
QVO IN CHRISTIANIS CASTRIS FIDEM,
PIETATEMQVE INSIDERE OSTENDERENT,
IN SANCTISSIMÆ DEI GENITRICIS, ET VIRGINIS MARIÆ
CLIENTELAM SE HVMILLIME MANCIPANTES,
COMMVNI ÆRE, COMMVNI VOTO
SACELLVM HOC EXCITARVNT,
DOTEMQVE EX MENSVALI STIPENDIO VIRITIM
ATTRIBVERVNT ANNO DOMINI MDCLXXV.

Pontifex ille, qui supra nubes apparet in numismate Sanctum Petronium significat, Civitatis Bononiensis Patronum, qui eamdem Urbem manu gestat.

XXIX

DORICAE VRBIS INCOLVMITATI.

ÆDes, quam DORICAE VRBIS INCOLVMITATI, extructam numisma exhibet Leocomium est, quod Urbanus VIII. excitari jussit ad radices collis, cui Civitas Anconitana insidet. Cur dorica urbs illa dicatur satis explicuimus in numismate 36. Sixi V. *Leocomium* autem ex ditione græca *Limos*, quæ significat pestem, indicat locum, seu domicilium peste affectorum. Tale domicilium pernecessarium esse in Urbibus, præsertim Maritimis non est qui nesciat, in quo tum merces, tùm advenæ navibus advecti ex ignotis littoribus certò dierum spatio serventur, atque pestiferæ luis periculum omnino arceatur. Illud igitur Urbanus propè Portum Anconitanum extruxit, percussumque numisma, quod ponimus in fundamentis jactum fuit. Extat in ea Urbe inscriptio hujusmodi, qua talem fabricam implicitè comprehendit.

ANCONA PICENI VRBS PRÆCIPVA, PORTICV,
Oldoin. 518 ET TRIVMPHALI FORNICE A TRAIANO IMPERATORE NOBILITATA,
ATQVE ARCE A GREGORIO XIII. PONT. MAX. MVNITA,
NOVISSIME AB VRBANO VIII.
INGENTI ÆDIFICATO PROPVGNACVLO,
ALIISQVE MVNIMENTIS INSTAVRATIS TVTIOR REDDITA EST.

Leocomium autem extructum fuit anno 1629. ut apparet ex epistola Eminentissimi Cardinalis Barberini inscripta Gubernatori Urbis servata in Archivo Anco-

Anconitano, in qua Sacrę Congregationis, quæ dicitur *de bono regimine* decretum significatur circa expensas pro ejus fabrica erogandas. Talem epistolam hic addo.

Foris. All'Illustre, e molto Reverendo Signore, e fratello il Sig. Governatore d'Ancona. Loco ✝ Sigilli.


Intùs. Illustre, e molto Reverendo Signore, e fratello. La Sacra Congregatione de bono regimine si contenta, che li scudi mille, ne' quali è stata tassata codesta Città, e suo Contado per la nuova fabrica del Lazzaretto, si possino cavare da Colletta da imporsi sopra i fuochi, perla quale V. S. le darà facoltà, facendo però diversi gradi, secondo l'habilità di Cittadini, e non lasciandovi comprendere i miserabili, & il Signore la feliciti. Roma 30. Maggio 1629.

Di V.S. e Fratello

Il Cardinal Barberino.

Ancona Governatore Communità.

Gio: Battista Spada Segretario.



XXX

AD AEDIVM PONTIFICVM SECVRITATEM.

DE Ædibus Pontificiis sermo est, quas in Colle Quirinali diximus à Gregorio XIII. excitatas, & à Paulo V. ampliores redditas. Hortensis tamen amœnitas disclusa viridi septo à Via publica ferè omnibus intuta patebat. Ea nunc cingitur circumstructo muro in modum Arcis pari securitate, ac pulchritudine. Area, quæ ante Palatium vetusti Ædificii latissimo fundamento turgebat, magno lapidariorum sudore demissa, & complanata. Terreus agger è regione Palatii ex ejusdem vetustate Molis ruina in magnam altitudinem exurgebat, subducta humo est exęquatus. Hæc omnia Urbanus VIII. perfecit. Ad posterorum memoriam hæ ibi appositæ sunt notæ.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
SVMMORVM PONTIFICVM COMMODITATI,
OBLECTATIONI, ET SECVRITATI VIRIDARII SPATIVM
AMPLIORI PROTENDIT ACCESSIONE, QVAM COMPLANAVIT,
HINC VALLIS IMÆ SVPERFICIEM ATTOLLENS, *Oldoinus 507.*
COLLIS INDE SVMMITATEM DEPRIMENS AREAS ADDITAS
APTE DISTINXIT, IRRIGAVIT FONTIBVS,
ET DECENTER EXCOLVIT.
IN ANGVLO ORIENTALI DOMVM CVRARVM INTERMISSIONI
RECESSVM CONSTITVIT.
EXCVBIIS MILITVM HELVETIORVM CONTVBERNIA CONSTRVXIT,
ET DISPOSVIT.
HORTOS AMBITV PARIETVM VNDEQVAQVE CONCLVSIT
ANNO SALVTIS M DC XXVIII. PONTIFICATVS VI.

Ultrà securitatem ornamenta etiam addidit Urbani magnificentia, nam referente Abbate Joanne Baptista Pacciuchello horologium addidit tribus Campanis per ipsum benedictis, græco nomine cuique imposito, quo earum explicabantur munia, pulsatio videlicet horarum integrarum, earumque quadrantem, cum tintinnabulo majori pro horis, ac minori pro iisdem quadrantibus, turrique in fronte peristilii. Horti verò æquata planitie, ut diximus, jam in immensum excurrunt. Recti in illis, longissimique Xysti tonsilibus cincti plantis, mirtho, buxo, cupresso, lauro, junipero, citro, innumeri fontes, stationes cameratæ floribus ramis, semper virentibus foliis, spatia dispartita pomis, & floribus. *De Tintinnab. Nolanu pag. 163*

E planitie mollis clivo descensus, & adjacens inferior campus malorum medicorum ferax, & platanis inumbratus.

XXXI

SVBVRBANO RECESSV CONSTRVCTO.

Montem numisma ostendit cum oppido, Albano Lacui, imminente, illi Castri Gandulphi vulgus nomen fecit. Quidam putant Pandolphum olim vocatum fuisse à Pandulpho Sabello, fratre Honorii IV. Pontificis, sed in quadam Bulla Sixti IV. die 15. Septembris anni 1482. emanata, dicitur Turris de Candulfi. fortasse à nobili Condulforum Familia, quam ab anno 1275. nominatam in suis codicibus refert Eques Dominicus Jacobatius. *Litt.C. pag. 199.*

Ejus Oppidi originem Cardinali Ludovico Mediarota, seu Scarampo Albanensi Episcopo, & S. R. E. Camerario Blondus tribuit cum Ciacconio in vita Eugenii. *Pag. 319.* In hujus Pontificis ditionem Castrum Gandulphi redegit Joannes Vitellescus, in Sabellos totam Gibellinam factionem ducens, ut narrat Ciacconius in vita Eugenii. *Ciacc. col. 871.* Et Pius Secundus Comment. lib. 11. pag. 164. Deinde ad variorum Principum ditionem translatum. Anno denique 1604. in Consistorio die 22. Maii celebrato, Clemens VIII. ditioni Pontificiæ addixit, pretio soluto centum quinquaginta millia nummorum, prout extat publicis in tabulis, quas Trottus Notarius Congregationis Baronum confecit. Respicit Occidentem versùs Romanam Urbem, à qua distat tredecim circitèr milliariis. In parte Orientali Lacum Albanum, Marinum in Boreali, in Meridionali verò Ardeam, ac Mare Tirenum.

Insalubre ante Paulum V. Pontificem censebatur; eam insalubritatem aquæ lacustres, quas potare incolę cogebantur, augebant. Providit malo Paulus, Turni lacum adverso oppido subjacentem, ex quo noxii spiritus exhalabantur, exhausit, & aquas salubres in Oppidum derivavit. Eâ de causa Jacobi Serrę Cardinalis jussu, cui ejus operis cura commissa est, hæc inscriptio Oppidi portæ incisa legitur,

PAVLVS V. PONT. MAX.
OPPIDVM AQVARVM PENVRIA, ET NOXIA E TVRNI
LACVS ASPIRATIONE INFREQVENTIVS,
AQVA TERTIO AB HINC MILLIARIO DERIVATA,
ET LACV EXICCATO SALVBRIVS, LÆTIVSQVE REDDIDIT
ANNO DOMINI MDCXI. PONTIF: VII.

Propè illud Urbanus VIII. antequam Pontificiam dignitatem consequeretur Villam possidebat, in qua libentèr rusticabatur, ut ipsemet fassus est in eleganti Carmine, quod Laurentio Magolotto Utriusque Signaturæ Referendario inscripsit illum rusticatum invitans,

Arva madent, & amabilis aura calores
Jam fregit, celerique fuga se proripit æstas
Rura vocant, lætisque patens in Collibus aer
Hic recreor &c.

Cum ergo aeris salubritatem diu fuisset expertus, ad Pontificatum evectus, non tantùm suæ, sed futurorum Pontificum saluti consuluit. Emit propterea Villam, quam Presul Illustrissimus Vicecomes possidebat, eamque descriptam invenies pindarico Carmine ab Illustrissimo Presule Azzolino. In ea nobile Palatium Pontificum commoditati erexit, quod numisma propositum indicat, Villam mœnibus cinxit instar munitissimæ arcis. Viamque aperuit commodissimam ad summitatem Montis Albani ducentem, ubi nunc Ædes Religiosorum, quos *Cappuccinos* appellamus. Hanc inscriptionem frons Palatii exhibet,

VR-

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
SEMITIS COMPLANATIS, CETERISQVE AD VSVM VILLÆ
COMPARATIS SVBVRBANAS AEDES COMMODITATI PONTIFICVM
EXTRVXIT
ANNO MDCXXXIX. PONT. XV.

Ejus ſtructuram tres præcipui Architecti confecerunt, ſcilicèt Carolus Madernus, Bartholomęus Brecciolus, & Dominicus Caſtellus, prout refert Balleonus in Vitis Pictorum pag.180.

XXXII

FERRI FODINIS APERTIS.

REgnante Urbano VIII. detectę fuerunt Ferri Fodinæ propè Montem Leonem, cujus regio ſubjacet Pręlato, qui Gubernationem urbis Nurſię gerit titulo Præfecti Nurſiæ, & Montium; Epiſcopo autem Spoletano in Spiritualibus obtemperat. Inſunt illę in viſceribus Montis, qui ab Incolis dicitur Monte *Terrargo* ab Oppido unius milliarii ſpatio diſtante. Eas uſui reddidit Urbanus opportunas, & vias ſtravit, ut glebas Ferreas commodè poſſent Currus deducere ad locum, in quo fabricam excitavit cum fornace ad eas purgandas accommodata, quæ deindè in virgas efformantur in alio oppido Spoletani dominii, quod vulgò dicitur *Schiagino*.


Hujus Urbanæ beneficentiæ teſtimonium numiſma hoc eſt, atque inſcriptio in Ferrariis officinis.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
INVENTIS, ET RECLVSIS IN VMBRIÆ FINIBVS
PROPE MONTEM LEONIS FERRI FODINIS,
ÆDIFICIVM, ET FORNACEM AD EXCOQVENDAM MATERIAM,
ET FERRVM FVNDENDVM EXCITAVIT,
PONTEM EXTRVXIT
ANNO SALVTIS MDCXXXIV.
PONTIFICATVS XII.

Rursùs hęc alia extrà Urbem, ubi Fodinarum viam aperuit.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
VIAM HANC FODINARVM VSVI,
ET PVBLICÆ COMMODITATI APERVIT, ET STRAVIT,
AD MONTEM LEONEM, CASSIAM, ET NVRSIAM
PROTENDIT
ANNO SALVTIS MDCXXXIV.
PONTIF. XII.

In his tamen Ferri Fodinis ceſſatum à labore eſt pluribus de cauſis ſub Innocentio X., & Alexander VIII. abdita ejus Montis Ferrea viſcera iterùm perſcrutari juſſit, ex quibus improbo licet labore non modica nunc derivat utilitas.



XXXIII

ORA PRO ME BEATA MARTINA.

Ex Lection. Brev. Rom. Martina Virgo fuit Romana, patre consulari, illustri genere nata sub Alexandro Principe cum Deos inanes colere juberetur immane facinus detestata, ob id affecta verberibus, uncis, ungulis ferreis, testarum fragmentis lacerata, acutissimis gladiis membratim concisa, adipe ferventi peruncta, demùm in amphiteatro damnata ad bestias, à quibus illęsa Divinitùs evadens in ardentem rogum injecta incolumis pari beneficio servatur, sed tandem per capitis ademptionem miraculis clara martyrii coronam adepta fuit. Vocatur hæc Virgo in antiquo Lectionario Basilicæ Vaticanæ Diaconissa, quo nomine significatur, fuisse operum bonorum Operatrix, seu Mulier illa, cujus munus erat cingendi frontem fœminarum post susceptum confirmationis Sacramentum, ut docent Antiqui Scriptores relati à Torrigio de Cryptis Vaticanis pag.557. Sacrum ejus Corpus, sedente Urbano Primo circa annum 227, martyrio affectum, Urbano VIII. Pontifice maximo regnante repertum fuit. Totam rei seriem suggerit numisma propositum, ac simul erga hanc Sanctam Virginem Urbani pietatem, cujus preces in lemmate implorat.

Marlianus lib.3. c.16. E regione Arcus Septimii est Romæ Ædes Sanctæ Martinæ nunc Sacra, ubi olim fuisse Secretarium Populi Romani monet inscriptio à Grutero relata, & detecta, dum invento Corpore S. Martinæ novum Templum inibi excitandum erat, quæ *Lib.4. c.3.* vox (ait P. Donatus) *Secretarium*, licèt variè usurpatur, hic tamen intelligitur pro loco, in quo Judices causas cognoscunt, jusque reddunt. Videatur Bulengerus de Imperio Romano lib.3. cap.9. & Baronius anno 334. & Bristonius in 17. de verb. significatione. Inibi etiam fuisse templum Martis deduxit Torrigius è Car- *Pag.549.* mine inciso supra Januam antiqui templi Sanctæ Martinæ dicati, idest.

Martyrii gestans Virgo Martina Coronam,
Eiecto hinc Martis nvmine templa tenet.

Ejus ossa huc translata primùm fuisse à Sancto Sotero, aut à Sancto Sylvestro, ut putat Pancirolus, accepta à fundo Barbiliano in Via Ostiensi narratur in codice antiquissimo, servato in Archivo Basilicæ Vaticanæ, relato à Torrigio. *Jacuit* *Apud Turrigium pag. 551.* *Venerabile Sanctæ Martinæ Corpus*, *usque ad &c.* Alexander postea IV. idem Templum consecravit, atque Sacra Sanctæ Virginis Ossa in arca marmorea recondidit, quæ sub Urbano VIII. hac occasione detecta sunt.

Postquam pio Pictorum cœtui Sixtus V. concesserat Ædem S. Martinæ dicatam, procurante apud Sixtum Hieronymo Mutiano insigni Pictore, qui antea à Gregorio XIII. obtinuerat, ut erigeretur Academia nobilis artis Pictoriæ, ut memorat in vita Mutiani pag.31. Eques Joannes Balleonus, eam jam collabentem instaurandam decretum est, impellente præsertim ad hoc pietate celeberrimi Pictoris nostri Sæculi Petri Berettini Cortonensis, qui ut excultus Architectonicæ etiam facultatis peritia, magna in honorem Sanctæ Virginis Martinæ,& Sociorum, & Sancti Lucę patroni pręconceperat animo. Annuit tantis votis ipsa Academia, & ad novum ædificium auspicandum sedulò se dedit. Fundamenta vix jacta erant, cum Corpora reperta sunt Sanctę Martinę Virginis, & Sanctorum Concordii, Epiphanii, & Sociorum itidem Martyrum.

Urbanus VIII., cui summa in Sanctam Martinam erat religio, certior de inventione factus ingenti animi voluptate perfusus est, eaque imprimis de causa, quòd D. Urbano sedente Martina passa sit tanta cum Christiani nominis gloria; Sacrum propterea pignus, ut agnosceret, ac veneraretur, huc sese Pontifex contulit die 28. Novembris post meridiem cum Cardinalibus Torres, S. Onuphrii, Spada, Sacchetti, Pamphilio, Sanctacrucio, Brancatio, Francisco Barberino, Burghesio, Ginetto, & Cæsarino, aliisque Proceribus prosequentibus. Pontificiæ hujus,

hujus, Romanęq; pietatis exemplo ad invictissimæ Martyris venerationem Romani omnes confluxere, quibus Pontifex concessit plenam peccatorum indulgentiam. Prętor id magnus ille Pontifex in Virginis honorem proprium Officium composuit, tresque hymnos ad Vespertinas, Matutinas, Laudumque preces decantandos, quibus Divi Damasi Pontificis ęmulator, vim poeticam ostentavit, Ode triplici Martinę vitam egregiè complexus. Eodem prorsus tempore utquàm liberalissimè Sacra cum Heroina ageret Franciscum Cardinalem Barberinum nepotem ædem magnificentiùs extruere jussit. Pontificio imperio Cardinalis obsecuturus plurimùm suppeditavit argenti, ut nova ædes jàm elegantèr per Cortonensem delineata numeris omnibus absolveretur. Ideò Pictorum Sodalitas super intimam Ædis Januam marmori cęlatam cum insignibus ejusdem Eminentissimi Principis hanc parieti commisit epigraphem.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
SANCTÆ MARTINÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS
ANTIQVISSIMAM ECCLESIAM
ADIVNCTO SANCTI LVCÆ EVANGELISTÆ TITVLO INSIGNEM,
POST HIC REPERTVM, ET REPOSITVM EIVSDEM VIRGINIS
CORPVS
IN MELIOREM FORMAM EXSTRVI MANDAVIT;
FRANCISCVS CARDINALIS BARBERINVS
PATRVI VOLVNTATEM SECVTVS ORNAVIT,
ABSOLVIT ANNO DOMINI MDCL.

Repertum autem Corpus S. Martinæ, & Sociorum in eodem loco decentiùs reposuit. Quamobrem die 7. Januarii anni 1635. ritu solemni Supplicatio instituta fuit, in qua referente Torrigio, pręter Confraternitatum cœtus, & Clerum tum Sæcularem, tùm Regularem adfuere Eminentissimi Cardinales Pius, Aldobrandinus, Bentivolus, Roma, Torres, Barberinus, à Queva, Ginnettus, Spada, Cęsarinus, Burghesius, Biscia, Pamphilius, Sanctacrucius, Sacchettus, & à Monte cum Romano Senatu.

Petrus deinde Berettinus totum se dedit ad Confessionis subterraneæ ædificium, & ornatum, illamque absolvit in hanc pręclarissimam formam, antequam ædi superiori ob molis amplitudinem suprema imponi potuissent. Descensus est ad illam per geminas scalas, singulas graduum 22. & latitudinis palmis 5. circitèr, è regione ambarum ambæ aræ ingredientibus objiciuntur in loculamento è marmore, crustisque ex alabastrite ornatæ: mittunt hæ in cryptæ porticum procurrentem palmis 120. in longitudinem, in latitudinem verò 12., cui lux à duabus fęnestris sese mutuò respicientibus. In medio est vestibulum ejusdem Confessionis Sanctæ Martinæ, quod quidem fulcitur duodecim columnis è cinereo jonici ordinis, & octangulare. Camera per oculum, qui in ædis superioris umbilico est sub ipso Tholo infert lumen, eidemque vestibulo. Anguli in quatuor loculamentis quatuor pręseferunt Statuas scalpro Cosmæ Fancelli efformatas, & singulis singulæ Urnæ, quas marmor cum maculis cinereis nobilitat, subjectæ sunt. Hinc pervenitur ad ipsam Cellam Confessionis, seu potiùs ædiculam in quadratam formam constructam, innititur duodecim columnis jonici ordinis è marmore violaceo, sex flavo etiam maculatæ sunt, & antipilis ex albo, & nigro antiquo. Fornix marmorato ornatur, & corona auro obducta. Inter columnas parietes crustantur alabastrite, & viridi antiquo, mediantque inter lapides diversi colores duo numismata alterum alteri oppositum ex alabastrite, malum cidonium referente, nigra circumdato zona. Fundum angulare convestit viride antiquum. Decurrit per totam ędiculam corona è pario supra quam sunt alia marmora ex ibero, & glarea, & id genus. Sunt in lateribus ostiola cum stipibus è cinereo glaream imitante. Ingressui respondet latus, à quo per fęnestram, & duos oculos ovales ædi infertur lux: iisdem crustis distinguitur, & in medio pario marmori cum corona cinerea, & zophoro è viridi, & flavo circumdato insculpta leguntur.

COR-

CORPORA SANCTARVM MARTINÆ V. ET M.
CONCORDII, EPIPHANII, SOCIISQVE EORVM
VRBANO VIII. PONT. MAX. REPERTA;
FRANCISCVS CARDINALIS BARBERINVS
S. R. E. VICECANCELLARIVS
EODEM LOCO DECENTIVS EXORNATO RECONDIDIT.
ANNO MDCXXXV.

Ara in medio est instar insulæ, illi hæret in pegmate ligneo coloribus illito parva tabula, cum effigie Sanctæ Martinæ ex alabastro exhibitæ, coram Virgine Maria illi præbente puerum Jesum: occluditur ostiolo, cui effigies eadem coloribus expressa est ab Antonio Zoi à Burgo Sancti Sepulchri Petri Berettini Alumno, corona hujus tabulæ ex ære inaurato cum fundo, viridi antiquo crustato.

Sub ara in Urna ex jaspide maculis albis, & rubris suffuso, quiescit Corpus Sanctæ Martinæ, & Sociorum. Illustrat hoc mausoleum ornamentum ex ære cælatum Cherubinis, & Encarpis, ex jaspide viridi, & coronis optimè cælatis. In medio cernitur imago Sanctæ Martinæ inter duos Angelos, in lateribus insident Apes alludentes Barberinæ beneficentiæ; sese extulit Ara supra areolam circumdatam gradibus duobus è marmore Lunensi, nigro albo maculoso. Præcingunt aram hanc balaustria à duobus tantum lateribus è cinereo, in quorum extremitatibus surgunt quatuor vasa, quæ excipiunt candelabra ex ære inaurato facibus continendis opportuna. Per extremas januas aditus est in duas parvas cellas, ea quæ à sinistris est, statuas tres præfert in ara, Sanctos Martyres, quorum Corpora hic inventa sunt, referentes, celeberrimi Sculptoris Equitis Alexandri Algardi Bononiensis, quæ verò à dextris adhuc expectat tabulam alicujus Pictoris.

Ecclesia superior Eminentissimi Principis Cardinalis Francisci Barberini ære in hanc præclarissimam formam excitata est. Ejus Ichnographia delineatorem jactat Petrum Berettinum Cortonensem. Sex illi sunt Cellæ, quarum tres in propatulo sunt, tres aliæ ingredientium oculis non occurrunt, cum abditæ sint in partibus ædis, ęquali symetria resilientibus. Ara maxima, quæ respondet ædis ostio, ornatur tabula Sancti Lucæ Evangelistę, pingenti similis Beatam Virginem Mariam, quem coloribus effinxerat Raphael Sanctius Urbinas. Ornat hanc tabulam corona è flavo glaream imitante, & quatuor ex alabastrite ingentes columnæ cum capitulis foliosis corinthii ordinis è pario, quarum stereobatæ glarea gallica crustantur, cinguntque se supra basim marmoream, quam nobilitat zophorus è viridi antiquo: stylobatæ è marmore pręferunt insignia gentilitia ejusdem Cardinalis. Sub præfata tabula exhibita est jacens statua Sanctæ Martinæ, quàm egregiè exculpsit Nicolaus Menghinus: Cellam, & aram hanc absis excipit, cujus fornix costulis interdistinctus est, quas formant florum serta, quibus insident Apes Barberinæ. Infra recurrit corona quatuor innixa columnis, & totidem stereobatis jonici ordinis, lumen super coronam absidi inferunt duę tetragonæ fęnestræ, mediant stereobatas ab utroque latere duo podiola, seu chori modulationibus opportuni, infra sunt ostia, quæ ducunt ad Sacrarium, & ad subterraneam cryptam.

In umbilico sese tollit ingens tholus qui ædem illustrat: nititur quatuor stereobatis, quas exornant columnæ ordinis jonici; Super crassiorem coronam lux intrat per octo magnas tetragonas fęnestras, sicut in laternula. Pars intima encarpis cum Apibus, veluti costulis interdistinguitur, magnisque rosis infra eas, & palmis convestitur. Pars extima plumbeis laminis cooperta est. Superest, ut frontem Ædis describamus, sed non omittendum est Ædem in longitudinem excurrere palmis 435. circitèr, & in latitudinem 120. circitèr. Tholi diameter est palmorum 50. Frons Ædis è tiburtinis lapidibus constructa, ad hujus ostium per septem gradus est ascensus ex eodem lapide, præcingitur sex semicolumnis. Se primo erigit supra pedulum altitudinis palmorum sex cum basi, & coronelysi resiliente, inde aliud pedulum, quo nituntur quatuor columnę, & quatuor stereobatæ cum antipilis, quæ obediunt legibus ordinis jonici, quarum capitulis hæret Apis. Inter columnia occupant quadrangulę figurę cęlatę, & fęnestrę fictę cum coronis, ac mensu-

mensulis ostium cum zophoro encarpis cum Ape, & frontispitiis semicircularibus; inde sequitur magna corona zophoro hęc incisa sunt.

SANCTÆ VIRGINI, ET MARTYRI MARTINÆ VRBANVS OCTAVVS PONTIFEX MAXIMVS.

Supra pręfatum ordinem alter sese tollit ex pilis planis corinthii ordinis, quas mediant duæ columnæ, quę ornant medianam fęnestram, cui frons aucta est liliis cęlata, supra altiorem coronam inter duos Angelos è marmore insignia gentilitia Urbani VIII. erecta sunt.

XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII.

TV DOMINVS, ET MAGISTER.

IN quinque numismatibus Christum Divo Petro pedes abluentem cernimus, diversis modis expressum, in omnibus tamen inscriptionem formant verba ab eodem Divo Petro prolata. TV DOMINVS, ET MAGISTER. Cum de lotione hac à Redemptore instituta, & à Summis Pontificibus exercita satis alibi dictum sit, solùm hic notandum, talia numismata diversis annis cusa fuisse, omnia tamen ad eumdem finem, ut scilicet Pontifex illa distribueret pauperibus, quorum pedes Feria quinta majoris hebdomadę solet abluere.


Sed antequam ad aliorum numismatum elucubrationem transeamus, parùm in trigesimo septimo opportet immorari. Laureo illud cingitur serto, sicuti alia quamplurima sub Urbano VIII. vulgata, præsertim in proximè superiori, in quo etiam insculpta est Apis, nec temere hoc factum putes sub prudentissimi Pontificis dominio. Symbolum enim est nobilissimę familię Barberinæ Laurus cum Apibus, quas in gentilitio stemmate præfert ab ipso Urbano ingeniosè excogitatum. Dedelctabatur ilie antequam esset Pontifex mirum in modum Poesi, cum aliquando Virgilii carmina percurrens in libro septimo Æneidos prodigia recensebat, quibus impediri Conjugium Laviniæ cum Turno vates describit, subdens.

Laurus erat tectis medio penetralibus altis
Sacra Comam, multosque metu servata per annos
Quam Pater inventam primos cum conderet arces.
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse latinus
Laurentique ab ea nomen posuisse coloris
Hujus Apes summum densæ (mirabile dictu)
Stridore ingenti liquidum trans athera vectæ
Obsedere apicem &c.

Sicut autem apud Poetam Apes descriptæ ad laurum convolantes exteros significant, scilicèt Æneam, ejusque socios, non absimili modo ab Apibus Barberinis majores suos Florentia Romam provectos significari posse sibi suasit Urbanus, ibique domum posuisse anno 1535. Paulo III. regnante, ob idque epigraphis loco verba posuit ab eodem Virgilio accepta ubi sequitur.

Hic Domus, bic patria est &c. *To.2. pag. 73.*

Hæc omnia indicavit in suo theatro Joannes Ferrus, qui etiam addidit, optimè convenire Urbano Pontifici symbola Apum, & Lauri. Hęc enim arbor est immortalis, Triumphi signum, ac Poetarum decus: Apes itidem eloquentiam indicant, ac prudentem solertiam. Quàm egregiè Urbanus Pontifex his omnibus præditus fuerit notissimum est.



XXXIX

MONASTERIVM INCARNATIONIS IESV CHRISTI.

COr in numiſmate exculptum notas oſtendit V. C. F. E. quæ nil aliud ſonant, quam VERBVM CARO FACTVM EST.

Monumentum illud eſt Monaſterii ſub titulo Incarnationis, cura, & munificentia Urbani VIII. Romæ erecti in Monte Quirinali in Via Pia, juxtà templum Sancto Cajo Sacrum, ut in eo Virgines Deo dicatæ Vitam religioſam traducerent ſub regula Sanctæ Thereſiæ. Tanti beneficii cauſa communitèr vocantur Moniales Barberinæ. Templum à Pontifice inchoatum Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus ejus nepos abſolvit. Picturam, quæ in Ara maxima eſt Hiacynthus Brandus elaboravit, alias hinc inde diſpoſitas in minoribus Sacellis Bellonus.

XXXX

SALVA NOS DOMINE.

DIvi Petri verba, Redemptoris opem implorantis in procelloſo Mari, dum navicula fluctibus agitatur in pluribus numiſmatibus legimus, & quidem meritò Pontifices Romani eadem uſurpant, utpotè qui Divi Petri Succeſſores in hujus vitæ pelago ab adverſitatibus haud ſunt immunes.

XXXXI

FACIT MIRABILIA MAGNA SOLVS.

NUmiſma in hoc loco poſitum anno primo Pontificatus ab Urbano vulgatum fuit, ut ſcilicet lemmate exculpto ex Pſalmo 35. accepto ſuæ aſſum-
Ciacc. 498. ptionis gloriam Soli Deo adſcriberet. Transfigurationem Jeſu Chriſti ob id expreſſit, ut verba facto comprobaret, in quo admirantibus Diſcipulis Pe-
tro, Jacobo, & Joanne *reſplenduit facies ejus, ſicut Sol, veſtimenta autem facta*
Matt. 17, 2 *ſunt alba, ſicut nix.* Sicut autem Chriſtus accepit *à Deo Patre honorem, & glo-*
Epiſt. 2. c. 1. *riam* (ut dicit Beatus Petrus) *in ſua transfiguratione*; ità Urbanus Pontificiæ dignitatis honorem, & gloriam à Deo ſibi datam faſſus eſt, nec ullo inanis gloriæ faſtu ſe ſuperbe elevari.

XXXXII

DOMINE QVIS SIMILIS TIBI.

URbani Pontificis animum pie demiſſum confirmat numiſma præſens, quo certè potuit ſuperbiæ ſtimulos refringere. Ejus religionem erga Sanctum Michaelem Archangelum in alio numiſmate memoravimus, quamobrem frequentèr ejus nomen tacitè implorabat in verbis DOMINE QVIS SIMILIS TIBI. Michael enim, ut diximus, idem eſt, ac QVIS VT DEVS. Ut autem lemma ſculpturæ conveniret, Redemptoris effigiem expreſſit, cum quo loquebatur.

XXXXI



XXXXII



XXXXIII



XXXXIV



XXXXV




XXXXVI



XXXXVII



XXXXVIII




XXXXIX




XXXXX



XXXXXI



XXXXXII



XXXXXIII





XXXXXIV




XXXXXV













XXXXIII

MATER MISERICORDIAE SAONAE

NUmiſma percuſſit ovalem Urbanus ; altera pars ipſius Urbani exhibet faciem, altera Iconem Beatæ Mariæ, qui propè Savonam cuidam Agricolę ſeſe exhibuit cum mandato. ut ibi coleretur.

XXXXIV

CHRISTVS REX VENIT IN PACE, ET DEVS HOMO FACTVS EST.

XXXXV

REGINA ANGELORVM.

XXXXVI

ECCE ANCILLA DOMINI.

XXXXVII

MONSTRA; TE ESSE MATREM.

XXXXVIII

SANCTVS PETRVS PRINCEPS APOSTOLORVM.

QUinque hæc numiſmatą ſub Urbano vulgata ejus religionem confirmant erga Chriſtum Dominum, Virginem Deiparam, & Divum Petrum, cujus vices gerebat. De hujus Apoſtoli imagine ſatis dictum eſt alibi. De varia Virginis Icone conſule Patrem Rainaudum in nomenclatore Mariano, & P. Guillelmum Gumpenberg in Atlante Mariano, ubi de Imaginibus Deiparæ per Orbem Chriſtianum miraculis inſignibus, cum nihil in præſentiarum ſuggerant peculiare, quod ad Urbanum referri poſſit, ad alia procedendum.

XXXXIX

SANCTA ELISABETH REGINA LVSITANIAE A DEO SANCTIFICATA.

IMaginem intuemur Sanctę Eliſabeth, quæ Aragoniæ Regibus orta, Dionyſio Luſitaniæ Regi in matrimonium collocata, ſemper Deo magis, quàm viro placere ſtuduit. Mediam ferè anni partem ſolo pane tolerabat, & aqua, quę in quodam ipſius morbo Divinitùs verſa eſt in vinum, cum id à Medicis præſcriptum bibere recuſaſſet. Pauperrimæ fœminæ ulcus horrendum exoſculata, de repente ſanavit; pecunias pauperibus diſtribuendas, ut Regem laterent hiberno tem-

Ex lectionibus Breviarii 4. Julii.

tempore in rosas convertit; Virginem cœcam à nativitate illuminavit, multos alios solo Crucis signo à gravissimis morbis liberavit, plurima id genus miracula patravit, Monasteria, Collegia, & Templa non modò extruxit, sed etiam magnificè dotavit. In Regum discordiis componendis admirabilis fuit; In privatis, publicisque mortalium sublevandis calamitatibus indefessa. Pingitur in habitu Monialium, nam, defuncto Rege Dionysio illicò Religiosis Sanctæ Claræ vestibus induta, Regio funeri constanter adfuit, ac post non sibi, sed Deo, & mortalium omnium commodis vivebat. Demum à Virgine Deipara in morbo visitata Sanctissimè obiit anno 1336.

Lucas Vadingus Annal. Min.

Post mortem cum multis miraculis claruisset, concesserat Leo X. ut Emanueli Regi Lusitano pro Ecclesia multùm laboranti, & de se benemerito gratificaretur in omnibus, ut Elisabethæ Reginæ miraculis clarissimæ honores tota Conimbricensi Diœcesi, qui Beatis reddi consueverunt publicè haberentur, ac festus dies solemni ritu coleretur.

Oldoinus pag. 500.


Insecuti Pontifices gloriȩ ejus limites angustiores rati colendam dederunt toti Lusitaniæ. Ne quid Venerationi deesset Anno Jubilȩi, & nostræ Salutis 1625. totius Orbis Christiani concursu, & applausu ab Urbano VIII. ritè inter Sanctos adscripta est.



L

ASSAGIVM GENERALE. M DC XXXIX.

Simile numisma explicuimus in Gregorio XV., quamobrem nil aliud dicendum superest, nisi illud percussum esse anno 1639. ut de probata moneta certiores omnes fierent, sicuti appicti numeri indicant.



LI

ANNA COLVMNA PHILIPPI COLVMNAE DVCIS PALIANI &c. FILIA, VXOR THADDEI BARBERINI VRBIS PRAEFECTISSA, VRBANI VIII. NEPTIS &c. AEDEM CAELI REGINAE IN SIGNVM SVAE PIETATIS DICAVIT M DC XXXXV.

Adeò clara est inscriptio numismatis hujus, ut ferè nulla indigeat explicatione. Non tamen omittendum est, illud cum pluribus aliis ejusdem generis positum fuisse cum primo lapide in Templi, & Monasterii fundamentis, quod Virgini Deiparæ sub titulo *Reginæ Cæli* Anna Columna extruxit, ut narrat P. Blasius à Purificatione Carmelita discalceatus in Vita Venerabilis Matris Claræ Mariæ de Passione, ejusdem Monasterii fundatricis. Ejus fundationis seriem exponam.

Excellentissima Anna Columna, ȩque nobilis, ac pietate prædita mulier cum Deo se mancipare in religioso Cœnobio, ut animo conceperat, non potuisset, jussibus Excellentissimi Philippi sui Patris obtemperans, post Conjugium cum Excellentissimo Thaddeo Barberino; erigere decrevit Monasterium in honorem Beatissimæ Virginis, ac decretum voto firmavit imminente periculoso Puerperio, quo Carolum filium in lucem edidit inter S. R. Ecclesiæ Purpuratos adhùc viventem.

Piis votis annuit Urbanus VIII. qui locum pro Monasterio assignavit, addito etiam

etiam proventu trecentùm nummorum pro singulis annis, decrevitque, ut à Patribus Carmelitis discalceatis in perpetuum Virgines Deo Sacræ dirigerentur.

Die igitur 21. Novembris 1643. Beatæ Virgini in Templo sese offerenti Sacro, primum lapidem posuit, solemni ritu Eminentissimus Cardinalis Hieronymus Columna, Annæ Columnæ frater, adstante Romanorum Magnatum numero, & maxima Populi frequentia. Hanc inscriptionem lapis ille continebat.

ANNA COLVMNA PHILIPPI COLVMNAE FILIA
VIRI PRIMARIAE COLVMNENSIVM FAMILIAE,
QVI GIANAZANVM POSSEDERVNT,
NOMENQVE SVVM ILLVSTRARVNT POSTERITATIS,
PALEANI, AC CASSIOLORVM DVCIS,
PRINCIPIS SONNINI,
REGNI NEAPOLIS MAGNI COMESTABILIS &c.
VXOR THADDEI BARBERINI,
PRINCIPIS PRAENESTINI, ERETI, AC LAVICANI DVCIS,
VRBANI VIII. PONTIFICIS
NEPOTIS EX FRATRE GERMANO FILII,
VRBIS PRAEFECTI,
HIC A FVNDAMENTIS, VT FIRMIORI ARGVMENTO
AETERNAE VITAE SPEM CONFIRMARET
MONIALIVM DOMVM ORDINIS CARMELITARVM
DISCALCEATARVM,
AEDEMQVE SACRAM DIVAE VIRGINI TITVLO REGINAE COELI
CENSV OPPORTVNO AD VITAE VSVM ADDICTO,
ADDITISQVE ORNAMENTIS.
FIDELIVM PIETATIS INCITAMENTO IVSSIT AEDIFICARI
ANNO M.DC.XXXXIII.
VNDECIMO KALENDAS DECEMBRIS,
VRBANI OCTAVI ANNO XXI.
RERVM POTIENTIBVS
FERDINANDO TERTIO IN GERMANIA,
PHILIPPO IV. IN HISPANIA,
IN GALLIA LVDOVICO XIIII.

Supra hunc lapidem plumbeam capsulam posuere plenam numismatibus, tum æneis, tùm argenteis cum inscriptione à nobis expressa, pars verò aversa imaginem Urbani Pontificis gerebat, Sacro Ritu fundationis expleto excelsam Crucem posuere propè cavitatem, in qua lapis supradictus collocatus fuerat. Brevi deinde mensium curriculo totius Ædis structura absoluta est, quam Excellentissima Anna Barberina omni ad vitæ Religiosæ usum necessaria supellectili liberali pietate exornavit, atque octo mille nummos erogavit, ut ab omni annuo censu Ager, in quo Ædes constructa fuerat liberaretur.

Post mortem Urbani Pontificis diploma erectionis hujus Cœnobii ab illo conditum Innocentius X. confirmavit, sed difficultatibus obortis dilata res est. Omnibus denique compositis die 14. Maii ob Ascensionem Christi Domini in Cælum Sacra anno 1654. ex Cœnobio Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, olim Sancti Ægydii, se contulerunt ad novum Monasterium, ut inibi prima religiosæ vitæ primordia ponerent tres Virgines Deo Sacræ, idest Clara Maria de Passione è Columnensi stirpe orta. Fœlix Theresia à S. Joseph è Comitibus Corbaræ. Francisca Theresia à S. Joseph è Familia Fiorentilla, eas comitantibus Excellentiss. Anna, Hieronymo Columna, duobus Cardinalibus Barberinis, pluribusque aliis nobilibus Viris. Antequam novum Monasterium ingrederentur Sacram Purpuram Eminentissimorum Cardinalium exosculatæ fuerunt, deinde ad Chorum Templi profectæ Sanctissimam Virginem salutarunt Antiphonam *Regina Cæli lætare &c.* piè modulantes.

Templum deinde non adhuc numeris omnibus expletum anno insequenti perfectum solemni ritu sacravit Illustrissimus Præsul Pacificus Episcopus Tarsensis die Præsentationi Beatę Virginis dicata. Ternæ in illo sunt Aræ plastico opere exornatæ: in maxima Beatam Virginem se se in Templo offerentem Joannes Lanfrancus depinxit, in dextera Divam Annam morientem expressit Fabritius Clarus, in sinistra Sanctam Theresiam scribenti similem Romanellus. In Templi pavimento hanc inscriptionem tabula marmorea continet.

D. O. M.
ANNA COLVMNA PHILIPPI
DVCIS PALIANI,
ET MAGNI COMESTABILIS FILIA
THADDEI BARBERINI, VRBANI VIII.
EX FRATRE GERMANO NEPOTIS VXOR
VRBIS PRÆFECTISSA
INTER HVIVS SÆCVLI VICES QVIETIS VLTIMÆ MEMOR
IN HOC TEMPLO SVIS IMPENSIS
A FVNDAMENTIS ERECTO TVMVLVM
SIBI VIVENS POSVIT,
VT IN VIRGINALI TEMPLO CORPORIS
SIC ANIMÆ IN VIRGINALI SINV
PERPETVAM QVIETEM AVGVRATA
ANNO DOMINI MDCLV
OBIIT PRIDIE KAL. NOVEMBRIS MDCLVIII.
ET SVÆ LVII.

XXXXXII

MVNIFICENTIA
ANTONII BARBERINI
S. R. E. CARDINALI CAMERARII
SOCIETAS IESV ANNO CENTESIMO
PIE CELEBRATO
SALVTIS MDCXXXIX.
V. KAL. OCTOBRIS.

Numisma præsens cum posita inscriptione, & Urbani VIII. effigie Societas Jesu vulgavit, ut beneficii accepti ab Urbano VIII. ejusque Nepote Antonio Barberino Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali perenne monumentum extaret. Quale illud fuerit, ab his, quæ subjiciam indicabitur.

Primi Sæculi Societatis Jesu imaginem orbi daturus septimus Præpositus Generalis Mutius Vitellescus, quam omnis semper posteritas intueretur, tum quia omnibus futura esset scena gaudiorum illa primi Seculi gloria, tum etiam, ut benediceret Deus coronæ anni benignitatis suæ, eidem debitam gratiarum actionem redderent omnes, quod expleto fœliciter unius sęculi curriculo, in ejus gloriam excreverat Societas, licet pluribus exagitata aduersitatibus, odiisque pressa Hæreticorum, Societatem universam litteris sic fuit alloquutus, datis die *16.* Julii *1639.*

Ex Regestis Epist. ejus anni. Cum nobis pro foribus sit annus fundatæ Societatis centesimus, primus ejusdem secularis, cujus exordium die 27. proximi Septembris inibimus, æquum est, nos cum aliquo apparatu Ecclesiastico, literarioque celebrare, quo gaudii nostri, & grati in Deum animi testificationem aliquam Orbi præbeamus observatam paterna benignitate, lateque diffusam hanc manuum suarum molitionem. Quapropter R. V. prævenire volui, atque admonere, ut consideret, consultoque decer-

decernat quid in ista Provincia fieri expediat, atque ut fiat mature disponat. Qua in re illud dumtaxat sed impense commendo, ut ratio habeatur præcipua modestiæ, humilitatis, & decentiæ religiosæ, ubique pompa, quæ nostram conditionem excedit, & affectata rerum nostrarum laude declinata, multoque etiam magis alienarum cum nostris comparatione, ac depressione. Mitto adumbrata quæ nobis in hac Urbe facienda decrevimus, non eò quidem, ut isthic eadem moliantur, sed ut aliquid lucis haurire possit ad capiēdam pro sua deliberatione consilium. Scribam postea quid à nobis fieri privatim per eandem occasionem desiderem, ut ad veram, perfectamque Spiritus renovationem, quam certe opportet fructum principem, ac primo nobis intentum hujus celebritatis,

Præscripta deinde fuerunt ab eodem Vitellesco aliqua, quæ hic Romæ facienda essent, & sicut celebritas anni à confirmata Societate centesimi repetenda erat ludis sęcularibus, centesimo quoque anno apud veteres edi solitis, atque, ut in his inter alia celebrantur sacrificia, supplicationes ad Templa Deorum constituebantur, spectacula in theatris edebantur, certamina Poetarum, & Oratorum committebantur, & missilia spargebantur, ita ad horum similitudinem totidem partibus celebritatem Societatis suæ sanctius complecti moliebatur.

Sed ut tunc ante ludorum solemnia voce pręconis invitabantur omnes ad ea spectanda, quæ neque spectasset quisquam eorum, neque spectaturus esset, ita die Sanctorum Cosmæ, & Damiani ejus anni *1639*. Ecclesiasticus Preco in Templo Domus Professæ post solemne sacrum in concione verba fecit de hac celebritate anni Centesimi à confirmata Societate, & quasi eam Auditoribus indicavit exhibendam, videlicet in Festo Sancti Ignatii anni *1640*. quinque illis, quas dixit partibus comprehensam.

Et primo Sacrificia Mutius præscripsit sic.

Die Sancti Ignatii in Templo Domus Professæ Solemne Sacrum celebrabitur, pręsente (si videatur) Sacro Collegio Cardinalium, & Oratio ab uno ex nostris habebitur, in qua de causa hujus celebritatis differetur, non omittendo, equum videri si annum Lutheranæ Hæresis Centesimum paucis ante annis Hęretici celebraverint, multo sapientius Ignatii, à Deo contra Lutherum dati, recurrentem post annos centum memoriam celebrari.

Secundo Supplicationes.

Altero post Festum Sancti Ignatii die populus Romanus Templum Domus Professæ inviset, & offeret Calicem solitum offerri in Consecratione Templi, & Oratio habebitur à Nobili Romano, in qua gratię Sancto Ignatio agentur ob beneficia, & pia opera ab eo in hanc Urbem collata intra hoc spatium sęcularis anni.

Tertio die idem templum inviset Collegium Germanicum, & in sacro habita Oratione ab uno ejus Collegii Alumno dicentur, quæ Sanctus Ignatius contulit in Germaniam beneficia adversus hæresim, maximè Lutheranam hoc sæculo. Sic alio die Collegium Anglicanum cum Oratione, & commemoratione eorum, qui in Anglia fidem Catholicam strenuò defenderunt. Cætera Collegia possent uno die communi sacro interesse cum communi Oratione. Ultimum diem claudent Scholastici Collegii Romani cum sacro, & oratione de institutione docendæ Juventutis, non sine commemoratione Virorum insignium, qui ex Collegio Romano prodiere. Quod si hæc Collegia ob aliquas causas omittenda viderentur, possent supplicationes contrahi in tres dies, nempè in diem Sancti Ignatii, diem aduentus Populi Romani, & diem Scholasticorum Collegii Romani.

Tertio Spectacula in Theatris.

Atrium Collegii Romani statuis, picturis, & carminibus exornatum refert priscorum spectacula in Theatris. Hæc autem quamprimum componi debebunt, ut edi in lucem possint cum missilibus.

Quarto

Quarto Certamina.

In Aula Collegii Romani Victores in singulis classibus præmia reportabunt, & coronabuntur, decantato, & saltatione exhibito sæculari certamine, quod actionis loco esset.

Quinto Missilia.

Pro Missilibus eruat opera, quæ in Collegio Romano à nostris in lucem emittentur, nempè Decas prima orationum in studiorum instauratione.

Decas prima orationum Gregorianarum.

Centuria prima Epistolarum, quæ Conclusionibus publicè defensis præmissę sunt.

Orationes Pontificiæ in parasceve. Et Atrium Collegii Romani.

Interim vivente Urbano VIII. Pont. Max. quem non Ecclesiæ tantùm tot in a nnis feliciter, sed nostræ privatim Societati credidit eadem in ea tempora divinitùs reservatum, inclyta illius Barberina domus ex arce Romana prima Orbi quasi signum extulit sęcularis nostri Jubilæi. Precones (ita appellari finit incredibilis eorum benignitas) Eminentissimi Urbani nepotes fuere, & illa Regiæ munificentiæ fama in omnem latè Orbem jam pervulgata, ut qui primùm à Paulo III. Farnesio sæculum ducimus, alterum ab Urbano VIII. Barberino, non minùs faustò omine numeremus.

Inter eos præcipuè Cardinalis Antonius Barberinus, Societatis semper amantissimus, suæ magnificentiæ specimen non exiguum præbuit publicas in partes emanare ducens, quidquid privato Societatis honori, ac decori operabatur. Impetrata igitur à Pontifice plenaria peccatorum indulgentia, tum Societati universæ, tum Populo Farnesiorum Templum piè visitanti, pretiosis olosericis pannis, ac peristromatum varietate indui ejus parietes jussit, dispositis supra Templi coronidem ducentis facibus cereis, quas argentea candelabra sustinebant. Et in facie, qua major patet janua, talis inscriptio extabat.

ALEXANDER FARNESIVS
CARD. S.R.E. VICECANCELLARIVS
PAVLI III. PONT. MAX. NEPOS,
CVIVS AVTHORITATE SOCIETAS IESV
RECEPTA PRIMVM FVIT,
ET DECRETIS AMPLISSIMIS ORNATA
TEMPLVM HOC SVÆ MONVMENTVM,
ET RELIGIONIS, ET PERPETVÆ
IN EVM ORDINEM VOLVNTATIS
A FVNDAMENTIS EXTRVXIT
ANNO IVBILÆI MDLXXV.

Imminebat huic inscriptioni Urbani VIII. effigies, addita inscriptione:

Ex relat. impress. Romæ apud Vincen. Blanch. 1639.

TIBI REX SÆCVLORVM MAXIME
MINIMA SOCIETAS IESV
SÆCVLVM SVVM
IN ILLVMINATIONE VVLTVS TVI
GRATA REPONIT, ET RENOVAT.

Prędiviti marmorum ornamento respondebat pretiosa Altarium supellex in pulcherrimum ordinem distributa ab Andræa Sacco Romano Pictore, & Architecto percelebri. Die igitur 27. Septembris anno 1639. in hoc Templo Missam solemnem celebravit Illustrissimus Præsul Joannes Baptista Alterius tum vices Eminentissimi Vicarii gerens coram Eminentissimo Purpuratorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ

Ecclesiæ Collegio, Pontificiæ Cappellæ Cantoribus respondentibus, qui in septem Choros distributi suas voces suavissimè modulabantur, dirigente Stephano Fabri Musicæ Præfecto in Seminario Romano. Concionem inter Missarum solemnia luculentissimam habuit Pater Aloysius Albritius, Rector Collegii Germanici, explicans verba, quæ olim Divo Ignatio Christus protulit. *Ego vobis Romæ propitius ero*. Absolutis sacris Eminentissimi Franciscus, Antonius Barberini, ac Columna, cum Excellentissimo Taddeo itidem Barberino Romæ Præfecto, multisque Prælatis convivio excepti sunt domesticos inter parietes Domus Professorum Societatis, quod ipsemet Antonius Barberinus suis sumptibus instrui mandaverat, explicante interea disertissima concione latina Joanne Rho viro culti ingenii, & rara facundia, celebrandi anni Centesimi ritum. Fuit illa edita Romæ typis Hæredum Francisci Corbelletti anno eodem, & oblata Pontifici Magno Urbano, cujus initium fuit;

Aurea CENTENO consurgunt lumina Phœbo,
Et radiat Cæleste Iubar.

Conclusit verò publica totius veluti Socitatis voce.

D. O. M.
SOCIETAS IESV
SÆCVLVM SVVM PRIMARIVM
A FARNESIANIS PAVLI III. LILIIS
AD BARBERINAS
VRBANI VIII. FAVSTISSIMAS APES
PER INGENTIA DEI,
HOMINVMQVE BENEFICIA FELICITER SE REVOLVENS
GRATIIS ACTIS,
VOTISQVE CONCEPTIS DICAT.

Prandio absoluto Vesperæ musicis vocibus decantatæ fuere in Templo, quod visitarunt Romani Conservatores, Oratores Principum, ac penè dixerim totius Urbis populus implevere. Diurnis plausibus accessere nocturni ignibus festivis accensis, tum in via, tum in fenestris, ac præcipuè supra tholi fornicem eleganti ordine distributis, itaut plurimis in locis Lilia Farnesiana, Apes Barberinæ, ac adorabile nomen Jesu luce ipsa colorum loco exprimerentur. In medio foro fons assurgebat, in cujus vertice simulachrum Virtutis eminebat insidens simulachro, tempus catenis vinctum referenti, quod alia duo comitabantur, quorum altero nox, altero verò dies exprimebantur. Tota hæc machina flammis festivis absumpta est magno cum populi plausu, ingenio Balthassaris Soderini tormentorum æneorum in mole Hadriana Præfecti, & artis pyraulica peritissimi. Diebus insequentibus non solùm è Professorum domo, sed è cæteris, quæ Romæ Societas tenet Collegia eleemosynæ Pauperibus fuerunt distributę, adjuvante præcipue Eminentissimi Cardinalis Antonii Barberini liberalitate. Centum insuper pauperes vestibus induti, debita quamplurima persoluta iis, qui Carcere detinebantur, mensaque lautissima quingentis pauperibus instructa in Collegii Romani atrio, in qua Pręsules quamplurimi, ac Equites Romani cum Societatis filiis cibos, & pocula ministrarunt.

His similia charitatis, & liberalitatis opera exercuere Germanorum, & Gręcorum Collegia, & Probationis domus octo dierum spatio; quos ultimus iteratis lætitiæ signis clausit in Templo, ubi Hymnus *Te Deum* modulantibus organis solemniter dictus est, plaudente interim Populo æneis tormentis, ac tubarum clangoribus.

Nec defuit Urbani VIII. Summi Pontificis pietas, & erga Societatem amor. Illam prius tanquam dilectam filiam complectens amplissima Jubilęi concessione, dona insuper addidit cibaria, ac ipsemet die 2. Octobris nobili, ac frequenti comitatu adesse Templo voluit, ubi pro Societate Deo gratiis persolutis animi sui gaudium

gaudium indicare dignatus fuit, & Societatis acta Pontificia authoritate probare.

Antequam ille Templo discederet, suæ Sanctitati imbutum Ambaro, & Mosco sacculum obtulit Præpositus Generalis, in quo duo numismata latebant alterum argenteum, aureum alterum, quæ cudi curaverat Societas in beneficii memoriam, à Familia Barberina collati. Illa similia erant huic quod expressimus. Triginta alia ejusdem generis aurea, viginti scuta pretio æquantia, multa argentea, quamplurima ænea distributa fuere, quæ apud Magnates, & in virorum eruditorum Cymeliis adhuc asservantur.

Nec à Domo Professorum tantummodo his lætitiæ signis annus sæcularis celebratus fuit, sed Collegium Romanum deinde sumptuoso, ac erudito apparatu in atrio Scholarum suas persolvit grates. Ille brevi epistola descriptus typis editus est Romæ apud Ludovicum Girgnanum anno 1640. & eumdem luculentius anno 1683. integro volumine exposuit Frater Franciscus de Longobardis, Ordins Minimorum, tum in Collegio Romano discipulus, & Patre Carolo de Nojelle Societatis Jesu XII. Generali Præposito dicavit.

Tale theatrum, cui apparando sæculo integro opus fuerat, primi omnium spectatum venere Franciscus, & Antonius Cardinalis Barberini, & Taddeus Barberinus, pars ipsi quoque spectaculi. Patuere deinde valvæ Collegii, & copia omnibus spectandi facta, factumque satis Romæ oculis, quorum, (quod Orator de Atheniensium auribus dixit) semper fuit prudens, sincerumque judicium, ut possit nihil, nisi magnificum videre, & elegans. Eadem die primarius Lector Panegiricum dixit in Aula majori Urbano VIII. Gregorio XIII. & Gregorio XV. habuitque Auditores Principes Barberinos. Coronam fecere eodem in loco varii Scholarum Magistri per dies septem. Primus laudavit Purpuratos Patres. Secundus alios omnes, quorum vultus per deambulationem dispertiti. Tertius Collegia Italiæ, & Siciliæ. Quartus Lusitaniæ, & Indiæ Orientalis. Quintus Hispaniarum, & Indiæ Occidentalis. Sextus Galliarum. Septimus Germaniæ, Poloniæ, & Belgii. Distributa propterea præmia jis Adolescentibus, qui omnium optimè scripserant munificentia Aloysii de Mora, Decani Eboricensis, Catholici Hispaniarum Regis apud Pontificem Oratoris filii.

Per eos dies à Thaddeo Barberino Urbis Præfecto Professorum Domus, & Collegium Romanum ingens, uberrimumque congiarium accepere. Octavo verò ab Festo Sancti Ignatii Urbanus VIII. ut novis, atque insolitis eam benevolentiam significaret, quam erga Societatem uniuersam semper conservavit, Romanum præcipuè Collegium, in cujus Scholis teneros annos ea omni eruditione. atque doctrina excoluit, quæ ei deinde inter Litteratos facile Principatum obtinuere, Purpuratis Patribus, Palatina Nobilitate, & Prætorianis Equitum, peditumque cohortibus septus, novam Sancti Ignatii Basilicam primum adiit, salutavere venientem distributi per varia theatridia Cantores, fidicinesque. Ille adorato Sanctissimo Numine, in Aulam Gymnasio proximam se contulit. Hic è solio jam ante erecto perbrevem orationem, qua pro tanta benevolentia, atque humanitate publicæ grates ab uno è Societate agebantur audivit, nempe Patre Sfortia Pallavicino, quem postea vidimus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem ab Alexandro VII. Purpura insignitum, oblatumque libellum accepit, quo expressa pennicilli acumine ex rerum ab eo gestarum symbolis in atrio depictis apographa continebantur, tum singulas porticus lustravit. Interim dum ille gestatoria sella, quam prima Societatis capita præcingebant, circumferebatur, varii, è Superioribus ambulacris Chori decantabant Paraphrasim in Psalm. 116. poeticis numeris olim à Maphæo Cardinali Barberino sic ligatam.

Laudate Regem Syderum
Gentes per Orbem dissitæ,
Omnes, & Populi canant
Die laudis honores.

At

At juventus interea non temere per ambulationes vagari, sed litterarum ludis inclusa adorare è limine prætereuntem. Accedenti viam fronde, floribusque plenis calathis insternere. Ille ad singularum Scholarum fores interquiescere paululum, paterno vultu, & Pontificio ritu adolescentibus fausta omnia precari. Atque ubi Magistros, & discipulorum quemlibet centenario Indulgentiarum numero divitiores fecit, discessurus in ipso limine Collegio universo Apostolicam dexteræ lustrationem est impertitus, tam plenus lætitia eadem, qua venerat pompa, in Quirinale Palatium se recepit.

Habes lector non inanis pompæ aut frivolæ jactantię adumbrationem, sed apparatus omnium oculis digni delineationem: magnificum quidem, ac gloriosum Romano Collegio fuit dedisse hoc sæculo Orbi Pontifices Gregorium, & Urbanum universis penè Nationibus ornamenta.

Invenies etiam hujus primi sęculi Societatis imaginem à Provincia Flandrobelgica ejusdem Societatis repręsentatam volumine integro, Antuerpię ex officina Plantiniana in lucem edito anno eodem seculari 1649. in quo Societas suorum filiorum sudores, & sanguinem, vitam, & mortem exponit ad Regis gloriam sęculorum immortalis.

Nec omittendus est apparatus funebris, quo eadem Societas in eodem Templo Farnesiano justa persolvit vita functis Benefactoribus, qui integro eodem sęculo in ipsam beneficia diversa contulere. Ejus narratio impressa est Romæ typis Vincentii Blanchi italico sermone, ex qua hæc pauca selegi.

Triduo integro sacra sunt celebrata, quorum singulis solemnils flebili cantu peractis, officium pro defunctis alternatim à Patribus, & magno exterorum cætu devote dictum. Eo absoluto elegantissimas conciones habuere, primam Pater Ludovicus Bomplanus. Secundam Pater Joannes Baptista Adrianus. Tertiam Pater Guilelmus Dondinus, qua omnes piam erga Benefactores grati animi virtutem non solùm deberi fassi sunt, sed beneficentiæ immortalitatem. Castrum doloris, seu tumulum honorarium erexit ingeniosa pietas Andreę Sacchi, Architecti Domus Barberinæ: assurgebat ad palmos fere 50. in varias partes distributum simulacris diversis decoratum, quorum Adamum alterum, alterum vero Evam, tertium Mortem, ultimum Æternitatem exprimebat, singulis adiectis symbolis, quibus facilius omnia agnoscerentur. Alia etiam sunt addita, accensas thædas sustinentia, quæ omnia mortuorum referebant cadavera ex ossibus tantùm compacta.

Multæ insuper aureis caracteribus expressę legebantur inscriptiones è SS. Patribus acceptæ, nec deerant ad pompæ funebris ornatum mortis trophęa, ad quatuor majora Templi stilobata appensa. Primum componebant Ecclesiasticarum dignitatum insignia simul colligata, adiecto Carmine.

De Sacris etiam crescit mea pompa Tiaris.

Secundum Sceptris, & Coronis constabat cum lemmate.

Ut Populus Reges, sic impero Regibus ipsa.

Tertium efformabant Militum Arma, adiectis verbis.

Hæc mea jam sunt devictis victoribus arma.

Quartum denique binis Amaltheæ cornibus effingebatur simul colligatis, è quibus magna monetarum, unionum, gemmarumque copia emanabat cum apposito carmine.


Vita coegit opes morti structura trophæum.

Mentem denique justum debitum defunctis persolventem verba explicabant, quæ magnis caracteribus in ampla tabula è fornice pendente sic legebantur.

MORTVIS,
PER QVOS VIVIMVS
VITAM PRECAMVR
IMMORTALEM

In facie verò Templi externa hæc alia cernebantur.

SOCIETAS IESV
BENE DE SE MERITIS
GRATAE MEMORIAE
PIGNVS
EXIBET.



LIII

VRBANO VIII. PONT. MAX. SEDENTE.

LIV

MONS PIETATIS DE VRBE FVNDAVIT.
ANNO DOMINI MDCXXXIX.

ET si numisma hoc videatur Urbano Pontifici non convenire, ejus effigiem non habens, nihilominus Urbani virtutes declarat, ut ex dicendis probabitur. Hoc ipsum numisma exposuit Pater Molinetus, sed cum lemmate vitiato fortasse ob incisoris incuriam; Scripsit enim *Mons Pietatis de Urbe fundatus*. Explicationem addidit his verbis *Montem Pietatis in Urbe fundavit* (Urbanus) *ubi scilicet pecunias absque ullo fænore usque ad centum librarum summam mutuo accipiunt, modò infra anni terminum sortem banc præcipuam persolvant, ac pignora credita reposcant*. Quam hæc omnia distent à veritate manifeste apparebit ex his, quæ subjician ex certissimis monimentis recepta; sed antequam de Monte Pietatis Romæ erecto pertractemus, altiùs exordiri necessarium puto. Pag. 167.

Ex his igitur, quæ in amoris, charitatisque cultum suasit Christus Dominus pluris crediderim esse quod Luc. 6. *Mutuum date*. Consuluit enim indigentium consuetudini, ut autem id pie, ac sancte fiat, illud addidit, quod jure divino præcipitur. *Nihil inde sperantes*, docens ex mutuo nihil plane sumendum. Cum autem persæpe fiat, ut mutuò data vel tardius reddantur, vel nunquam; mos invalvit, ut nihil mutuò detur nullo non dato vel pignore, vel sponsore; accidit quoque non raró, ut premente ærumna ærumnosum pudeat suum etiam amicis aperire infortunium, cum tritum illud omnium menti inhęreat *turpis egestas*. Necesse itaque est, ut sint qui gratuitò civium necessitati prospiciant, egentiumque sublevent inopiam. Quapropter divino quidem consilio apud multas Italiæ, & Europæ Urbes inductus est mos, ut sacer Mons à Pietate instituatur, unde & Pauperum necessitatibus consulatur, eorumque dispendio ocurratur, cui ob pignora Hebræis data pauperes subjacebant. In eo vel ex eleemosinis, vel ex donis piorum pecunię mutuò dantur Pauperibus, relicto quidem Monti ipsi pignore tempore aliquo circumscripto, quo quidem elapso, nisi eadem pecunię summa exigatur, per auctionem licitantibus veneat; ita tamen, ut si quid supersit Domino reddendum reponatur. His positis Pietatis Montem probarunt suis litte-

ris

ris Summi Pontifices, & secunda Synodus Lateranensis sub Leone X. Sessione Decima.

Romæ igitur Romani quidam Optimates Sodalitatem instituerunt, ab anno Domini 1539. (non verò Urbanus VIII. ut affirmat supracitatus Pater Molinetus) cujus confirmationem à Paulo III. obtinuit Pater Joannes Calvus, Minorum Observantium Sancti Francisci Generalis Commissarius, deinde Clemens VIII. Julius III. Pius IV. Gregorius XIII. Pius V. Paulus IV. Gregorius XV. & Paulus V. vel firmaverunt privilegiis, vel eadem auxerunt. Sixtus præcipue V. suo sumptu ædes emit pretio septies mille scutorum, quas Clemens Buccellarius in Regione Pontis, ac via, cui nomen à Sancto Salvatore de Lauro, possidebat, ut pia Sacra Montis Societas certam sedem haberet, in qua pauperibus pecuniam erogaret. Cum autem Palatium à Sixto V. datum pignora ab egenis relicta non caperet, in aliud commodius Clemens VIII. transtulit, quod à Marchionibus Sanctæ Crucis coemit in regione *Regulæ* dicta, ubi primum expensa fuere viginti tria millia scutorum, insuper sexcenta quadraginta octo, & assef. 55. ab anno postea 1605. usque ad annum 1618. aucta est fabrica, quæ absumpsit scuta 7833. Anno etiam 1624. alia 9758. Ædeficium tamen minus perfectum, minusque capax Urbano VIII. visum in insulam redigendum fore, ne è proximarum ædium tectis aditus pateret furibus, ideo anno 1638. everti jussit Parochiale Templum Sancti Salvatoris in Campo, atque etiam partem ædium, quæ ad Filonardos spectabant, quas cum conjunctis domibus octo, ac decem mille nummis coemit. Vicum inde exoriente sole aperuit; Triadis Sanctissimæ Aras laxavit, ædificiumque amplificavit, sacrisque Montis ministris, & officinis consulvit, ut illic habitarent, ac pignora diligentius asservarent. A fundamentis inde à Monte ipso restitui ędem Sancti Salvatoris curavit ad austrum, in cujus constructione quinque millia nummorum erogata fuerunt, quæ omnia gesta sunt sub cura Francisci Cardinalis Nepotis Urbani, Sacri Montis Benignissimi Protectoris.

Ejus Templi Architectum fuisse Paparellum quemdam refert Philippus Titi pag. 99. & Balleonus pag. 180.

Extat in illo sequens inscriptio parieti inscripta.

AD MONTEM PIETATIS
ÆDES AMPLIFICANDAS,
ET INSVLÆ FORMAM REDIGENDAS
PRÆSIDES LOCI VETVS PAROCHIALE
SANCTI SALVATORIS TEMPLVM,
QVOD IISDEM ÆDIBVS INHÆREBAT,
ATQVE AD DIACONIAM
SANCTI LAVRENTII IN DAMASO,
SIMVLQVE AD FARFENSIS COMM.
IVRA SPECTABAT
VRBANI VIII. PONT. MAX.
CONCESSV ET FARFENSIS COMMEND.
FRANCISCI BARBERINI
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ
DIACONI CARDINALIS
TITVLI SANCTI LAVRENTII IN DAMASO VICECANCELLARII
ASSENSV SOLO ÆQVARVNT,
EIVSQVE VICE ECCLESIAM
HANC A FVNDAMENTIS EREXERVNT.
HOC RELICTO GRATÆ
IN VRBANVM VIII.
FRANCISCVM CARDINALEM BARBERINVM
EIVSDEM MONTIS PROTECTOREM
VOLVNTATIS SVÆ MONVMENTO
ANNO DOMINI MDCXXXIX.

Igitur ſedente Urbano Mons Pietatis de Urbe fundavit, ut in numiſmate legendum eſt, Templum Sancti Salvatoris loco illius, quod Urbani juſſu deſtructum fuerat ad ampliandas ipſius Montis Ædes, ut diximus.

Falſum deinde eſt, quòd pauperes abſque ullo fęnore uſque ad centum librarum ſummam mutuò accipiant (ut narrat ſupracitatus Pater Molinettus) *Modò infra anni terminum ſortem hanc præcipuam perſolvant, & pignora credita repoſcant*. Diverſas enim leges ibi ſervatas ſcimus. In eo ſummam triginta ſcutorum ſingulis vicibus poſſunt accipere, & quidē ſine ullo fęnore, quod ſi peculiari Pręſidentium conceſſione hæc ſumma augeatur oppignorantes tenentur ſolvere duo ſcuta pro ſingulis ſcutorum centenariis acceptis, & quamvis inter nonnullos olim controverſia exorta fuerit, dicentes, talem Montem non eſſe licitum, in quo aliquid ultrà ſortem ab ipſis pauperibus exigitur. Leo Pontifex Decimus in Concilio Lateranenſi ſeſs. 10. declaravit, nullo pacto improbari poſſe, quando non ad lucrum ejuſdem Montis recipitur. Verba ſunt Leonis X. *Sed aliquid moderatum ad ſolam Miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illarum conſervationem pertinentium*.

Quàm autem moderatum ſit tale lucrum à Monte perceptum abundè demonſtrant expenſæ decem millium, & quingentorum ſcutorum, quibus Mons ipſe octoginta Miniſtros alit: his adde alias neceſſarias, quæ fiunt pro libris comparandis, pro atramento, luminibus alendis, & ejuſmodi aliis pluribus, explentes ſummam fere millium, ac ſexcentorum nummorum. Lucrum autem à mutuo perceptum ſingulis annis non ſolet excedere numerum quinque millium ſcutorum, quamvis ſingulis annis Mons ipſe decies centena millia, ultra ducenta millia ſcuta in mutuum diſtribuat.

Hæc omnia in libris rationum recognovi, qui in Archivo ejuſdem Montis ſervantur, favente mihi Illuſtriſſimo Juliano Capranica, Nobili Romano, qui cum tringinta novem aliis præcipuæ Nobilitatis, & probitatis Viris eidem Monti præeſt, ac leges ſtatutas ſervari ſtudet; ſunt enim quadraginta ejuſmodi viri cum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Theſaurario ad hoc munus electi, qui die lunæ ad optimam Montis conſervationem ſingulis hebdomadis congregantur.

LV

SANCTVS BASILIVS MAGNVS, SANCTVS NILVS, SANCTVS BARTHOLOMAEVS.

TRes Divos ex illuſtri, & perantiquo Ordine Baſiliano refert numiſma cum imagine Urbani VIII. in averſa parte expreſſa. A quo nam, & ad quem finem fuerit vulgatum reperire non potui, conjectura tamen mihi ſuadeo monumentum illud eſſe grati animi ob beneficia ab Urbano, & Cardinali Franciſco Barberino collata Religioſis Familiæ Baſilianæ, qui in agro Romano propè Tuſculum Monaſterium antiquiſſimum incolunt, quod communiter dicitur *Cripta Ferrata*.

Ejus hiſtoriam enarrat Pater Athanaſius Kircherius in ſuo Latio, quam dicit ſibi communicatam à Reverendiſſimo Patre Abbate Jacobo Garbio his verbis. *Cap. 11.*

[Anno 100. ſalutis noſtræ cum Arabes Calabria in ſuam poteſtatem redacta in Monaſtici Ordinis Religioſos ſævirent, Bartholomæus Nileus, Sancti Nili diſcipulus, poſtea in Sanctorum numerum adſcriptus, Ordinis Sancti Baſilii Monachus, ſexaginta ſelectis ſociis Ritus Græci, fuga arrepta in Latium ſe contulit, & ad Tuſculani Oppidi radicem pervenit, ubi in Criptam inventam ſeſe recepit cum ſociis. In hac, cæteris dormientibus, Beata Virgo illi apparuit, ſuaſitque, ut ibi remanerent, & ſibi Templum extruerent, ac in ſignum veritatis dictorum aureum illi pomum præbuit, quod pro petra fundamentali Eccleſiæ poneretur. Apparuit etiam Beata Virgo in ſomnis vndecim Comitibus Tuſculanis, qui Principatui Tuſculano dominabantur, illiſque impoſuit, ut Criptam memoratam inviſe-

viſerent. Velle enim ſe (ait) ut Sacerdotibus, quos reperturi ibi erant ſumptus ſubminiſtrarent ad fundandum Templum neceſſarios. Quo imperio Principes non tantùm fabricam Ordini fecerunt, ſed copioſis redditibus ditarunt, ut ad centenos Monachos ibidem ali facilè poſſent. Sub Sancto Bartholomæo primo hujus Abbatiæ ſub nomine Cryptæ Ferratæ Fundatore redditus annui, uti acta teſtantur Archiui, ad 60. millia ſcutorum perveniſſe feruntur, unà cum 21. Eccleſiis ipſi ſubiectis. Tenebant tunc temporis in Oppido Tuſculano Comites ſub magna veneratione Imaginem à Sancto Luca depictam, uti Majorum traditione conſtabat, quam Gregorius VIII. Pontifex ex Comitum Familia, deſtructa Civitate Tuſculana anno 1110. à Romanis ereptam, Eccleſiæ huic à Majoribus ſuis fundatæ inferri juſſit. Inſæviente deinde Græciæ Eccleſiç cum Romana Schiſmate, numerus Monachorum paulatim diminutus tantos redditus occupandi occaſionem præbuit Principibus, demùm Pius II. anno 1462. 28. Auguſti in formam Commendæ reduxit bonorum ſtatvm, & Monachis iniuſtè ablata reſtituit.] Hodie ſubſtat Eminentiſſimo Carolo Cardinali Barberino uſufructuario ſub forma Commendæ, & dum vivebat ſuberat Franciſco Cardinali itidem Barberino. Hic antequam è vivis obiret anno 1665. Altare magnificum in honorem Dei Matris extruxit, in cujus fabrica decem millia ſcutorum inſumpſit.



INNO-


I
INNOCENTIVS X PONT·MAX·
AN II
II
IN TEMPORE FRVCTVM SVVM DEDIT
III
FRVCTVM·SVVM·DEDIT·IN·TEMPORE·
IIII
VNDE·VENIT·AVXILIVM·MIHI·
V
TV·DOMINVS·ET·MAGISTER·
EXEMPL·DEDI·VOBIS
VI
TV·DOMINVS·ET·MAGISTER·
EXEMPL·DEDI VOBIS
VII
SANCTVS PETRVS·APOST
VIII
FIAT·PAX·IN·VIRTVTE·TVA·
IX
IVSTITIA·ET·CLEMENTIA·COMPLEXAE·SVNT·SE·
X
VT·THESAVROS·ANNI·SANCTIORIS·TECVM·APERIAM·
XI
OSTIVM·COELI·APERTVM·IN·TERRIS
XII
XIII
ET·PORTAE·CAELI·APERTAE·SVNT·
MD· CL·
ROMA
XIV
XV
LAVDENT IN PORTIS·OPERA·EIVS·
XVI
INNOCENTIVS·X·PONT·MAX·A·VII·
AN 16
IVB· 50
ROMAE
XVII
APERVIT ET CLAVSIT
ANN IVB
MDCL·
XVIII
S·PAVLVS·APOSTOLVS
XIX
REPLEVIT ORBEM TERRARVM
XX
DECOR·DOMVS·DOMINI·
MDCXLVI

INNOCENTII X. NUMISMATA.

I

INNOCENTIVS X. PONTIFEX MAXIMVS.



ANNO 1644. die quarta decima Septembris electus fuit Cardinalium suffragiis in futurum Pontificem Joannes Baptista Pamphilius, qui Innocentii assumpto nomine, die quarta Octobris, Sancto Francisco Assisiati sacra; Tiara de more ornatus fuit à Carolo Cardinali Mediceo. Ejus imaginem cernis exculptam. Frontem ille habuit rugosam, amplam, oculos subalbos, barbam raram, ex colore sanguineo subrubentes genas; fuit proceræ staturæ, necnon validis viribus ornatus, ignea natura, & ardenti, virili, & magnanimo pectore, vultuque ad majestatem, & ferè severitatem composito, ità Oldoinus colum. 661. Illustres in eo fuere virtutes, Justitia, Constantia, Prudentia, & nominis Ecclesiastici Zelus. Jurisprudentię peritissimus, capacissimam mentem ad maxima quęcumque negotia habebat, recti tenor, litteratorum amans, Veritatis solertissimus indagator, & in rerum agendarum difficultatibus superandis magnanimus simul, & constantissimus; Quamobrem optimè illi conveniunt elogia, quæ, cum solemni pompa, & magnifico Comitatu Lateranum adiit, legebantur in duobus magnificæ Architecturæ arcubus, altero à Senatu, Populoque Romano erecto in Area Capitolii, altero à Duce Parmensi ad hortos Farnesianos. Placet illa hic apponere.

In facie Arcus Capitolii, quæ Romam respiciebat.

INNOCENTIO X. ROMANO
PONT. OPTIMO MAXIMO
ADSPIRATIONE CAELITVM
CONSPIRATIONE VIRTVTVM
AD SVMMVM ECCLESIÆ CVLMEN
EVECTO
RELIGIONI FORTITVDINI
ORBIS TRANQVILLITATI
S. P. Q. R.

In altera ejusdem Arcus facie è regione Capitolii.

INNOCENTII DECIMI
ROMANI
PONTIF. OPTIMI MAXIMI
INNOCVO TRIVMPHO
PRISCIS QVIRITVM MELIORI
PIETATE, NON ARMIS PARTO
PANDVNT SE CAPITOLIA
PLAVSVMQVE PARANT LAVDIS
PERENNEM
S. P. Q. R.

In Septimii verò Arcus facie, quæ Capitolium respicit.


OPTIMO PRINCIPI.
INNOCENTIO DECIMO PONT. MAX.
QVI ROMANI SANGVINIS, ROMANI CONSILII
SVI NIHIL INCREMENTI ALIENÆ VIRTVTI DEBET,
NIHILQVE FORTVNÆ,
ITAQVE OMNE ILLVD ASPERNATVS,
QVOD LABORE, ATQVE INGENIO QVÆSITVM NON FVISSET,
PLVRA SEMPER MERVIT, QVAM SPERAVIT,
INGENTIA REIPVBLICÆ MVNIA FOELICITER GESSIT,
MAGNAM CHRISTIANIS ORBIS PARTEM
PRO CONCORDIA PRINCIPVM PERAGRAVIT,
SACRAM DONEC EVECTVS AD PVRPVRAM,
INDE CALCVLVM VNANIMEM CAELO,
TELLVREQVE FERENTIBVS RERVM POTITVS,
QVIA OPTIME PARVIT, OPTIME IMPERAT,
HOC OBSEQVENTISSIMI ANIMI TESTIMONIVM
S.P.Q.R. PRONVS DEVOVIT.

In altera, quæ Amphiteatrum Colosseum spectat.

RESPICE TVIS E RVDERIBVS
ROMA VETVS SOLIVM PRINCEPS MVNDI DOMINA
QVAM MVTATIS SÆCVLIS
TVÆ IN MELIVS FORTVNÆ DECORA
TVÆ MAIESTATIS MVTENTVR INSIGNIA,
CAPITOLINIS OLIM ARCIBVS PVGNACES AQVILÆ PRÆSIDERANT
NVNC VATICANIS MOLIBVS PRÆEST
NOEMI OLIVIFERA PACIS AVIS;
ILLÆ TERRARVM SPATIIS IMPERABANT,
HÆC ADMIRABILI CLAVIVM SCEPTRO PERTINGIT AD CAELVM
FELICIVS OPPIDO CAPITOLIVM CVM VATICANO
SVBMITTIT FASCES,
PROPTEREA INNOCENTIVM DECIMVM PONTIFICATVS MAXIMI
CLAVVM TENENTEM,
CVI NIHIL DEEST AD SVMMAM VIRTVTEM,
AD SVMMAM GLORIAM
S.P.Q. ROMANVS ADORAT EXVLTABVNDVS.

In Laterano hæc fuit.

INNOCENTIO DECIMO PONTIF. MAXIMO.
SPONSO AMATISSIMO HÆC SVA
SACROSANCTA LATERANENSIS ECCLESIA
EX HIS PENE SOLVTIS MEMBRIS COR EXHIBET
RESTITVTOREM SVVM ACCEPTO
NOMINE A PATRIA AB INSIGNIBVS
OMINE GRATVLATVR.



✠ II. III ✠

ERVCTVM SVVM DEDIT IN TEMPORE.

Lignum, seu Arborem, quę plantata est secus decursus aquarum fructum suum daturam in tempore suo affirmavit Regius Vates in primo Psalmorum. Tale lignum Sanctissimam Crucem fuisse Innocentius Decimus affirmat in præsenti numismate, Crucis signo insignito, quam bini Cælestes Aligeri venerantur. Fructum enim dedit uberrimum Christi Sanguine irrigata, fructum inquam Vitæ, quam immortalem Orbis Christianus consequitur. Illud piissimus Pontifex cudit, ut honoris à se Cruci delati luculentum testimonium existeret. In mentem revocans Pontificiam dignitatem virtute Crucis Divinæ stabilitam: sibi collatam fuisse ipsa die, qua Crucis exaltationis festum celebratur ab Ecclesia, ejus Venerationem augere percusso numismate studuit antiquorum morem imitatus.

Quid enim hac in re magis obvium vel in usu quotidiano, & foro, vel in eorum libris, qui Veterum numismata nobis descripserunt, & depinxerunt? Adeat Curiosus librum 2. P. Gretseri de Cruce cap.56. & lib. 1. tom. 3. cap. 3. Nos ex eo testimonium Anastasii Abbatis, Scriptoris antiqui, & græci à Turriano nostro latinitate donati asserimus, qui in libro suo adversùs Judęos inter argumenta, quibus veritatem Fidei nostræ confirmare licet, hoc etiam numerat, quòd tot hostes, & oppugnatores Religionis Christianę *Imaginem, ac Signum Crucis tollere non potuerint ex numismate Christianorum, quamquam id non pauci conati fuerint*, inquit Anastasius, qui addit, *fidem nostram æternam, & invictam esse, designari per Signum Christi*, quod ex nummo deleri nunquam potuit.

Inter Tyrannos, qui conati sunt Crucem ex nummis expungere fuit Julianus Apostata, qui id vano nisu tentavit, sublato Labaro, quem postea imitatus est Attalus tyrannus ab Honorio Imperatore domitus. Addita igitur est Crux nummis, tam usualibus, iis nimirùm, qui in contractibus usurpati, quàm iis, qui ad id dumtaxat cusi, ut dono darentur illis, quos Princeps eximiè cohonestatos vellet. Tales nummos dicunt Germani *Gratiæ, & benevolentiæ*. Et addita est non uno modo. Interdùm enim apparet in Regum, & Pontificum imaginibus, ut in corona, diademate &c. Sæpè in manu, aliquando in globo, item in clypeo, sæpè in Vexillis, seu Signis, non raró supra signa in hastis: Aliquando pura Crux absque alicujus alterius adjectione, ut in præsenti illam intuemur. *Gretf. ibid.*

Notat Victorellus in addit. ad Ciacconium, explicans numisma æneum, in quo videntur imagines Divorum Petri, & Pauli nudam Crucem tenentium, se nunquam vidisse in antiquis Signis, vel marmore, vel metallo expressis pendentem è Cruce Christum Dominum, quomodo nunc plerumq; figuramus, sed nudam semper Crucem. Quod factum ille Auctor interpetratur, vel ut explicaretur peculiaris ille religiosus cultus, quem ipsi Sancto Crucis Signo debemus, vel quia initiis illis, sunt verba Victorelli. „ Assuetis oculis videre quotidie nefarios insignes è Cruce „ pendentes, periculum aliquod erat, ne similis Christi Domini Species rudioribus plus ingereret horroris, quàm venerationis; quare cessandum tantisper à „ Christo, ità proponendo judicatum fuit, donec Constantinus Divino planè „ consilio interdixit ubique terrarum illud Supplicii genus, quo factum est, ut „ ea hominis de Cruce pendentis Species minùs fuerit horrida, undè paulatim „ usu recepta pietatem fovere potuit sine ejus detrimento opinionis, quàm de „ Divina Christi Domini Majestate animo retinere debemus. *Tom. 1. col. 44.*

Igitur à variorum numismatum Cruce nitescentium repræsentatione honor Crucis promulgatus est. Neque enim aliud sunt crucigera numismata, quàm honoris Cruci delati luculenta testimonia. Moneta, à monendo dicta, quando Crucis Signum gerit, monet quis nos emerit, ac redemerit, & quo pretio; nimirum non corruptibili auro, & argento, sed pretioso sanguine Agni. Monet insuper quàm longè recedant à Veterum pietate, qui Crucis signa demoliuntur, & exterminant.

IV

VNDE VENIT AVXILIVM MIHI.

Creatus Pontifex Innocentius ad Beatam Virginem, quam à teneris annis coluerat, confugiens, tertium percussit nummum cum epigraphe VNDE VENIT AVXILIVM MIHI. Cultum hunc servasse usque ad ultimum vitæ terminum, preces solvendo quotidiano tributo, refert Joannes Baptista Palatius, imò cum ad mortem ęgrotaret in sua ultima vitæ periodo, in suo Cubiculo Altare jussit erigi, ubi Sacrum quotidie perageretur, & Beatę Virginis Lytanias simul cum aliis precibus quotidie recitabat. Hoc refert P. Oldoinus. *Pag. 575.*

Duo hujusmodi numismata in porticu Sancti Joannis Lateranensis inter faustas Romanorum acclamationes singulis Cardinalibus ad ipsum in Solio accedentibus dedisse alterum aureum, argenteum alteram notavit in suis Diariis Illustrissimus Cartarus, Advocatorum Consistorialium Decanus. Beatissimæ Virgini suam referebat electionem, olim etiam sibi prædictam à Beato Fœlice Cantalicio Cappuccino raræ Sanctitatis Viro, & præcipuè immaculatam ejus Conceptionem eximio cultu prosequebatur. Quamobrem Sodalitium nobile viduarum Dolæ in Burgundia sub titulo Immaculatæ Conceptionis erectum diplomate suo confirmavit, & plurimis favoribus auxit, cujus institutum est Deiparæ sine labe conceptæ cultum, ac venerationem augere: orante etiam Ferdinando III. Romanorum Imperatore indixit Jejunium pervigilii Conceptionis in Austria sub præcepto servandum. *Oldoi. col. 660.*

V. VI

TV DOMINVS, ET MAGISTER.

Recurrit numisma, in quo lotionem pedum Divo Petro à Redemptore factam cernimus, ut in plerisque aliis à nobis explicatis. Duplex illud est, & diversimodè exculptum. Singulis annis ejusmodi numisma Pontifex dispensat Pauperibus post pedum ablutionem, non tamen singulis annis variatur; ad libitum enim Pontificum ejus pondus vel augetur, vel minuitur.

VII

SANCTVS PETRVS APOSTOLVS.

A Pluribus Pontificibus Divi Petri imagine fuisse insignita numismata observatum abundè est, non nisi pietate ductis erga Apostolorum Principem, cujus vices Romani Pontifices gerunt. Innocentius tamen Decimus aliquod peculiare obsequium erga eumdem Sanctum Apostolum in percusso numismate declarat. Narrat Pater Oldoinus Innocentium à primis usque sui Principatus annis, cum è Gallia liber quidem Anonimus prodiisset, qui Ecclesiastici nominis Monarchiam, à Christo Jesu in suo Pontifice Vicario institutam, tentabat evertere, sedulò primùm exquiri, diligenter examinari à probatissimo Cardinalium, Prælatorum, & Theologorum cœtu mandasse, ubi autem conformi omnium Suffragio doctrina illa, quæ asserebat omnimodam fuisse æqualitatem Sanctorum Petri, & Pauli, sine Sancti Pauli ad Sanctum Petrum subordinatione, & subjectione in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ, fuit reprobata, tanquàm falsa, & evidentèr erronea; Pontificiæ Potestatis calculo eam damnasse, & declarasse ut hæreticam, quam declarationem hac verborum formula expressam per Urbis fora publicè affigi mandavit. *Col 654.*

San-

Sanctissimus Dominus noster Innocentius Decimus.

„ Relato unanimi ad hoc specialitèr deputatorum sensu, & auditis votis
„ Eminentissimorum, & Reverendissimorum Cardinalium Generalium Inquisito-
„ rum, Propositionem hanc Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus sunt duo Ecclesiæ
„ Principes, qui unum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, &
„ Supremi Duces, summa inter se Charitate conjuncti, vel sunt Geminus uni-
„ versalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt, vel sunt duo Ec-
„ clesię summi Pastores, ac Præsides, qui unum Caput constituunt, ità explica-
„ tam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter Sanctum Petrum, & Sanctum
„ Paulum sine subordinatione, & subjectione Sancti Pauli ad Sanctum Petrum in
„ potestate suprema, & in regimine Universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit, &
„ & declaravit.

Die vigesima quinta mensis Januarii publicatum fuit decretum, & universali, cum totius Ecclesiæ Catholicæ plausu exceptum fuit, adeò ut æterno silentio obvoluta fuerit, tàm pestilens, & audax sententia, contra quam suas elucubrationes Idoctissimi etiam Viri, hortante Pontifice evulgarunt Joannes Augustinus de Belis, Clericus Regularis, Theophilus Raynaudus è Societate Jesu; Jsaacus Hubertus Episcopus Vabrensis, Petrus de Marca Archiepiscopus Tolosanus, aliique permulti.

Igitur Sancti Petri effigiem in numismatibus exculptam proposuit Innocentius sine Sancti Pauli imagine, ac si diceret, Sanctum Petrum Ecclesię Principem esse Supremum, cui sine alterius æquali consortio moderatur.

VIII

FIAT PAX IN VIRTVTÉ TVA.

VUlgatum fuisse hoc numisma eo tempore, quo de pace concilianda inter Imperatorem, & Regem Suecorum, Osnaburgi, & Monasterii Urbium Vestphalię agitabatur, referunt aliqui, scilicèt anno 1648., sed cum certum sit, illud anno Septimo ejus Pontificatus percussum esse scilicet anno 1651. & compertum satis sit eam Pacem, quæ Monasteriensis dicta fuit, fuisse à Pontifice reprobatam, emanato diplomate, quòd extat in tomo quinto Bullarum ad pag. 507. sub num.38. habetque initium *Zelus Domus Dei*. Aliam Pacem in votis habuisse dicendum est, putà dum ob Neapolitanos tumultus, vel cum ob classem Anglicam Duce Blachio, & Gallicam à Guisio Principe ductam, vel cum ob bellum, quod Mutinę Dux Franciscus Estensis ad Bononiensis Agri terminos cum Gallis fœderatus in Hispanos in Insubria meditabatur, graves ditioni Ecclesiasticæ agitationes, & damna pertimescebat. Quamobrem serpentem magis in dies flammam extinguere conatus est in Regno Neapolitano per suum Legatum Æmilium Alterium, postea Summum Pontificem, atque Deo preces effundere, ut Italiæ tranquillitatem Pace composita servaret, repetitis verbis Psalmi 121. in lemmate expressis. FIAT PAX IN VIRTVTE TVA.

Deum Patrem bonorum omnium authorem exculpsit, cujus manu universus regitur Orbis, circà quam imaginem aliqua se offerunt notatu digna, & primò circà Senem, quo Deus Pater exprimitur. Disputatur inter Catholicos Doctores, an rudi populo expediat Dei Patris imaginem eo modo figurare, quo aliquando apparuit. Joanni enim Apoc.4. apparuit in specie humana *antiquus dierum*. Affirmativam partem tuetur Thomas Valdensis cap.555. in vol.3. quod est de Sacramentalibus tit.19. Alii verò, quorum quidam ab eo recensentur, probabilior visa est Sententia diversa; Synodus autem Tridentina sess.25. ait; Quod si
„ aliquando historias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebis ex-
„ pediat exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Divi-

„ nitatem figurari, quasi corporeis oculis concipi, vel coloribus, aut figuris ex-
Lib. 2. c. 4. „ primi possit &c. Ex quibus colligit Molanus, *Diuinitatem non posse figura aliqua, aut imagine exprimi*, juxtà illud Pauli apud Divum Lucam Act. 17. *Non debemus existimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis Divinum esse simile*. Attamen usus pius invaluit ad æternitatem Dei Patris significandam Virum senem repræsentare, nam hæresis fuit Jacobitarum, qui noluerunt posse Sanctissimæ Trinitatis personas aliquibus signis exprimi. Contrarium docuit S. Augustinus libr. 2. de Trinit. cap. 14. Scripsit eruditè de imagine Sanctissimę Trinitatis Nicolaus Sanderus lib. 1. de Imaginum adoratione c. 4., & Cajetanus scribens in 3. part. quęst. 25. Divi Thomę. Videatur Molanus, qui cap. 4. lib. 2. rejicit multas imagines Sacrosanctę Trinitatis ab Imperitis excogitatas, & lib. 4. cap. 16.

Orbem manu sustinet, in quo Divinum Imperium supra omnia significatur. Equidem Ægyptii, & deinde Romani consentientes, in Circulo imperium demonstrarunt. Illi in Apis capite, Isti in manu simulachrorum, quæ principibus erigebant, sic Constantinum Magnum in Columna erexerunt, Orbem in Vola ostentantem, ut asserit Nicephorus. *Dextera manu ingentem aureum Orbem continebat.* De Justiniani statua scribit Glycas, *Gerit sinistra manu Orbem, quo nimirum Cælator innuit terram, & Universa manui illius servitio subdita esse*. De eodem Svida, *Imaginem suam posuit super Columnam, in equo sinistra manu fert globum, significans, quod Terræ Dominus sit factus*. In veteri nummo Nervæ Imperatoris; Tres pilæ, tres mundi partes, Africam, Asiam, & Europam significabant; Et in altero Antonini Imperatoris Orbis erat insculptus cum lemmate RECTOR ORBIS. De Augusto D. Isidorus lib. 17. origin. *Pilam in signum constituisse fertur Augustus propter nationes sibi in cuncto Orbe subiectas*. Saniùs quidem Deo imperium Orbis tribuitur, utpotè illius Conditori, & Conservatori, quodsi in Orbe circulus inest Principio, & Fine carens, æternus Dei principatus exprimitur, non autem Cæsarum, quorum angusta Dominii spatia fuerunt, eorumque gloria, tanquàm fulgur evanuit.

Triangulum, quod ejus figurę Caput condecorat non nisi quàm Triadem denotat, cujus tres Personæ ęquales omninò sunt, sicut Triangulum ęquilaterum tribus lateribus, tribusque angulis ęqualibus efformatur.

⚜ IX ⚜

IVSTITIA, ET CLEMENTIA COMPLEXAE SVNT SE.

Simile numisma sub aliis Pontificibus cusum adduxi, nihilque variatum inveni cum effigie Innocentii X. & si pro libito eam privatus Artifex conjunxerit cum parte aversa, quæ Justitiam, & Pacem in mulieribus sese amplexantibus repræsentant, Innocentio tamen Pontifici meritò congruit. Satis hoc
Col. 646. probat quod P. Oldoinus refert his verbis.

„ In causis habendis, ferendis sententiis, dirimendis controversiis, nulla habita, vel Divitum, vel Principum Virorum ratione integerrimo cursu, voluit, ut justitia procederet, & suum cuique daretur, & si quando hac in re Legatos, & Administros suos, vel levitèr deliquisse compererat, severè arguebat, & si fuerat opus ab imposito munere repellebat; indignum quippè ducebat, ut populis pręesset, qui justitiam servarę nesciebat populis suis. Quia etiam ad majora inferenda supplicia accedebat, si crimina graviora fuissent contra justitiam, & debitam Justitiæ fidem. Sic accidit cuidam, qui nobilis cęteroqui Vir, sed cruentis aliis flagitiis in Justitię contemptum, & in eos qui ad eam contra ipsum confugerant patratis implicatus, cum in Pręsulem publica officia administrantem comminatoria necis verba temerè, & audacissimè pronunciasset, quibus significabat, se ad tempus futuræ Sedis Vacantis ultionem de iis accepturum, publica in platea Capite plexus est; alia hujus rectissimæ justitiæ exempla apud Oldoinum percurre.

Hæc

Hæc autem tàm recta, integraque Justitia non officiebat, quin & in absolvendo innocentes eandem ostenderet, imò & pietatem, ac Clementiam cum eosdem, quos aliquando Judices non integri damnaverant, uti benignissimus parens amplectebatur. Quam etiam beneficentiam latè ostendit non modò cum iis omnibus, cum quibus ipse agebat, & quas Sedis Apostolicæ obsequio addictos noverat, sed etiam cum Principibus, quorum amorem erga eandem Sanctam Sedem studiosè conciliare, vel conservare curabat. Hactenus Oldoinus, qui pluribus idem confirmat.



X

VT THESAVROS ANNI SANCTIORIS TECVM APERIAM.

ANno 1649. ideſt Pontificatus anno quinto, tale numiſma publicavit Innocentius, in quo Divum Petrum alloquitur, Claves manu tenentem, ejuſopem implorat, VT THESAVROS ANNI SANCTIORIS, ſcilicèt quinquageſimi cum illo aperiat, Jubilæum impertiendo.

Igitur, ut ritè omnia ad eum annum celebrandum diſponeret Innocentius hoc anno 1649. in Conſiſtorio Secreto Cardinalibus patefecit ejuſdem Jubilæi indictionem de more peragi ſtatuiſſe Feria quinta Dominicæ Aſcenſionis, quare Petrus Joannellus Curiæ Abbreviator diploma à Marco Aurelio Maraldo Brevium à Secretis in atrio Baſilicæ Vaticanę accepit, & evulgavit. Eadem publicatio Dominica quarta Adventus iterata eſt, ritu tamen non ut aliàs ſervato; Pontifex enim ſtans apud Lectum paramentorum, Sacris Veſtibus nondum indutus duobus Subdiaconis Apoſtolicis Cappa amictis ante Sanctitatem Suam genuflexis indictionis diploma tradidit. Tum ambo ad Portam Palatii Quirinalis deſcenderunt, ac ex Suggeſtibus, propè eam ad id paratis, conſidentibus paritèr Clericis, & Officialibus Cameræ, diploma Latino, & Italo idiomate per periodos diſtinctum publicarunt. Ante lectionis initium, & ea finita cecinerunt Tubę, ſonuerunt tympana, ænea tormenta ſtrepitu reboarunt.

Et quia innumeri ſolent eſſe exteri, qui Cæleſtibus theſauris ditandi confluunt, providit Innocentius, ut ingens frumenti, & vini copia Romam adveheretur, & ne Mercatorum, Cauponum, aliorumque, pacta mercede, advenas, & peregrinos hoſpitantium, avaritia famam Pontificiæ charitatis obſcuraret, integros, & ſolertes viros addixit, qui juſta rebus omnibus prætia imponerent, & eorum avaritiam ſeveris legibus frenarent. Pro Epiſcopis, & Sacerdotibus non Italis hoſpitium aperiendum curavit, non procul à Divi Petri templo, & commodius, aliud Italis Sacerdotibus pariter adſcripſit.

Remanet explicanda vox, qua Annus Jubilæi *Sanctior* cæteris appellatur. Rationes ejuſmodi appellationis reddit P. Pientinus lib.3. de anno Jubilæi cap.2., inquiens, ut manifeſtum reddatur quàm Sanctus ſit Sacri Jubilæi annus, opus eſt illa, quæ ea præſertim tempeſtate fiunt, expendantur. Etenim Chriſtiani conantur deponere veterem hominem cum actibus ſuis, & eum induere, qui ſecundum Deum creatus eſt in Juſtitia, & Sanctitate. Secundò ſi unquam piè, ſanctèque colitur Deus, honorantur Sancti, & ad alia bona opera ardenter incumbitur, hæc ſanè omnia fiunt anno Jubilæi. Tertiò, Sanctum dicitur illud, quod tùm firmum, & ſtabile eſt, ut dejici, & concuti non poſſit. Hinc quæ legibus munita fuiſſent, ac propterea immutari non poterant, *Sancta* antiquitus vocabantur. Quartò Sanctum dicitur, quod ſanguine tinctum fuit, unde quia Chriſtiani à peccatorum ſordibus pretioſo Chriſti Sanguine loti ſunt ab Apoſtolorum Principe *Sancti* nuncupabantur, ubi ait S. Petrus. *Vos autem gens ſancta, populus acquiſitionis*. Quintò Sanctum dicitur quòd ſine terra, hoc eſt quod terrena minimè ſapit, ſed ea omnia, veluti inania temnit. Sic naſcentis Eccleſiæ Chriſtiani *Sancti* ab Apoſtolo appellantur primo Corinth. 6. His rationibus Jubilęi annus verè Sanctus eſt, cum illi

illi prędictæ nominis acceptiones conveniant. Eodem Jubilęi anno Thesaurus Ecclesiæ præsertim erogatur, qui pretiosissimo Sanguine Christi ditatus est, necnon illo quem Martyres pro Fidei propagatione effudere.

XI. XII

OSTIVM CAELI APERTVM IN TERRIS.

XIII. XIV

ET PORTAE CAELI APERTAE SVNT.


A Summo totius Ecclesiæ Antistite Porta Sancta reseratur, ut significetur, ipsum tantùm illius ditissimi Thesauri habere claves, ejusque Januam aperire, & quatenùs expedire ei videtur, ex eo Subditis suis elargiri posse, quo fit, ut non incongruè quantum ad rem hanc de ipso dici possit. *Aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Rursùs si materialis Ecclesia, ut ex iis, quæ in ipsius dedicatione leguntur colligi potest, modo quodam supernam Civitatem adumbrat. Petro autem, ejusque Successoribus si illius Cælestis Civitatis à Domino collatæ fuerint claves, non ne ratio poscit, ut ille hujus Templi portam aperiat, cui collatæ fuere ipsius Cælestis Regni Claves?

Apocal.3.

Igitur Pontifex Innocentius exprimitur reserans hanc Portam malleo munitus argenteo, quo ter solet parietem percutere, nec putandum est hoc sine mysterio institutum fuisse. Primò enim arbitratur supra laudatus P. Pientinus, ea factum ratione, ut significaretur Summus Pontifex, thesaurum cunctis Christianis eo tempore communicaturus, nam si totus Orbis terrarum communi Antiquorum Cosmographorum consensu in tres partes, nimirum Europam, Asiam, & Africam dividebatur, & in his omnibus Christiani, aliique inveniuntur, profectò cum Sacer Jubilæus cunctis, qui Christo nomen dedere, donari debeat, non irrationabiliter statutum fuit, ut totidem percussionibus janua illa in ipsius Jubilæi exordio cunctis reseretur. Præterea, cum Sacri Jubilæi solemnitate, qui in Cælo, qui in terra, nec non in purgatorio sunt, maximo afficiantur gaudio, id quoque sensibili quodam signo indicatur, nempè terna mallei percussione. Tertiò, ut insinuetur probabiliter ad ipsius Thesauri participationem requiri Fidem, Spem, & Charitatem.

Non tamen Pontificio Regno tectus hanc Portam reserat Pontifex, ut numisma ostendit, sed Mitra. Antequam hæc aperitio perageretur ab Innocentio X. Consuetus omnium Campanarum pulsus, per triduum promulgavit. Die autem 24. Decembris 1649. cum maxima pietate coram tota Aula Romana, Eminentissimis Cardinalibus, Principum Oratoribus, Dynastis, innumeraque Populorum frequentia Portam aperuit in Basilica Vaticana.

Sed antequam aperiret Cardinales ablegavit ad reserandas portas Basilicarum, scilicèt Cardinalem Lantem Decanum, Columnam, & Maildachinum.



LAV-

❀ XV ❀

LAVDENT IN PORTIS OPERA EIVS

❀ XVI ❀

INNOCENTIVS X. PONT. MAX. ANNO VII.
ANNO IVBILAEI 1650.

❀ XVII ❀

APERVIT, ET CLAVSIT.

TRia alia numiſmata ſunt expreſſa ad annum Jubilæi pertinentia, quorum duo poſtrema Portam Sanctam clauſam exhibent, primum verò ipſum Pontificem, primum lapidem deponentem, ut claudat. In Nativitatis enim pervigilio, anno jam in finem inclinante, poſt Veſperas Pontifex ad Portam Auream Sacris Veſtibus indutus, ſed evectus perrexit, cereum accenſum tenens, illamque conſuetis Cæremoniis obſtruxit, adjuvantibus Cardinali Ludoviſio, Summi Pœnitentiarii munus exercente, quatuorque dignoribus Baſilicæ Pœnitentiariis, quod indicabant ſupra poſita verba in lapidea Cruce inſculpta.

INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
PORTAM HANC SANCTAM RESERATAM, ET CLAVSAM
AB VRBANO VIII. PONT. MAX.
ANNO IVBILÆI MDCXXV.
APERVIT, ET CLAVSIT
ANNO IVBILÆI MDCL.

Hoc cæremoniarum genus in claudenda Porta his de cauſis fieri docuit Pater Pientinus. Primò quidem quia ſi Jubilæi virtute ea, quæ hominibus Deo gratis in mora erant, quominùs ex hac vita migrarent, & Cælum ingrederentur, pœnæ videlicèt amoverentur; qui verò illuc pervenerint tàm ingenti tenerentur voluptate, ut inde exituri ſint nunquam (*ad illud enim convivium* inquit Gregorius *quiſquis ſemel intraverit, ulteriùs non exibit*) rectè ſanè Porta illa clauditur, quo ſupremus Jubilæi fructus, nempè cæleſtis vitæ acquiſitio illius interclusione demonſtretur. Secundò ſi ditiſſimus Indulgentiarum Theſaurus Jubilæi tempore ſumma diſtribuitur largitate (quòd in aperitione portæ indicatur) aliis verò temporibus id fieri non videatur, non incongruè ſactum eſt, ut completo Jubilæi tempore porta illa à Pontifice claudatur. Tertiò ſi Sacri Jubilæi tempus pœnitentię aptiſſimum eſſe comprobatur, non ne convenientiſſimè ſtatutum eſt, ut eo elapſo porta illa claudatur, quo deſignetur, periculum eſſe, ne superveniat nox, quando nemo poteſt operari, eiſque janua, ut fatuis Virginibus claudatur. *Ibidem.*

Diſtributa fuere in ea claudenda hæc numiſmata à nobis propoſita, ſicuti etiam à Legatis, à quibus diximus Baſilicarum Portas apertas fuiſſe cum eaſdem clauſerunt. Eorum primus fuit Cardinalis Lantes cujus frons portam auream, imagine Sancti Pauli ſuper impoſita, præſeferebat, circumdata literis.

INNOCENTIVS X. PONT. MAX. ANNO VII.

In altera parte abſque gentilitiis inſignibus cęlata ſunt verba.

MAR-

MARCELLVS EPISCOPVS OSTIENSIS
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS LANTES
SACRI COLLEGII DECANVS
APERVIT, ET CLAVSIT.

Secundum numiſma Cardinalis Columnæ ſimiliter in prima facie ipſam eamdem imaginem Portæ Sanctæ cum eiſdem prorſus literis primi numiſmatis demonſtrabat, in altera expreſſa erant inſignia gentilitia Familiæ Columnenſis, ac verba.

HIERONYMVS SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ
CARDINALIS COLVMNA
SACROSANCTÆ LATERANENSIS BASILICÆ ARCHIPRESBYTER
APERVIT, ET CLAVSIT.

Tertium numiſma ex uno latere Liberianæ Baſilicæ Portam auream repræſentabat, & hinc inde milleſimum numerum continebat hac inſcriptione.

ANNO IVBILÆI MDCL.

Circumſcriptis literis.

INNOCENTIVS X. PONT. MAX. ANNO VII.

In altera facie ſtemma gentilitiæ Familiæ exhibebat his verbis.

PORTAM SANCTÆ MARIÆ MAIORIS
FRANCISCVS TITVLI SANCTI ADRIANI
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONI
CARDINALIS MAILDACHINVS
APERVIT, ET CLAVSIT.

In quo nummo advertit Illuſtriſſimus Phæbeus delendum eſſe verbum *Tituli* errore cælatoris additum cum Diaconorum Eccleſiæ *Diaconiæ*, non *Tituli* dicantur, ſolis enim presbyteris Eccleſias in titulum conferre licet.

Inſcriptio. LAVDENT IN PORTIS OPERA EIVS, in numiſmate Pontificis appoſita verbis conſtat acceptis ex cap.31. Proverbiorum. Illis invitabat Fideles, ut laudibus celebrarent Dei opera, quæ ſi ſemper dicente Pſalmiſta *Magna ſunt, & exquiſita*, anno ſanè Jubilæi maximè ſunt celebranda, in quo *Redemptionem miſit populo ſuo*. (*Pſal.*110.)

Reſumere mihi liceat eandem epigraphem in laudes ipſius Pontificis, cujus opera toto eo anno mirificè claruerunt; quindecies enim quatuor Statutas Eccleſias viſitavit, prima quidem vice cum univerſo Cardinalium cœtu, aliis deinde diebus octo tantùm eorum Comitatu, ex quibus duo Pontificio curru excepti, reliqui in Rheda Cardinalis nepotis Sanctitatis Suæ ſequebantur. Pauperibus per vias ipſi obviis largè eleemoſynas diſpenſabat, pomeridianis horis accedentes ad benedictionem excipiendam lætus videbat, iterùm, atque iterum Xenodochium Sanctiſſimæ Trinitatis inviſit, ibique Peregrinorum pedibus priùs ablutis, illis poſtea ad menſam miniſtravit, inter quæ accidit, ut ob ejus pietatem toto animo commotus Germanus quidam hæreticum ſe profeſſus fuerit, & veniam humillimè deprecatus à Piiſſimo Pontifice in Eccleſiæ communionem fuerit receptus. Archiconfraternitati Sanctiſſimæ Trinitatis certam pecuniæ ſummam per ſingulos Menſes è ſuo ærario erogari præcepit, & ut apparet in Rationario Archiconfraternitatis undecim millia novem centum quadraginta quatuor nummi argentei eo Jubilæi anno fuere attributi, cujus exemplo Principes excitati, vel domos commodarunt ad recipiendos peregrinos, vel pecuniam obtulerunt.

Quamobrem, ut grata Innocentianæ beneficentiæ recordatio perpetuò extaret,

ret, Sodalitas, ęnea Pontifices imagine erecta, hac inscriptione memoriam Posteris transmisit.

INNOCENTIO X. PONT. MAX.
QVOD INSIGNI EIVS LIBERALITATE
DIFFICILLIMIS XENODOCHII TEMPORIBVS
VETVS IN EXCIPIENDIS PEREGRINIS MOS,
ET LAVS RETINERI, ATQVE FLORERE POTVERIT
BENEFICII MONVMENTVM SODALITAS
POSVIT ANNO IVBILAEI MDCL.

Sacrum etiam Jubilæi beneficium benignè impertitum fuit trium Basilicarum Capitulis, & Cleris, si semel supplicantium more ad quatuor Basilicas procederent. Imperatori etiam, Regibus, aliisque Supremis Principibus pro se, suisque Conjugibus, filiis, fratribus, nepotibus, & magis intimis familiaribus impertivit.

Antequam ad alia numismata progrediamur unum remanet peculiari observatione dignum, quod in aliquibus aliis omissum est, non tamen neglectum. Exprimitur in numismate XV. prope Pontificem Crux hastæ imposita, cum qua Crucifer ad id munus deputatus solet semper Summo Pontifici pręire in publicum prodeunti, immò intrà Palatium ipsum cum ad Sacellum, quod Cappellam Palatinam dicimus, Sacro Cardinalium Senatu comitante procedit, ut Divinis in ea celebrandis Officiis intersit; Excepto tamen triduo majoris hebdomadæ, cum ad Matutinas horas audiendas quasi atratus egreditur; cujus ritus indaginem æque jucundam, ac difficilem eruditissimus Fr. Augustinus Fivizanus, Palatii Apostolici Sacrista sub Clemente VIII. instituit, ac ejus Commentarium typis mandavit. Illum adeat Curiosus Rerum antiquarum indagator, Nos brevitati consulentes pauca indicabimus, & primò quærimus quo tempore cœperit ritus præferendæ Crucis Romano Pontifici in publicum prodeunti. *Lib. Cæremon. 2. cap. 42.*

Huic dubitationi respondet supracitatus Fivizanus se nullum apud Veteres legisse de Pontifice Romano hujusmodi gestationis exemplum, credibile tamen putat, Beatum Petrum Apostolum, & alios Summos Pontifices, usque ad tempora, quæ Constantinum Imperatorem consecuta fuerunt manibus Crucem gestare solitos, tanquam clypeum fortissimum, quando, palam Crucis virtutem profitebantur, & in Crucem agi exoptabant. *Lib. 2. cap. 11.*

Ejus sententiam confirmat Casalius, qui cum eo asserit, nulla ratione ambigendum esse Beatum Pontificem Sylvestrum tantò trophęo cum solemni pompa uti cępisse, qui ejus Venerationis in Urbe author extiterat. His accedit Fivizanus, quòd ab eo tempore, quo Constantinus Magnus Christianam religionem amplexatus fuit, & pax Christiano Populo fuit restituta, & Beato Sylvestro libera data est facultas omnibus, singulisque Imperatoriis signis utendi, cum inter ea pręcipuum esset Crucis trophęum in Labaro expressum, prudenter existimandum esse, Sanctum Pontificem illam retinuisse in signum Supremæ Spiritualis Jurisdictionis in toto Orbe. *De Ritibus cap. 81.*

Consuetudinem manibus gestandi Crucem etiam apud privatos viguisse ante Constantini tempora demonstrat Simeon Metaphrastes in Vita Sanctorum Martyrum Marcellini Presbyteri, & Petri Esorcistæ, qui sub Diocletiano Martyrii palmam adepti sunt, narrans, qua ratione, quove habitu indutus Petrus perrexit ad Arthemium, qui pollicitus fuerat, se Christi fidem suscepturum, si ejus virtute è Carcere egressus ipsius Domum proficisceretur, & ejusdem filiam à Dæmone liberaret. Hæc enim habet apud Surium, die 2. Junii. „ Cum inter se loquerentur, „ & occumbente diei lumine nox initium suum Stellarum ortu indicaret. Adest „ Homo Dei Petrus Arthemio, & candidè se offerens, candidis indutus vestibus „ trophęum Crucis tenens in manu sua. *Eusebius in vita Constant. lib. 1. cap. 24.*

Rem profundiùs expiscandi cupidus, Acta Pontificum dum revoluerem, incidi in additiones, quas eruditissimo Patri Ciaccono fecit P. Oldoinus, qui in vita Sancti Clementis, primi hujus nominis, & tertii post Divum Petrum, referens varios ritus à Sanctissimo Pontifice præscriptos, ait *Summos Pontifices, ejusque Legatos* *Tom. 1. col. 91.*

tos domo exire sine Crucis Vexillo prohibuit. Vivebat Clemens anno post Christum septuagesimo. Unde nam hoc Clementis decretum habuerit Oldoinus non asserit, si tamen vera sunt, quæ narrat, duo hæc inferri posse arbitror. Primum Pontifices ante ipsum vel domo non exisse cum Crucis vexillo, vel si in publicum prodiere cum Cruce, hunc morem sua lege Clementem confirmasse, ne imposterùm omitteretur. Secundum est, non fuisse primum inter Pontifices Beatum Sylvestrum, qui cum Cruce, procedente incederet, ut docuit Fivizanus. At quę certa sunt proferam; scilicèt talem ritum Crucis præferendæ in usu fuisse Sęculo quinto sub Leone IV. imò multò ante ipsum viguisse, dicente Anastasio in ejus vita. *Fecit idem benignissimus Crucem auream noviter, & ipsa Crux ut mos antiquitùs est, Subdiaconi manibus ferebatur ante equum prædecessorum Pontificum*.

Antiquiùs hujus rei monumentum reperire non potui. Potest secundo loco quæri, cur Romano Pontifici hæc Crux præferatur. Quinque causas assignat Fivi-
Lib.3. zanus, primò ad recordationem Dominicæ Passionis contra impios hæreticorum conatus, qui hanc veritatem labefactare nituntur. Secundò ad illius cui præfertur ardentem amorem erga Crucem indicandum. Tertiò ad Pontificis, ejusque comitatus tutelam. Quartò ad Crucifixi imitationem populum excitandum. Quintò ad Pontificiam, & supremam Dignitatem declarandam. Huic ultimæ rationi adhæret Casalius. Crucis enim prælatio (ait ille) quamdam dignitatem, & po-
De Rit.cap. 81. testatem demonstrat, sicut in Romana republica mos servabatur præferendi sex fasces Proconsulibus, Consulibus duodecim, Dictatori viginti quatuor, sicut
Lib. 2. de Cruce c. 7. etiam, narrante Gretsero, erant tituli Principum, & Regum aliquando quædam vela, quæ repræsentarent Regiam potestatem, insignita insignibus Imperatorum, & Principum, vel eorumdem nominibus inscripta, eo modo, quo hoc tempore cum Urbs, vel recuperatur, vel jam primùm obtinetur, Vexillum Principis in editioribus locis statui, vel saltèm insignia in portis, portubus, & porticibus, aliisque locis pingi, & affigi solent, ut hac ratione tanquàm titulo quodam urbis Dominium sibi vendicent, & talia vela nominantur in Codice Justiniani *vela Regia*. l. ne quis C. *ut nemo privatus*. S. Ambrosius epist.32. vocat *Regias Cortinas*, dum scribit ad Marcellinam de Valentiniano Imperatore, qui Cortinarum illatione intrà Basilicam sui Juris eam facere tentarat, sed inani conatu, *Cortinis à puerorum turba dilaceratis*, sic Pontificis Crux Prælata dignitatem declarat, & supremam in terris Spiritualem potestatem. Præfertur autem Crux non nuda, ut numis-
Cap.2.3.l.2. ma ostendit ex errore Sculptoris, sed cum Christi imagine, & facie ad illum conversa, cujus ritus inquirens rationes idem supralaudatus Fivizanus ait „Ut scilicet ex tali Crucis gestatione duo singulares pręlationis Crucis effectus significentur, nempè *inimicorum invisibilium effugatio*; alter verò *à malis per illos nobis intentis tutela*. Quos ambos paucis his verbis complexus est Sanctus Augustinus serm.19. de Sanct. *Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum inimicis*. Amicos autem eos intelligit qui Crucem sequuntur, inimicos verò qui ei ex adverso veniunt. Cum facies Crucifixi Clero Prelati ad eos, qui ex adverso obviam veniunt conversa tenetur, significatur virtute Christi Domini procul pelli eos, qui piis eorum conatibus impedimento sunt. Quod verò Crucifixus conversa facie ad Pontificem præferatur, significat, Deum præcipuo quodam modò illi adesse, & assistere.

Ipse verò Ordo procedendi per quem necessariò fit, ut Pastor medius inter Crucem, quæ illum antecedit, & populum, qui eum retrò comitatur incedat, declarat, Præsulis Officium esse, ut ipse mediator sit inter Deum, & oves sibi creditas, hactenùs cum dicto Authore.

Pręfertur etiam Crux Legatis Apostolicis, vel Patriarcharum Sedium Antistitibus. Regi etiam vulgò Pretejanno, dum iter agit Crucem à Clericis semper præferri testatur Franciscus Alvarez cap.88. & alii, sed tale privilegium illis non competit, nisi cui ab eodem Summo Pontifice illius præferendi concessa fuerit facultas. Si verò quæratur quare Patriarcharum Crux duplici, & quidem dispari
Cap.14. linea, Archiepiscoporum, & Summi Pontificis simplici linea in transversum ducta constet, respondeo cum supra citato Authore. Hujus ritus eam proculdubio causam esse, ut hujusmodi notæ varietate intelligamus, in EcclesiaDei esse Sedes, & hono-

honore, & ditione dispares. Molanus c.12. in suo opere de Picturis ait. „Hoc autem
„ pro rudioribus addo, quod baculus Archiepiscopi non habet superiùs uncum,
„ sed Crucem. Patriarchæ autem habet superiùs duplicem Crucem. Supremo Anti-
„ stiti, scilicèt Romano Pontifici quidam dant pedum cum triplici Cruce ad re-
„ darguendam eorum cecam, & diuturnam ambitionem qui se contra Romanam
„ Ecclesiam omnium Matrem erexerunt, volendo Patriarcham Constantinopolis,
„ quæ tunc Roma nova dicebatur universalis Patriarchæ titulo insigniri; & ejus-
„ dem potestatis esse cum veteris Romæ Pontifice.

Cum enim Crux sit insigne præcipuum earum, quæ in Ecclesia Dei concipiuntur dignitatum, proinde simplex minorem indicat ordinis potestatem. Multiplex verò majorem, & præstantiorem, cui sanè proportioni respondet veterum Romanorum consuetudo illa, juxtà quam Supremum Magistratum plures fasces inferiorum pauciores antecedebant, ut diximus. Et quidem hujusmodi instituto illarum Ecclesiarum mos valdè convenire videtur, ut nobiliori Clero Cruces binę minùs verò insigni simplex.

Quod si hæc ad sensum tropologicum referamus, dicemus, commodè per Crucis multiplicitatem significari, ut quibus eminentior in Ecclesia locus est datus, graviùs etiam curarum, & laborum fuisse onus impositum. Quid est enim aliud Crux, nisi Cruciatus signum? Verùm petenti cur Romano Pontifici, qui non solùm Patriarcha, sed etiam Patriarcharum omnium Caput, & Pater est, Crux preferatur communi ritu fabricata, non autem binis lineis vel ternis decussata; respondet Fivizanus, non omninò constare Romanos Pontifices ea Crucis forma, quo modò utuntur olim usos fuisse. Visuntur enim nonnullæ Summorum Pontificum imagines, quæ in manibus Crucem referunt, cujus stipes duplici, ac triplici linea est decussatus.

Neque verò incredibile est, talis formę Crucem eis aliquando prælatam, qualem in manibus ipsorum nonnulli effingunt.

Sed si hæc solutio non probatur: Secundò respondet dicendo, licèt varia ista Crucis constructio reperta fuerit ad significandum inter Patriarchas, & Archiepiscopos eminentiæ discrimen, negamus tamen, eandem fuisse necessariam ad ostendendam supremæ Pontificiæ potestatis dissimilitudinem. Non enim uno Signo tantùm præfulget Summi Pontificis authoritas, & dignitas, sed plurima sunt, quibus à cæteris distinguitur. Hujusmodi sunt binæ Claves, Sacra Tiara, triplici corona redimita, varia indumenta illius propria &c. Accedit præterea, quòd Romano Pontifici ubicumque fuerit Crucis Vexillum perpetuò præferri debet, cęteri verò omnes quicumque illi sunt, etiam Legati de latere, ubi Christi Vicarius adest, Crucem deponunt, neque ante se geri patiuntur.

XVIII

SANCTVS PAVLVS APOSTOLVS.

Nihil proponit numisma præsens, nisi Sancti Pauli Apostoli imaginem, de qua plura cum alibi dicta sint nihil in eo immoramur.

XIX

REPLEVIT ORBEM TERRARVM.


Verba, quæ Sacra Pentecostes die canit Ecclesia epigraphem formant numismatis, in quo Spiritus Sanctus sub Columbæ specie significatur. De tali expressione satis alibi diximus.

Quid innuat numisma explicat P. Molinetus, idest, vel electionem, in qua afflante Spiritu Sancto Cardinalium Cœtus Pamphilium Pontificem nominavit, vel con-

constitutionem, qua quinque propositiones circà materiam Gratiæ, & liberi arbitrii Innocentius damnavit. In hujus rei memoriam cusum fuisse retulit in suis Diariis D. à S.Amore Doctor Parisiensis.Huic sententię adhæreo,non primæ.Anno enim 1653. idest ejus Pontificatus nono. Constitutio illa emanavit, eodemque pariter anno nono cusum numisma fuit, ut constat è notis m.s. D. Gasparis Molæ apud hæredes servatis, qui tale numisma sui eleganti scalpro exculpsit. Seriem ejus disputationis in Congregatione ab Innocentio deputata quamplurimi Authores recensent, inter quos abundè Pater Oldoinus, apud quem est ipsa constitutio. Suntque epistolæ ad eumdem Pontificem Episcoporum Galliæ in gratiarum actionem pro declaratione sanæ doctrinæ, & damnatis erroribus, quibus in Gallia, & Belgio pietas inficiebatur. Meritò igitur tunc temporis expressionę Spiritus Sancti indicabatur decretum illud, quod nonnisi afflante Spiritu veræ Sapientiæ sancitum fuit, & per totum terrarum Orbem Christianum publicatum.

Col. 654. & seq.

Coronatur numisma Oleæ ramis, quibus Innocentiano stemmati gentilitio alluditur, de quo aliquid alibi dicendum erit.



XX

DECOR DOMVS DOMINI.

MDCXLVI.

Scenographica Templi delineatio Lateranensem Basilicam demonstrat, quàm Innocentius intentus ad Divinum Cultum, & publica commoda anno tertio sui Pontificatus pulcherrimè restauravit.

Illam erexerat primò Constantinus Imperator, vocavitque *Sacrosanctam*, ut narrat Binius tom.1. Concil. in Donat. Constant. his verbis. *Quam Sacrosanctam Ecclesiam in Universo Orbe terrarum dici, coli, venerari, ac prædicari sancimus.* Quod confirmarunt deindè Summi Pontifices Gregorius XI, B. Pius V, & Sixtus V. Const.19. in tom.2. Bullar. Eximia etiam pietate quamplurimi alii muneribus pretiosis ditarunt, & pluribus in partibus temporis decursu fatiscentibus, vel incendiis, vel terremotu destructis, iterùm construxerunt, ut narrat Anastasius in Vitis Pontificum, aliique Authores, qui Pontificum acta recensent, inter quos Leo I., Sergius III., Hadrianus IV., Urbanus IV., Nicolaus IV., Martinus V., & Eugenius IV. Ejus luculentam historiam scripsit Eminentiss.Cæsar Rasponus, illam adeat Lector. Innocentius X. nobis proponitur, qui post ornamenta addita à Clemente VIII. cum adhuc eam partem, quę Solem Orientem respicit, squallidam videret, insuper proximam ruinam minitantem, Equiti Francisco Borromino curam imposuit, ut quamprimum veteres parietes confirmaret, novaque adderet ornamenta.

Quinque ambulacris, quæ *Naves* dicuntur, constabat Basilica à Constantino excitata, earum mediam cęteris ampliorem parietes claudebant, supra triginta columnas marmoreas à Costantino impositi, quarum septem tantummodò post incendium anni 1308. supererant, cęterarum verò locum occupabant columnæ è lateribus compactæ expensis nobilium Romanorum, singulorum Stemmate singulis columnis superaddito. Alias adjunxit Eugenius IV. ut constat in ejus diplomate in eadem Basilica servato.

Villanus lib.8. c.94.

Ea Provincia à Borromino suscepta, ut juxtà mentem Pontificis restauraret, non rectè factum arbitratus, si in ejus restauratione parietes à Constantino excitati deiicerentur, ideò ingenioso opere modum excogitavit, remanentibus omninò integris antiquissimis parietibus, novam illi super adderet formam, qua simul, & vetustas servaretur, & adderetur venustas. Sex ille Pilas erexit duplici Parastata distinctas juxtà legem ordinis compositi, inter quas quinque spatia reliquit viginti septem palmos lata sub totidem arcubus, quorum summitas à pavimento sexaginta palmis extollitur. Inter Parastatas sex hinc indè nigro ex marmore pari distantiæ mensura erecta loculamenta visuntur, quorum quodlibet columnis duabus

bus palmis duobus latis, sexdecim altis ornatum, & superimposito eodem è marmore diademate; simulachro apponendo dat locum, quæ tamen simulachra Sanctis duodecim Apostolis consecranda ob temporis angustiam non apposuit Innocentius. Supra hæc loculamenta totidem insunt ex opere marmorato absolutissimè elaborata opera, quæ, tum è veteri, tum è novo testamento desumpta repræsentant miracula, & videntium oculos maximè oblectant, singulis arcubus ampla imminet fenestra, per quàm lumen Basilicam irradiat: cæteris quatuor minoribus ambulationibus fornices diverso modò delineatos superimposuit Borrominus; proximioribus enim maximæ navi, ea in parte, quæ arcubus respondent, quatuor arcuatis parietibus simul coeuntibus efformantur, vulgò dicuntur *volte à vela*. Dolioli curvaturam imitantur ii, qui retrò Parastatas visuntur; in ambulationibus verò extremis fornices sunt, qui à Plasticis dicuntur *volte fatte à schifo*; non enim sicuti cæteri arcuantur. Hæc omnia unà cum sacellis utrinque dispositis, & ornatis, & pavimento ad commodum simul, & elegantiam vario de marmore strato, brevi perfecit Innocentius, ut venientes ad Jubilæum populos suæ pietatis studio excitaret ad Dei cultum, & sacrorum amorem. Absoluto opere suprà maximam portam hæc apposita fuit inscriptio.

INNOC. X. PONT. MAX.
LATERANENSEM BASILICAM
CONSTANTINI MAGNI IMPERATORIS
RELIGIONE, AC MVNIFICENTIA
EXTRVCTAM
SVMMORVMQVE PONTIFICVM
PIETATE SÆPIVS INSTAVRATAM
VETVSTATE IAM FATISCENTEM
NOVA MOLITIONE
AD VETEREM EX PARTE ADHVC
STANTEM CONFORMATA
ORNATV SPLENDIDISSIME RESTITVIT
ANNO IVBILÆI MDCL.
PONTIFICAT. VI.


In minoribus, quæ sunt hic indè januis, hæc duæ aliæ leguntur. Altera

INNOC. X. PONT. MAX.
STRATA MARMORIBVS VARIIS
LATERVM PAVIMENTA MDCL.

Altera verò.

INNOC. DECIMVS PONT. MAX.
ANNO IVBILÆI MDCL. PONT. VI.

Mirandum sanè opus, & tantò Pontifice dignum! Cum intra tres circitèr annos non solùm Basilicæ structura, verùm, & ornatus ejusdem lapidibus, & Columnis pretiosis fuerit perfectus; laquearia tamen, quæ parietes sustentant deaurata B. Pius V. imposuit. *Oldoinus in Col. 1086.*



SACEL-

❀ XXI ❀

SACELLIS VATICANIS INSIGNITIS.

VAticani D. Petri Templum, Prædecessorum suorum vestigiis inhærens Innocentius X. exornare studuit. Quænam ornamenta ille addiderit, præcipuè in Sacellis à Paulo V. extructis ennarravimus in cap. 25. nostræ Historię de Templi Vaticani fabrica, quę omnia anno 1648, & 49. dirigente Equite Bernino peregit, ut recurrente Jubilæi anno, Vaticani Templi decus omnibus ferè numeris absolutum Pontificum Romanorum pietatem munificam perpetuò obtestaretur. Inscriptionem hic repetimus, quam à Patre Famiano Strada, nostræ Societatis ipsius Pontificis jussu compositam Parieti exculptam legimus.

BASILICAM PRINCIPIS APOSTOLORVM
IN HANC MOLIS AMPLITVDINEM
MVLTIPLICI ROMANORVM PONTIFICVM
ÆDIFICATIONE PERDVCTAM
INNOC. X. PONT. MAX.
NOVO CÆLATVRÆ OPERE
ORNATIS SACELLIS
INTERIECTIS IN VTRAQVE TEMPLI ALA
MARMOREIS COLVMNIS
STRATO, E VARIO LAPIDE
PAVIMENTO
MAGNIFICENTIVS TERMINAVIT.

Ex libr. fabricæ. In hoc Columnarum ornatu quindecim millia nummorum impendit Innocentius mille insuper nummos in singulis Parastatis exornandis.

❀ XXII. XXIII ❀

DIVI AGNETI VIRGINI, ET MARTYRI SACRVM.

DUo sunt numismata cum eadem inscriptione, quorum alterum solam inscriptionem tenet, alterum frontem Templi demonstrat D. Agneti Virgini, & Martyri in foro Agonali dicatum. Fuerant in eo loco spectaculi Agonalis fornices, corruptè *furna* appellati, publicæ libidinis scortis infames. quos Innocentissima Virgo Agnes sanctificavit, cum impurum Præfecti filium sua castitate devicit. In eo Templum, parvum quidem, sed celebre, ac venerabile extructum coluit Roma, quod Jacobus Grimaldus putat esse illud, quod Anastasius Bibliothecarius vocat ad *duo furna*.

Præ foribus extabat tabula marmorea dedicationis.

ANNO DOMINI M C XXIII.
IND. I. MENSIS IANVARII DIE XXVIII.
HÆC ECCLESIA S. AGNÆ DEDICATA EST
A DOMPNO CALISTO II. PP.
CVM REMISSIONE ANNVATIM IN DICTA DIE
VNIVS ANNI, ET XL. DIERVM.

Hæ sunt Reliquiæ in Altari. &c.

Floravant. Martinellus Roma Sacra. In eodem loco cum inesset Avita Pamphiliorum Domus, ibique ejusdem Virginis Templum exiguum jaceret vetustate deformatum, illud ad Beatæ Virginis decus

pag. 615.

XXI

XXII

D·AGNETI·VIRGINI·ET·MART·SACRVM·

XXIII

AGNETI
VIRGINI
ET
MARTYRI
SACRVM

XXIV

AEDIFICAT ET
CVSTODIT

XXV

AEDIFICAT·ET·
CVSTODIT

XXVI

ABLVTO·AQVA·VIRGINE·AGONALIVM·CRVORE

XXVII

ABLVTO·AQVA·VIRGINE·AGONALIVM·CRVORE

XXVIII

XXIX

IESVS·ET·MARIA·SINT·NOBIS·IN·VIA·

decus, & Urbis ornamentum elegantiori arte decenter extruendum voluit Innocentius. Excellentissimus ejus Nepos Camillus Princeps Pamphilius alacriter illud inchoavit decima quinta die Mensis Augusti, Reginæ Virginum Assumptæ sacra, primum extruendo à Patre Templo lapidem posuit ejus filius Joannes Baptista, cui lapidi inscriptum erat. *Idem pag. 59.*

INNOCENTIVS X. P. O. M.
FVNDAVIT ANNO MDCLII.
PRIMVM HVNC LAPIDEM
AB INNOCENTIO X. P. O. M.
RITE BENEDICTVM POSVIT
IOANNES BAPTISTA PAMPHILIVS.

In eoque brevis urna continebat numismata, effigiem Pontificis, nomenque Sanctæ Agnetis referentia AGNETI VIRGINI, ET MARTYRI SACRVM.

Totum opus perfecisset Camillus, ni morte præventus tanti operis gloriam suo Filio Joanni Baptistæ reliquisset. Hic enim tum ad Innocentii Patrui,& Camilli Patris mentem, & vota adimplenda, tum ad Sanctæ Agnetis amplificandam gloriam, toto virium conatu immensa cum auri effusione operi inchoato operam dedit, breviqne perficiet opus,anno hujus sæculi secundo supra quinquagesimum inchoatum.

Ejus Templi Architecturam delineavit Eques Raynaldus, Tholum, ac Frontem Borrominus; Crucem Græcam refert ejus ichnographia, parietes marmoreis laminis incrustantur. In Altaribus tabulæ sunt ex albo marmore amplissimæ, in quibus Anagliptorum manus diversas imagines exculpserunt, scilicet Sanctum Alexium Fanciscus Rubeus, Sanctam Agnetem, & Sanctam Emerentianam Hercules Ferrata, Sanctam Cæciliam Antonius Raggius, Sanctum Eustachium Melchior Melitensis incæpit, Ferrata absoluit. In angulis sub Tholo. Joannes Baptista Gaulius picturas expressit, Tholi fornicem suo pennicillo Cirus Ferrus decoravit,sed non absoluit.

Frons Templi binas turres campanarias ostentat è marmore tiburtino, in quarum medio Tholus conspicitur omnibus numeris absolutus. Ejus iconem ad vivum expressam typis Romæ publicarunt Joannes Jacobus,&Matthęus Gregorius de Rubeis, sicuti etiam Imagines in Tholo depictas suo scalpro incidit Nicolaus Dorigni.

XXIV. XXV

AEDIFICAT, ET CVSTODIT.

INtellige, INNOCENTIVS, dùm Palatium Capitolii extructum vides in duplici numismate; Diximus Paulo III. sedente Michaelem Angelum Bonarotam condidisse novas Conservatorum Ædes. Ibi ad exteriorem frontem porticus frequens columnis structura, & artificio eximia conspicitur, cui pars superioris contignationis incumbit, cubicula, aulamque Capitolinam continentis. Supra Porticum facies lateritia quadratis columnis distinguitur, quæ stylobatis elatæ coronam sustinent, suamet specie, signisque marmoreis crebra per intervalla superstantibus insignem. In aula Parietes recenti tectorio pinxit Eques Joseph Cæsar Arpinas, expressitque res à Romulo gestas, & Romanis Regibus: alia aliis Conclavibus veteris, recentisque memoriæ visuntur insignia simulachra, & monimenta. Atrium quoque statuis, & inscriptis lapidibus visendum, Jacobus à Duce Architectus Populi Romani laquearia magnæ aulæ delineavit, & fenestram maximam in Ædis fronte absolvit. *Baldinu. pag. 55.*

Pares omninò Ædes Clemens VIII. condere aggressus fuit,posuitq; in illarum fundamentis, Hieronymo Raynaldo Architecto opus dirigente, primum lapidem Cardinalis Petrus Aldobrandinus, & plura ejusdem Pontificis numismata. Quamobrem

Col. 881. obrem falsò affirmavit P.Oldoinus, Innocentium illas à fundamentis mirabili opere inchoasse. Sed vix paululum extare à solo cœperant, cum ab opere cessatum est ob ejusdem Clementis mortem, qui dealbatam Senatoriæ domus frontem antis capitulisque corinthiis, & suprema corona, signisque superimpositis ornavit. *Donat. lib. 4. cap. 11.*

Quamobrem Innocentius X. ut Capitolii theatro integra illius loci redderetur prisca majestas, & singulis urbanis tabernis, seù officinis in eodem Ædificio disiuncta constituerentur Tribunalia, ad majorem Curialium commoditatem, voluit, ut ex altera parte juxtà Bonarotæ formam ædes aliæ assurgerent, quæ totum Capitolii verticem, adeò triumphis antiquis illustrem, nobilitarent, quod non sine magnis sumptibus factum est, non tantùm è tiburtini marmoris copia, quæ ad columnas porticus, coronides, & epystilia facienda advehenda erant, sed etiam, quòd disiiciendus erat monticulus, qui ad latus Templi Beatæ Virginis in Aracæli tumescebat. Harum ædium frons è lapidibus tiburtinis assurgit Parastatis ordinis Corinthii suprà porticum ordinis jonici columnis nixam. Ipso ædium Parieti exteriori Innocentii est tessera gentilitia. Remanserunt tamen facies ambarum ædium, tàm veterum, quarum meminimus, quam recentium, qua parte planitiem Urbis prospiciunt, inornatæ, cum totus illarum prospectus lapidibus perpolitis incrustatus extrà aream Capitolinam non porrigeretur. Propterea Alexander VII. adiecit animum ad illud absolvendum, & plurimo corrogato argento columnis, & lapidibus segmentatis frontem utriusque Palatii septentrionem versus nobilitavit, ut ostendunt utrique fronti infixa stemmata gentilitia clarissimæ Ghisiæ Gentis. *Casalius de Urb. splend cap.*

Sub porticu interiori hujus novæ ædis diversa signa è marmore sunt. Ad medios gradus, quibus itur ad superiora conclavia, collocata sunt è marmore simulachra, quæ olim usque ad annum 1665. inserta erant fornici Portugalliæ propè valvas Basilicæ Sancti Laurentii in Lucina, quem ad viam æquandam, cum prospectum portę Flaminię impediret, Ædiles, Alexandri VII. jussu, demoliti sunt, & huc aduehi disiecta marmora curarunt.

Sed ad Innocentium X. revertamur, qui non solum Capitolinam aream, harum ædium nobilissimo additamento ditavit, verùm erga Senatorem, & Populi Romani Conservatores se se beneficentissimum Principem ostendit. Illi enim gentilitia stemmata coronare, equosq; currum vehentes nigris floccis pendentibus Magnatum more exornare permisit. Conservatores verò ad tertium Pontificii solii gradum sedere ad dexteram volvit, iisdemque permisit, ut per Urbem incedentes more Magnatum equis phaleratis uterentur. Quare in Posterorum memoriam hæc in Capitolio extant inscripta.

INNOCENTIO X. PAMPHILIO P. O. M.
QVI POST RESTITVTAM VRBIS CONSERVATORIBVS
DIV INTERMISSAM ASSIDENDI PONTIFICIO SOLIO
P R Æ R O G A T I V A M
CAPITOLIVM ÆDIBVS AD DEXTERAM
A SE MAGNIFICENTISSIME INSTRVCTIS
ADAVCTVM INVISERE SVÆ GENTIS MAGISTRATVM
R E C O G N O S C E R E
PRINCIPIS MAIESTATI, CIVIS, AC PARENTIS
MISCERE HVMANITATES DIGNATVS EST,
VT RARO PONTIFICIÆ BENIGNITATIS EXEMPLO
POSTERITAS QVOQVE GAVDERET
S. P. Q. R.
MONVMENTVM POSVIT
A N N O M DCLIV.

Ejusdem etiam Pontificis æneum simulachrum in nova Æde collocarunt supra marmoream basim, in qua hæc extat inscriptio à Patre Gulielmo Dondino Societatis Jesu composita,

INNO-

INNOCENTIO X. PAMPHILIO PONT. OPT. MAX.
OB CAPITOLIVM AGONALE FORVM
AEDIBVS FONTIBVS OBELISCIS ORNATA.
OB PRINCIPES BASILICAS MAGNIFICENTISSIME INSTAVRATAS.
OB INVECTAM DIFFICILI TEMPORE ANNONAM.
ECCLESIASTICAM DIGNITATEM FELICITER VINDICATAM
DIVTVRNÆ QVIETI BREVI BELLO CONSVLTVM
PVBLICAM VTILITATEM ABSQVE PVBLICO ONERE
PROCVRATAM,
FAS, IVSQVE VBIQVE SERVATVM
S. P. Q. R.
ROMANO PRINCIPI MERITISSIMO POSVIT.

Hæc omnia binis verbis numiſma à nobis propoſitum indicat, ſcilicèt Innocentius Capitolium AEDIFICAT, ET CVSTODIT.

Nec omittendum, extare in Atrio ejus Ædis, de qua diximus, Statuam ſemijacentem Marphorij, quæ antea apud Sanctæ Martinæ ędem collocata nomen indiderat antiquo vico Argentariorum Clivii Marphorii. Exiſtimarunt alii, Statuam hanc referre Rhènum Germaniæ amnem, alii Anienem, alii verò Narem, quaſi Narphorius dici debeat, alii, quòd eſſet in Martis Foro, marphorium vocatum ajunt. Alii denique autumant, fuiſſe Jovis Panarii ſimulachrum ex eo effectum, quòd Romani obſeſſi à Gallis obſidionem ſoluerint in illorum Caſtra panibus projectis; cujus hujuſmodi ſignum fuerit eſt planè dubium.

Huc etiam translata fuerunt Marii trophęa à loco, ubi erecta olim fuerant apud Eccleſiam Sanctæ Bibianæ, & Sancti Euſebii, & in fronte Areæ Capitolinæ collocata, addita epigraphe in marmore.

SIXTI V. PONT. MAX. AVTHORITATE
TROPHAEA CAII MARII VII. COS. DE TEVTONIS,
ET CIMBRIS EX COLLE EXQVILINO, ET RVINOSO
AQVÆ OLIM MARTIÆ CASTELLO
IN CAPITOLIVM TRANSLATA
ERECTIS BASIBVS
ILLVSTRI LOCO RESTITVENDA CVRAVERE
PAVLVS AEMILIVS ZEPHIRVS,
HIERONYMVS MORONVS, POMPEIVS CAVALERIVS CONS.
DOMINICVS DE CAPITE FERREO PRIOR,
ANNO SALVTIS M DC XC.

Hæc inſcriptio, eſt etiam in alio latere repetita. De his trophęis ità Fabritius. „ Sunt autem trunca corpora cum ſpoliis, quorum alterum thorace ſquamo- „ ſo indutum cum ornamentis militaribus, & clypeis ante ſe habens Juvenem ca- „ ptivum bracchiis ad tergum vinctis, & undique alatas victorias. Alterum ar- „ mis militaribus ornatum, inter quæ Clypei æqualitèr rotundi, galea aperta „ cum cono, & criſtis clauſa. In eodem ineſt forma clamydis, & alia quędam, „ quæ marmore detrito, & conſumpto cognoſci ſatis non poſſunt.

In eadem linea collocati ſunt duo Equi marmorei, & duo paritèr marmorea

mulachra virorum, qui injecta fręna tractant, æqualis figuræ, & statuarum inscriptiones subjectæ dicunt, illos esse Castorem, & Pollucem sic.

S. P. Q. R.
SIMVLACRA CASTORVM
RVDERIBVS IN THEATRO POMPEI
EGESTIS REPERTA RESTITVIT,
ET IN CAPITOLIO POSVIT.



GOMETIO QVATROCHIO, ASCANIO BVBALO CANCELLARIO,
VINCENTIO AMERICO, MANNECTO CONSERVATORIBVS.
ALEXANDRO IVVENALIO CAPITVM REGIONVM PRIORE.
A. CIƆ IƆ LXXXIII.

Ascensus, hic à parte Septentrionali mollitèr acclivis est, ab utroque latere Balaustis marmoreis ornatus, & ubi declivis est, habet duos Leones è lapide numidico, qui aquam in subjecta duo labra evomunt. In ędibus Senatoriis excipiuntur Excellentissimus Senator Urbis, duo Judices, qui vulgò nuncupantur Primus, & Secundus Collaterales. Utrique est in Aula suum Tribunal Juri dicendo. Item Judex, & Notarius Criminum, Carceres, tàm reorum, quàm debitorum si non solvant.

De statua equestri ænea in media area collocata, quàm Numisma XXV. ostendit in Paulo III. jam diximus.

XXVI. XXVII

ABLVTO AQVA VIRGINE AGONALIVM CRVORE.

Lib.6. c. 5. UT numismatis hujus lemma declaretur sciendum est, Forum in Urbe primarium esse, quòd dicitur à Latinis Agonale, eo in loco situm, ubi olim Circus erat juxtà opinionem Nardini. Agonale autem dicitur à ludis Agonalibus, quos mense Januario Romæ celebrari Varro præter cęteros tradit lib. 5. de Latin. ling. Ejus nominis non una, sed multiplex ratio assignatur, quorum nullam certissimam esse monet P. Donatus lib.3. cap.14. eam verissimam putat Lęlius Bisciola, quòd in re sacra facienda Victimarius, sivè Summus Sacerdos stricto jam in bestiæ cervicem gladio incumbens, Regem sacrorum soleret interrogare *Agon*? idest *Macto ne*, qui quidem ritus festæ diei nomen dedit, qui mos ex versibus Ovidii apparet primo Fast.6. (*Hor. subcess. lib.2. cap.2.*)

Nominis esse potest, succinctus causa Minister.
Hostia cælitibus, quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus Sanguine Cultros
Semper agat ne, rogat, nec nisi jussus agit.

Alias etiam rationes adducit idem Ovidius, primò quia Victimæ cum Agone trahebantur. Secundò dicebantur Agonalia, quasi Agnalia ab Agnis, qui mactabantur. Tertiò à dictione græca *Agonium*, ludum dixere, quia locus, in quo ludi primò facti sunt fuerit sine angulo.

Antias apud Macrobium lib. Saturnal. 1. cap. 4. Agonalium Ludorum repertorem Numam Pompilium refert, qui deinde singulis annis celebrabantur in Circo Agonali, quem Authores credunt extructum fuisse, seu saltem instauratum ab Alexandro Imperatore, qui vixit circà annum 230., cujus nummi talem Circum exprimunt.

Ut

Ut ut sit de nominis origine, certissimum est iis in ludis victimarum cruore, olim pollutum fuisse hunc locum, quas ethnica superstitio falsis Numinibus immolabat. Ipsum verò Forum pulcherrimè nobilitatum fuit ab Innocentio X. cum domos, quæ ejus rectam æqualitatem impediebant funditùs evertit, Fontes duos in utroque ejusdem capite surgentes expolivit, & aquis locupletavit, ipsorumque medium alium Fontem sed elegantissimum, & omnium, tum veterum, tùm recentium magnitudinem, & venustatem superantem construxit, advecta ex Aquæ Virginis rivo vndarum copia, cujus labentes undæ fœdissimum quodammodò antiquarum victimarum cruorem abluerent. Hunc Fontem repræsentant duo numismata à nobis expressa, sed antequam illum describamus aliqua maximè scitu digna sunt præmittenda.

Anno itaque 1649. Sapientissimus Pontifex Innocentius X. cum ad suprema Mundi gubernacula ascendisset, pręcelsas, dignasque Pontifice cogitationes pectore voluens Prædecessoris Sixti V. gloriosa vestigia secutus, ut Urbem jam diversorum Pontificum publicis operibus, fabricisque splendididissimis eximiæ nobilitatam, novo cumularet ornamento, & inter alia, quâ Sacra, quâ prophana, quibus in anni Jubilæi splendorem erigendis occupabatur, monumenta, Obelisci quoque destinavit erectionem. Initis itaque ultrò, citròque Consiliis præ ceteris, tandem Romæ Superstitibus partim terra obrutis, partim fœde deformatis, is tandem, quem olim in Circo suo Caracalla erexerat, secernitur, non sine Divina providentia, utpotè qui priscæ Religionis, cultusque Divini mysteria orthodoxæ Religioni haud quaquam absimilia contineret. Varia Architectorum ingenia extimulavit prudentissimus Pontifex, ut machinam, sive basim delinearent, supra quam talis Obeliscus pro dignitate posset assurgere, Equite Laurentio Bernino excluso, quamvis perspicacitate ingenii singularis in Urbe existeret, quemque Michaeli Angelo Bonarotæ, sive Sculptoriæ, sive Architectonicæ artis excellentiam spectes, (uti nobilissima, quibus Urbem ornavit opera satis demonstrant) penè supparem vocavit P. Athanasius Kircherius in Obelisco Pamphilio. Dum §. 3.
conatibus suis imperatam erectionem quisque moliebatur, Princeps Nicolaus Ludovisius, qui Pontificis Neptem in Uxorem duxerat, ideam à Bernino confici jussit, de qua hæc retulit D. Philippus Baldinuccius in ejus vita. *Il Principe Nicolò Ludovisio fatto il disegno dal Bernino, lo fece porre in una stanza di Casa Pansilia, ove un giorno della Santissima Annunciata il Papa era per desinare, e doppo pranso vedendo una sì bella idea, la giudicò ottima*, e disse, *chi non vuole porre in opera le cose del Bernino, bisogna non vederle.* Pag. 31.

Curam proinde totius operis commisit Pontifex Illustrissimo Domino Lucæ Torrigiano, Archiepiscopo Ravennati, qui uti erat judicio, & prudentia singulari, ità rebus hujusmodi in executionem deducendis vir sanè peridoneus, in Architectum verò elegit Berninum, cui fidelem manum adhibuit Ludovicus Berninus frater, fraternæ gloriæ strenuus æmulator; Locus denique erigendo Obelisco opportunus deligitur Forum Romanum, magnifico Pamphiliorum Pontificię Familiæ Palatio Illustre, pręterea frequentia Populi, nundinisque celeberrimum.

Rebus itaque hoc modò prudenter dispositis, mox Obeliscus in quinque diffractus partes è Circo Caracallæ summo labore erutus, cylindris impositus, ergatarum, aliarumque machinarum varia industria tractus, in constitutum locum transfertur. Et uti moles oppidò ponderosa, ità alta quoque, quibus imponeretur fundamenta postulabat, quibus jaciendis dum strenuè insistitur, interim in Obelisco, tam fœde deformato integritati suę restituendo impigre desudatur. Difficultas non exigua oriebatur in iis characteribus, qui deerant, fideliter reponendis. Nam hi, vel supplendi erant proprio ingenio excogitati, vel relinquenda in Obelisco spatia characteribus destituta, quorum priùs uti difficile, nè dicam temerarium, ità posteriùs Obelisco turpitudinem adferebat. Itaque ab Antiquitatum Peritis suasum fuit, ut cavea illa, ex qua Obeliscus erutus fuerat, novo scrutinio exploraretur. Siquidem partes, tàm nobiles, adhuc terra obrutas latitare credebant, quod dum improbo labore tentatur, tandem omnia fragmenta non sine singulari Dei dispositione inventa sunt. Verùm cum hæc Obelisci corres- *Kircherius* §. 3.

pondentibus faciebus sine summa deformatione aptè coagmentari non possent, prudentia Architecti effectum est, ut in eorum loca fragmenta ex eodem lapide Pyrite industria inserta, Obeliscum suæ integritati restituerent. Interim P. Athanasii Kircherii Soc. Jesu in Scientia Ægyptiorum peritissimi partes fuerunt, singulis sua hieroglifica genuina ex antiquis fragmentis excerpta, assignare, & insculpenda tradere, eluxit propterea in coagmentandis partibus singulare Architecti ingenium, dum partes sine ullis ferreis retinaculis connexuit, ut ex unico Saxo confectus Obeliscus videretur. Interea fundamenti mole ex imò ad extimam usque terræ superficiem in tricenum pedum altitudinem sub ovali forma emergente, alia ad ornamentum moli conciliandum præparantur. Placuit proindè Obeliscum supra Fontem in rupis formam excavatum exaltare, ut celeberrimus in Urbe locus haberet cum ornamento utilitatem.

In hoc enim Foro Agonali omni hebdomada singulis quartis feriis Emporium est rerum Venalium, quod antea sub Capitolio haberi consueverat; Cœptum illud fuerat mense Septembris sub Sixto IV. anno 1477. decreto Senatus Populiq; Romani, procurante Cardinale Rothomagense Sacræ Romanę Ecclesiæ Camerario. Quod etiam confirmat in suis Diariis Stephanus Infessura his verbis. „ L'anno „ 1477. essendo più volte ordinato lo Consiglio nello Palazzo delli Conservato- „ ri, che se dovesse fare lo Mercato di Mercordì nella piazza di Nagone, tandem „ lo detto Mercato fo cominciato à dì 3. di Settembre di detto Anno.

Ciaccon. in texto.

Supra hanc itaque rupem basis fulcimento substrato, per partes quatuor Ergatarum ope Obeliscus extollitur. In Fulcimento cubica figura expolito viginti tribus palmis alto, has quatuor inscriptiones aureis characteribus exaratas excudi jussisse Innocentium, asserit supracitatus Pater Athanasius Kircherius, quas recenset his verbis.

Ibidem.


INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
OBELISCO ÆGYPTIO QVATERNIS FONTIBVS
EX AQVA VIRGINE DEDVCTIS IMPOSITO
NATALI DOMO PAMPHILIA MAIOREM
IN AMPLITVDINEM EXTRVCTA
AGONALE FORVM AMPLIFICATVM EXORNAVIT
VRBI ROMÆ MAIESTATEM ANTIQVÆ
PVLCHRITVDINIS AEMVLAM
RESTITVIT.

In parte Meridionali.

HERMETICVM OBELISCVM
A SOTHI REGE HELIOPOLI ERECTVM
AB IMPERATORE CARACALLA ROMAM DELATVM
INTER CIRCI CASTRENSIS RVDERA
IACENTEM, FRACTVMQVE
INNOCENTIVS X. P. M.
AD ORNANDVM ERVDITIS ÆGYPTIORVM
MYSTERIIS AQVÆ VIRGINIS FONTEM
TRANSTVLIT, INSTAVRAVIT, EREXIT.


In al-

pag. 636.



OBELISCI AB INNOCENTIO X IN FORO AGONALI ERECTI

PARS ORIENTEM ET MERIDIẼ RESPICIENS



OBELISCI AB INNOCENTIO X IN FORO AGONALI ERECTI
PARS ALTERA OCCIDENTEM ET BOREAM RESPICIENS

In altera verò Obelisci Occidentali parte.

INNOCENTIVS X. P. O. M.
AMOENAM SALVBRITATEM CVM MAGNIFICENTIA
ERVDITIONE CONIVNGENS
LITERATVM HERMETICIS ENIGMATIS LAPIDEM
AQVÆ VIRGINIS FONTI IMPOSVIT
AD SEDANDAM CORPORVM,
ET ACVENDAM INGENIORVM
SITIM.


Tandem in Septentrionali Obelisci parte.

SVPER MONSTRA ÆGYPTIA AVREA
INSIDET COLVMBA
HOC EST SVPERSTITIOSAS SECTAS VERA
CALCAT RELIGIO
QVÆ PACIS OLEAM GESTANS
VIRTVTVM LILIIS REDIMITA
OBELISCVM PRO TROPHÆO SIBI STATVENS
ROMÆ TRIVMPHAT.

Hæ sunt inscriptiones relatæ à Kircherio: Pater verò Oldoinus in Vita Innocentii X. aliàs exponit, suntque hujusmodi. *Col.650.*

Ad Meridiem.

INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
NILOTICIS ÆNIGMATIBVS EXARATVM LAPIDEM
AMNIBVS SVPERLABENTIBVS IMPOSVIT
VT SALVBREM
SPATIANTIBVS AMOENITATEM
SITIENTIBVS POTVM
MEDITANTIBVS ESCAM
MAGNIFICE LARGIRETVR.



Ad

Ad Orientem.

NOXIA ÆGYPTIORVM MONSTRA
INNOCENS PREMIT COLVMBA,
QVÆ PACIS OLEAM GESTANS,
ET VIRTVTVM LILIIS REDIMITA
OBELISCVM PRO TROPHÆO SIBI STATVENS
ROMÆ TRIVMPHAT.

Ad Occidentem.

INNOCENTIVS X. P. MAX.
NATALI DOMO PAMPHILIA
OPERE, VVLTVQVE AMPLIFICATA
LIBERAQVE IN OPPOTVNIS AEDIFICIIS
AGONALI AREA
FORVM VRBIS CELEBERRIMVM
MVLTIPLICI MAIESTATIS INCREMENTO
NOBILITAVIT.

Ad Septentrionem.

OBELISCVM
AB IMPERATORE ANTONINO CARACALLA
ROMAM ADVECTVM
CVM INTER CIRCI CASTRENSIS RVDERA
CONFRACTVS DIV IACVISSET
INNOCENTIVS X.
PONT. OPT. MAX.
AD FONTIS, FORIQVE ORNAMENTVM
TRANSTVLIT, INSTAVRAVIT,
EREXIT
ANNO SALVTIS M DC LI.
PONTIF. VII.

Hæ inſcriptiones viſuntur in intermedio Abaco inſculptæ, non illę, quas è Kircherio retulimus, quamvis eleganti, ac erudito Calamo ſint exaratæ. Cur autem non fuerint inſculptæ ex ullo documento ediſcere non potui. Fuerunt præterea, & aliorum quorumdam in tâm nobile, & conſpicuum opus ingeniorum luſus, quorum hic nonnullos apponere placuit ex Kircherio acceptos.

INNO-


INNOCENTIVS X.
CVM ANNO INSTAVRANDÆ IVSTITIÆ
SACRO EX VNO VIRGINIS AQVÆ FONTE
QVATVOR EFFVDIT FLVVIOS
ANTIQVI PARADISI,
HOC EST IVSTITIÆ SPECIMEN EXHIBET,
ET SÆCVLVM RENOVAT.



INNOCENTIVS DECIMVS
QVATERNIS AQVÆ VIRGINIS FONTIBVS
AD ORNATVM,
ET COMMODA VRBIS APERTIS
MAGNIFICENTIAM PONTIFICIAM
SVPERINDVCTIS REGVM ÆGYPTIORVM
ARCANIS PATEFECIT.

In rupis verò Obelisco subjectæ quadripartitis lateribus totidem inferi voluit Pontifex Colossos vario symbolorum apparatu insignitos, qui quadripartitam Mundi faciem symbolis suis exhiberent. Illa enim quatuor Mundi regionum Flumina repræsentant, quæ suas corrivare videntur aquas, tanquàm in obsequium Pontificis. Europam Danubius, Ganges Asiam, Africam Nilus, Americam Fluvius ab Argento nuncupatus notat, & sua unaquæq; Regio symbola, vel Animalium, vel Plantarum, vel Mineralium præfert, ut se ab aliis invicem distinguat. Danubius Cornupiæ sustinet floribus, fructibusque repletum juxtà Cedri plantam suas aquas emanat, quas Delphinus ore aperto ingurgitat. Ganges Remum tractat, Serpente circumdatum. Nilus prope Palmam, & Leonem capite obvelato suam originem antiquis ignotam denotat. Flumen argenteum Americæ simulachrum exhibet cum margaritis ex auribus pendentibus, & cruribus adamantibus exornatis. Rupem hanc suo Scalpro Berninus exculpsit; Nilum Jacobus Antonius Fancellus; Gangem quidam Gallus, cui nomen Adam; Danubium Andręas, vulgò *il Lombardo*: ultimum Americæ Franciscus Baratta, omnium Scalpros dirigente Bernino. Aquas decidentes ampla recipit Concha, cujus diameter octoginta circitèr palmis absolvitur. In ejus centro tota moles assurgit, quæ Obeliscum sustentat, palmis octoginta extensum. In hujus apice æneum additamentum est palmorum decem. Globum impositum illi esse numisma ostendit, verùm ex arbitrio Sculptoris, nam sola Columba cum Olivarum ramo inest Pamphiliæ Stirpis insigne, non sine consilio ab Architecto imposita, ut nempè in hoc Pacis symbolo perenne monumentum extaret pacis à prudentissimo Pontifice inter Reges stabilitæ, ut suprà indicavimus. Oliva enim Pacem indicat, ut illæ cecinit *Paciferæque manu ramum prætendit Oliva*; quamobrem refert Valfridus cap.22., Divum Gregorium Magnum oleum benedictum Cereis numismatibus addidisse.

Apud Turgium pag. 334.



INNO-

❦ XXVIII ❦

INNOCENTIVS X. PONT. MAX.

CIrcumdat hæc inſcriptio Portum Centumcellarum in numiſmate exculptum cum aliquot navigiis. Illud monimentum eſſe Triremium, quas Camillus Cardinalis Pamphilius Pontificis nepos fabricari curavit, exiſtimo, ſcribente Oldoino in ejus vita. Col. 667. *Erecto ad ſolium Innocentio X. Camillus nepos Copiarum S. R. E. Generalis Dux renunciatus Centumcellis uſum conſtruendarum Triremium primus induxit*. Olim enim, vel Romæ conſtruebantur, vel abundè coemptæ ad Centumcellenſem Portam reducebantur.

❦ XXIX ❦

IESVS, ET MARIA SINT NOBIS IN VIA.

NUmiſma, quod dici poteſt votivum, ſeu ex motivo Religionis percuſſum non publica Principis authoritate, ſed aliorum. Jeſu, & Mariæ imagines præfert, quorum auxilium imploratur. Quo anno vulgatum fuerit nulla temporis nota indicat, fortaſſe anno quinquageſimo, cum Peregrini Sacras Ædes à Pontifice præſcriptas ad Jubilæum impetrandum viſitabant, vel ad ſuas Patrias revertebantur. Atque hæc ſunt numiſmata, quæ hucuſque potui reperire effigie Innocentii X. obſignata.



ALEXAN-

I



II



III



IIII



V



VI



VII



VIII



IX



X



XI



XII



XIII



XIV



XV



XVI



XVII



XVIII



XIX



XX



ALEXANDRI VII. NUMISMATA.



❦ I ❦

ALEXANDER VII. PONTIFEX MAXIMVS.



MORTVO Innocentio X. eique novendialibus exequiis de more persolutis die septima Aprilis anni 1655. Fabius Chisius omnibus Cardinalium Suffragiis renunciatus est Pont. Max. Alexandri VII. nomine assumpto; Munera ab illo exercita ante Pontificatum enarrat Pater Oldoinus. Die 18. Aprilis ante Fores Vaticanæ Basilicæ de more Coronatus eadem die adiit possessionem Ecclesiæ Lateranensis, nullumque prætermissum est, vel ab eo erga Populum Romanum regiæ beneficientiæ, & paternæ charitatis argumentum, vel à Populo Romano ullum Officii genus, quo filialem suam in ipsum observantiam, & susceptum de ejus Pontificatu gaudium aperiret. *Col.* 708.

Eadem die apposita sunt in Capitolio sequentia de Alexandro Elogia. Ad Septimii marmoream molem in fronte, quæ Capitolium ipsum respicit tale Populus Romanus descripserat.

TRIVMPHALEM HANC SEPTIMII CAES. MOLEM.
ALEXANDER VII. PONT. OPT. MAX.
NOMINE, ET VIRTVTIBVS CONSECRAT
VTERQVE IN LEGATIONE GERMANICA FAMAM CVMVLAVIT,
SED EX EA SANGVINEM ILLE HAVSIT
HIC PVRPVRAM
VTERQVE MORI DIDICIT ANTE MORTEM, VT VIVERE DOCERET
VRNAM ILLE SEPVLCHRALEM SVAM MORITVRVS ATTRECTANS
TV CAPIES, INQVIT, QVEM ORBIS TERRÆ NON CAPIT
HIC LOCVLVM SIBI STRVCTVM APVD SE HABENS EO METITVR
MAGNITVDINEM SVAM
AT ILLE SERO SAPIENS NIHIL PROFECIT,
HIC PLVRIMVM SIBI, ALIISQVE
QVIA MATVRE'.

In altera ejusdem Molis facie, Foro Boario obvia.

GRATVLARE TIBI ROMA
IN VNO ALEXANDRO VII.
PLVRES REDDITOS MELIORIS NOTÆ PONTIFICES.
BENEDICTVM III. DVM ADORABATVR, ET FLEBAT
INNOCENTIVM IX. MORTIS COMMENTATIONE PRIMA CVRARVM
PIVM II. VIRTVTVM, AC LITTERARVM PATROCINIO,
PIVM V. SANCTIMONIA VITÆ,
ALEXANDRVM II. MERCATVRAM ECCLESIASTICAM ARCENDO,
ALEXANDRVM V. PROPTER EGENOS EGENDO
IN HIS DEI VICARIVS, ET DEVM AGNOSCE IN CAPACISSIMA
INTELLIGENTIA, MEMORIA, SEDVLITATE
VNIVERSA, ET SINGVLA COMPLECTENTIBVS.

In Titi verò Arcus fronte ad ipsum Boarium Forum.


ALEXANDRVM VII. PONT. OPT. MAX.
DIV SVSPIRAVIT CHRISTIANA RESPVBLICA
TANTÆ MOLIS ERAT MVNDO CAPVT IMPONERE,
CVI SE SE SPONTE MAIESTAS HVMANA OMNIS INCLINARET.
VT ELIGERETVR DESIDERATVS CVNCTIS GENTIBVS
COLLIGENDA EX TOTO TERRARVM ORBE SVFFRAGIA
LONGA EXPECTATIONE MERENDVS TALIS PONTIFEX
QVALES NON QVOTIDIE NASCVNTVR
NON SINGVLI DIES PARIVNT ALEXANDROS.

In altera, quæ ad ejusdem Titi Amphiteatrum vergit.

CEDE TITE ALEXANDRO
SVPRA CAESAREM PONTIFEX
VERIVS HIC AMOR, ET DELITIÆ GENERIS HVMANI,
ET HVIC FORMA, CVI NON MINVS INSIT AVSTERITATIS,
QVAM PATRIÆ,
ET HIC IN GERMANIA REM GESSIT SVMMA INDVSTRIA
MODESTIA, FAMA
HVIC DEMVM APTIVS, QVAM SIBI SVVM ILLVD ELOGIVM
PONTIFICATVM MAXIMVM, IDEO SE PROFESSVS ACCIPERE
VT PVRAS SERVARET MANVS.

Supra Fores Lateranensis Basilicæ hæ notæ legebantur.

ALEXANDRVM VII.
SPONSVM SVVM A DEO DATVM
SACROSANCTA LATERANENSIS ECCLESIA LÆTANTER EXCIPIT.





II

OMNIA AB VNO, OMNIA AD VNVM.

Numisma se offert admodum rarum. Vix enim ejus generis quatuor, aut quinque reperiuntur cusa, cum calybea ejus forma statim diffracta fuerit, nec iterùm efformata. Lemmate in eo exculpto fassus est Sapientissimus Pontifex dignitatem Pontificiam à Deo sibi collatam, nihilque sibi tribuens ipsi Deo omnia bona referebat. Deus enim optimè in Mare exprimitur, ad quod Flumina revertuntur unde exeunt. Appositè etiam in triangulo æquilatero, quod in numismate apparet. Ferè simile huic protulit ex Musæo Sanctæ Genuefæ P. Molinetus, in quo triangulum cum nomine hebræo Jeova, Divinæ Triadis symbolum. Numerus enim ternarius ex Euclide à nullo mensuratur, & primus ex imparibus inter immensurabiles existit. Dicitur atque est Deus *Monas*, sivè Unus, quod sicut Unus numerorum omnium Fons, & Origo à Philosophis dicitur, sic apud Divinarum rerum interpetres Deum ipsum optimum primum omnium Fontem, & originem notat, imò sicuti Monas initium cum sit, principium nescit, non aliter, ac suprema illa Substantia è nullo nata, vicibusque temporum non subjecta, in una, quæ semper adest æternitate consistit, cumque numerabilis non sit, tamen Divinas in se personas continet, innumerasque rerum species extrinsecus creat, atque producit: Divina enim essentia omninò aliena è multiplici substantię ratione simplicissimum naturæ sortitur modum, & cum se personis Divinis communicat, nullum tamen init cum suæ naturæ Unitate divortium, sed ubique integra, &

pag. 138.

gra, & ſemper individua perſeverat. Prædicatur Monas ipſa præcipuè de Ternario, nec ulli magis aptè, vel intimè Monas æternæ Subſtantiæ jungitur, quàm ternario Divinarum perſonarum. Alias Unitatis perfectiones Deum ipſum explicantes recenſet Joannes Caſtillioneus in Antiquitatibus Mediolanenſibus Faſciculo partis primæ. Latentia etiam in Monade Divinæ naturæ myſteria, nec non in Divinarum Triade perſonarum comprehenſa à Magno Gregorio Taumaturgo demonſtrata ſunt ex oratione, quàm de ejus vita Gregorius Niſſenus habuit his verbis. „ Unus eſt Deus Pater Verbi viventis, Sapientia ſubſiſtentis, & Potentiæ „ figuræ æternæ. Perfectus perfecti Genitor, Pater Filii Unigeniti, Unus Dominus, Solus ex ſolo, Deus de Deo, figura, & imago Deitatis, Verbum efficax, „ Sapientia conſtitutionis rerum univerſarum comprehenſiva, & potentiæ totius „ creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris, Viſum effugiens. Viſum effugientis, & corruptioni non obnoxius non obnoxii corruptioni, & morti non obnoxius non obnoxii morti, & æternus æterni. Unus Spiritus Sanctus ex Deo „ ortum, & exiſtentiam habens, quique per Filium apparuit, videlicèt hominibus. Imago Filii perfectio perfecta, Vita viventium Cauſa, Fons Sanctus, Sanctitas Sanctificationis ſuppeditatrix, per quem manifeſtatur Deus Pater, qui „ eſt ſuper omnia, & in omnibus, & Deus Filius, qui per omnia permanet. Trinitas perfecta, quæ gloria, atque æternitate, & regno non dividitur, neque „ abalienatur.

III

VIVO EGO IAM NON EGO.

CHriſti Redemptoris imaginem Alexander in numiſmate affinxit, quod die poſſeſſionis in Baſilica Lateranenſi Eminentiſſimis Cardinalibus, aliiſque Magnatibus diſtribuit, adjecto lemmate ex cap. Divi Pauli ad Galatas accepto. VIVO EGO IAM NON EGO. In oppoſita verò parte circa ſuam imaginem addidit reliqua verba. *Vivit verò in me Chriſtus*. Voluit profecto ſignificare ſe Vicaria Dei poteſtate in terris dotatum, non ſibi ampliùs vivere debere, ſed aliis, neque alio Spiritu agi, niſi Divino. Hæc eadem verba uſurpans D. Paterius ſic explicabat. *Ego quidem à me ipſo æſtimatus ſum, quia carnaliter non vivo, ſed tamen eſſentialitèr non ſum mortuus, quoniam in Chriſto ſpiritualiter vivo.*

IV

TV DOMINVS, ET MAGISTER.

VErba Divi Petri relata à Sancto Joanne cap.13. admirantis Summam Sui Præceptoris animi demiſſionem in pluribus aliis numiſmatis legimus, in quibus pedum lotionem à Chriſto factam quotannis ſolent Pontifices exprimere, illud proindè caret temporis nota, nec aliquid à nobis addendum eſt.

V

PAX VOBIS.

NUmiſma votivum, in quo Redemptorem Pacem impertientem cudit Alexander, ut eo toti Orbi Chriſtiano ſignificaret, Pacem inter Principes bella gerentes à ſe ſummè expeti, totiſque viribus procurari.

VI

IVSTITIA, ET PAX OSCVLATAE SVNT.

JUſtitiam, & Pacem ſeſe invicem oſculantes, etiam in aliis numiſmatis vidimus, ac de eorum indumentis, & inſigniis ſatis ediximus earum expreſſione indicare voluit, ni fallor, Sapientiſſimus Pontifex, Populos optimè regi à Principe juſto, cum ex Juſtitia quies naſcatur.

VII

DA PACEM DOMINE IN DIEBVS NOSTRIS.

POſt cuſum anno 1655. ſuperiùs nnmiſma anno inſequenti 1656. aliud publicavit, in quo frons Templi Beatæ Virgini Romæ dicati apparet, quod dicitur *à Pace*. Illud primò excitavit Sixtus IV. nec planè abſolutum Innocentio VIII. perficiendum reliquit. Eì poſtea (narrante Donato) Rivaldi ap-
Lib.4.c.8. ſidem cum ara Principe adjecerunt, egregiis picturarum, & marmorum operibus inſtructam. Hoc templum Alexander, cum Pacem ſummè deſideraret inter Chriſtianos, plurimas preces Deo fundens, ut præſidium Deiparæ mœreretur, ſe reparaturum novit, ſtatimque manum admovit, cum inter Reges eſt pax publicata, ut patet in inſcriptione Foribus Templi exornati intrà Eccleſiam.

VIRGINI PACIS
VOTA PRO ORBIS CHRISTIANI CONCORDIA,
AC TRANQVILLITATE DVDVM SVSCEPTA,
ÆDE ILLIVS AVCTA, ET EXORNATA
ALEX. VII. PONT. MAX.
SVPPLEX REPETIT.
ANNO M DC LVI. PONT. II.

In valuis externis.

QVOD VOTIS REPETITIS
AD CHRISTIANÆ REIPVBLICÆ TRANQVILLITATEM CÆLITVS
IMPETRATAM
TEMPLVM MAGNÆ VIRGINI PACIS
ARBITRÆ A SIXTO IV. ERECTVM INSTAVRAVERIT
SACELLIS ILLVSTRATIS, ET MAGNIFICENTIVS EXCVLTIS
EXCITATA PORTICV, ET NOBILIORE FRONTE AREA,
VIISQVE AMPLIFICATIS AVXERIT, ORNAVERIT
D. CONSTANTINVS DE RAPHAELLIS, ABBAS, ET PROCVRATOR
GENERALIS, ET CANONICI REGVLARES LATERANENSES
PARENTI BENEFICENTISSIMO
ANNO SALVTIS M DC LVII.

Plurima egerat Alexander, ut Pax illa à Deipara obtineret, ultrà preces aſſiduas initio ſui Pontificatus omnem lapidem movit repetitis Legationibus, ut Gallos, & Hiſpanos reconciliaret. Tandem cum miſſi fuerint Cardinalis Mazarinus, & D. Aloyſius de Aros ad Inſulam Phaſianorum in Fluvio Vidaſna inter Irum, & Andajam inter duo Regna ſitam, juxtà delineationem Romę vulgatam typis Franciſci Collignoni poſt varia inter ipſos colloquia Pax firmata fuit anno 1659. Qua de re per Epiſtolas Nuncio ad Urbem delato, Orator Hiſpaniarum die Dominica 14. Novembris hora 22. adivit Summum Pontificem. ſicuti etiam aliqui Cardinales,

nales, intrà quos Antonius Barberinus, qui certiorem fecerunt Pontificem de Pace. At quia Pontifex non receperat litteras Regis, non decantatum fuit *Te Deum*, nec facta signa publica lætitiæ. Pontifex tamen die Jovis cum 13. Cardinalibus adivit Ecclesiam Deiparæ de Pace, ibique Sacrum celebravit in gratiarum actionem, eodemque tempore in Arce Sancti Angeli bombardarum strepitu signa lætitiæ data sunt. *Ex Diariis Ill Cartarii*

Die autem tertia Martii ejusdem anni Cardinalis Antonius Barberinus cum Domino de Bertet, Secretario Regis, qui fuerat missus cum Epistolis Regis utriusque, sociatus à triginta Prælatis, & curribus ultra centum adivit Pontificem, & exposuit pacem firmatam, petiitque dispensationem prò matrimonio Regis, quare die 25. facti sunt ignes festivi, & die 25. Pontifex ivit ad Templum Sanctæ Mariæ de Pace cum solemni æquitatu, ibique præsens fuit sacro solemni, quod Cardinalis Chisius celebravit, & in fine Missæ Pontifex exorsus est Hymnum *Te Deum*, quod Cantores prosecuti fuerunt cum tubarum clangore, & bombardarum strepitu in platea, & Arce Sancti Angeli. Hora deindè noctis facti fuere ignes festivi. Die 26. cantatum fuit *Te Deum* eodem tempore in Ecclesia Sancti Ludovici Nationis Gallicanæ, & Sancti Jacobi Nationis Hispanicæ, à prandio autem Cardinales Galli iverunt ad Templum Sancti Jacobi, & Hispani ad Sancti Ludovici, ita pariter Oratores Regii. Fuit impressa à Francisco Moneta relatio ejus celebritatis, in qua refertur Templum Pacis undequaq; sericis peripetasmatis circumtectum fuisse auro ditatis. Suprà ejus januam numisma auro obductum imminebat ramis olivarum circumdatum, in quò signia Religionis, & Pacis adjecta inscriptione *Ibidem.*

FOEDERE IVRATÆ CHRISTI SVB AMORE SORORES.

Hujus rei monumentum in Castro Doloris post mortem Pontificis Alexandri erecto, aureis litteris legebatur expressum.

APERTVM TOT ANNIS
IANI TEMPLVM PACIFICVS ALEXANDER
INGENIOSA PIETATE
TANDEM CLAVSIT NOBILITATO TEMPLO,
QVOD VIRGINI, AC PACI DICATVM EST.
SOLA DEIPARA BELLONAM FVGAT.

In Porticu Templi ab Alexandro extructa in latere dextero hæc sunt inscripta.

SVSCIPIANT MONTES PACEM,
ET COLLES IVSTITIAM
ERIT OPVS IVSTITIÆ PAX,
ET CVLTVS IVSTITIÆ
SILENTIVM,
ET SECVRITAS, VSQVE
IN SEMPITERNVM.

In sinistro autem.

ORIETVR IN DIEBVS NOSTRIS
IVSTITIA, ET ABVNDANTIA
PACIS,
DONEC AVFERATVR LVNA.

ASSA-

VIII


ASSAGIVM GENERALE.

TAle Numiſma explicuimus in Gregorio XV. & Urbano VIII. Hic iterum exprimitur cum imagine Alexandri VII. quòd ejus Pontificatus Anno primo vulgatum fuerit conflatum ex auro, & argento, ex moneta probata annis antecedentibus accepto, & ad eum finem ſervato. Hujuſmodi numiſmatibus percuſſis ſolent ex jis aliquot diſtribui, videlicet duo aurea, & duo argentea Illuſtriſſimis Theſaurario, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Pręſidenti monetarum, Decano Clericorum Cameralium, & Urbis Gubernatori una aurea, aliaque argentea Illuſtriſſimis Præſulibus Clericis Cameræ, ejus Regenti, ejus Fiſcali, Pauperum Aduocato, Camerę Commiſſario, Subcommiſſario, Auditori Theſaurarii, Auditori Præſidentis. Gubernatori Officinę monetariæ, aliiſque Pontificiis Adminiſtris. ſuggerit ulterius numiſma officinas monetarias ab Alexandro extructas propè Vaticanos hortos, in quibus decidentium aquarum effluvio rota perpetuo circumacta Inſtrumenta Calibea movet, à quibus mira facilitate quæcumque monetarum genera brevi temporis ſpatio elegantiſſimè perficiuntur, quæ ante acto tempore non niſi magno labore iteratis malleorum ictibus cudebantur ſingulis enim diebus unicus operarius artificioſis rotis præſidens, monetam argenteam obtinet mille ſcutorum, ſi ejus generis ſit, quæ dicitur *Teſtone*, ſi verò ex Juliis conſtet tertiam partem millenarii æquabit, cum autèm ſcuta integra imprimuntur vulgo *Piaſtre*, ſingulis diebus quatuor mille, & quingenta ſcuta perficiuntur. A ſingulis deindè monetis efformatis partes adimuntur ſuperfluæ, ut cum pondere à Principe præſcripto publicentur, quod utinam ab improbis furto non minueretur cum ingenti Principum, & populorum jactura.

Huic damno pluribus in locis conſultum ingenioſo artificio eſt; imprimuntur enim in circulari craſſitie cujuſque monetæ aliquot vel ſigna, vel verba, quibus ademptis, illico moneta interdicta intelligitur. Hoc æque pulchrum, ac utile artificium primus omnium in ſuis monetis publicaſſe fertur anno 1658. Cromuel in Anglia his verbis in circulo exculptis. *Has niſi periturus mihi adimat, nemo*.

Extat in fronte Ædium, quas Alexander ad cudendam monetam extruxit ſequens inſcriptio marmori inciſa.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
MONETARIAM OFFICINAM
IN QVA NOVO ARTIFICIO
PRÆCIPITIS AQVÆ IMPVLSV VERSATIS ROTIS
MAGNO TEMPORIS, OPERÆQVE COMPENDIO
NVMMI AFFABRE, CELERITERQVE SIGNENTVR
PVBLICÆ VTILITATI CONSTRVXIT
ANNO SALVTIS M DC LXV.



IX

FAELICI, FAVSTOQVE INGRESSVI.

Donat. lib. 4. cap.

POrtam exibet Numiſma, quam Flaminiam dicunt à via Flaminia, ut enarravimus in Pio IV. ſeù Populi, ab Æde, quam Populus Romanus Beatæ Virgini condidit poſtquam Paſchalis II. locum repurgavit, quem funeſtare credebantur cineres Neronis.

Talem


pag. 645
PORTA FLAMINIA A PIO IV APERTA
AB ALEXANDRO VII EXORNATA.
Alexander Specchi incidit

Talem Portam sub Pio IV. Michael Angelus Bonarota delineavit, Jacobus autem Barozius perfecit, sed cum multæ ejus partes jàm penè collapsæ viderentur, Alexander VII. totius Urbis ad ornatum incumbens, illam exornavit. Plurimas ornatus ideas excogitavit Equitis Bernini ingenium, ut Pontificis mentem impleret, quas in Bibliotheca Excellentissimi Principis Chisii collocatas vidi, sed omnibus rejectis ea sunt addita ornamenta, quæ in numismate exprimuntur, scilicet partes coronidi imminentes cum montibus, & sydere, Chisiæ gentis insignibus, sub montibus pendent contextus e quercinis frondibus, & frumenti spicis, quibus & stemmata exprimuntur Pontificis, & Cristinæ Suecorum Reginæ. Cujus in Urbem ingressum frequenti equitatu numisma indicat cum lemmate FOELICI, FAVSTOQVE INGRESSVI. Quę verba exculpta suprà januam exibet tabula marmorea, perenne tum Alexandri VII. tùm Suecorum Reginæ monumentum. Illam cum Regina Saba contulit Joannes Baptista Palatius his verbis *Regina Saba, quæ ad audiendam sapientiam Salomonis, Christina est, Regina Suecorum, ad Alexandrum VII. se contulit, ut fidem audiret Catholicam.*

Balleon in eius vita pag. 8.

Ibidem pag. 107.

In emblemate ad vitam Alexandri.

Illam, ait Oldoinus, *ejurata Hæresi lutherana, abdicatoque Regno Catholicam Fidem amplexam ad Urbem invitavit Alexander.* Ejus adventum, Faustumque in Urbem ingressum descripsit Galeazzus Gualdus pag. 259. Nos hic ea referemus, quę recensuit in suis Diaris M. S. Illustrissimus Cartarus Advocatorum Consistorialium Decanus in latinum idioma translata.

Col. 710.

„ Postquam Christina Suecorum Regina Gustavi Adolphi Regis filia, Catholicæ Religionis veritate cognita suum Romanæ Ecclesiæ nomen dare decrevisset, ac mentem suam apperuisset, tùm Innocentio X. Summo Pontifici, tùm Hispaniarum Regi Philippo IV. anno 1654. nocte Dominicæ Nativitati sacra aliquibus domesticis Lutheri errores abjuravit. Mortuo Innocentio Alexander VII. in Urbem, tanquam in Ecclesiæ gremium illam inuitavit, misso obviam Luca Holstenio Amburgensi, viro omni eruditionis genere exculto, uti ad fæminam literis quoque, ingenioque clarissimam, ad fines usque Germaniæ. Illa iter Romam versus ingressa regio planè honore, apparatuque, quatuor Nuntios Apostolicos præmisit, videlicet. Annibalem Bentivolum, Archiepiscopum Thebanum, Lucam Turrigianum Archiepiscopum Ravennatensem Innicum Caracciolum Clericorum Cameræ Apostolicæ Decanum, ac Philippum Cæsarinum, Clericum ejusdem Cameræ. Hi cum Servantio Cæremoniarum Pontificio Magistro illam Ferrariæ nomine Pontificis exceperunt simùl cum Ferrariensi Legato, & Episcopo, deindè Bononiam profecta, ibique sacris actionibus repræsentatis recreata, Lauretum petiit, & ad pedes Beatissimæ Virginis provoluta, lachrimasque profundens regalem Coronam obtulit cum Sceptro, quod treceenti sexaginta octo adamantes, & centum sexaginta Carbunculi exornabant. In reliquo Romam usque itinere Urbium Gubernatores Pontificis expensis illam magnificè exceperunt. Interim duo Legati à latere idest Eminentissimus Joannes Carolus Mediceus, Magni Ducis Etruriæ Frater, Federicus Landgravius Diaconi Cardinales obviam euntes duodecim ab Urbe milliariis salutarunt, nobilique comitatu in Urbem deduxere in hunc ordinem distributo.

Aciem totam ducebant quatuor Tibicines cum timpanista, equis insidentes, quos sequebatur militum loricatorum centuria, octo deinde alii Tibicines, octoque honorarii Ephebi cum turba nobilium equitum legatos comitantium: in ea sexdecim Proceres titulis insigniti, quorum singulos famuli octo sericis, variisque vestibus exornati sequebantur. Post hos equitabat D. Carcarasius Secundus Cæremoniarum Magister quatuor famulis Stipatus. Deindè duo Cardinales Legati cum octo Pręsulibus, quibus succedebant plurimi levis armaturę Milites. Videbantur postea duæ Legatorum Nobilissimę Rhędę, quarum singulas sex equi trahebant, his jungebantur aliæ duodecim atque aliæ sexdecim, quas viri magnates possidebant, Reginam demùm cum suo Regio comitatu hora secunda noctis Urbem ingressam in ædibus Vaticanis Alexander Pontifex excepit, ubi post osculum pedis sedens in Scamno deaurato pulvinari ex villoso serico aureis floccis exornato quadrantis spatio cum Pontifice collocuta est, deindè aliquot Episcopi Cardinales

Ponti-

Pontificis Affiftentes ad Cubicula illam deduxere apparatu fermè Regio exornata.

Fuit deindè indicta folemnis equitatus Pompa, qua eadem Regina publicè ingreffura erat Urbem, ut feftivos totius Populi plaufus exciperet, fimulque illi oblectamento effet. Ob id privatim fe contulit ad Villam, quam juxtà Viam Flaminiam Julius III. extruxerat, ibique primùm munera Pontificia recepit, fcilicèt Equum optimè phaleratum, Sedem undequaque laminis criftallinis circumtectam, Lecticam Mulis fuftentatam, & currum fex equis vectum. Omnia hęc Villofum fericum colore cianeo imbutum exornabat, teniis additis ex argento textili efformatis, poftea fequenti ordine Romam versùs Equitatus inceffit. Agmen ducebant Tibicines, & Timpaniftæ, in quo Centuria militum loricatorum, aliæque Centuria militum breves fclopos manu tenentium cum rubeis indumentis, quæ quatuor crucibus è nigro ferico panno, auro circumdatis decorabantur, altera fupra pectus, fupra dorfum altera, reliquis duabus in pendentibus hinc indè manicis appofitis. Tertiò loco duodecim Muli Sarcinas regias deferentes, quas rubra ferica vela tegebant aureis laciniis ditata, argenteæ illis è collo pendebant campanulæ, argenteaque frȩna, plumæque ex argenteis bracteolis efficta capiti imminebant. Quartò aliquot equi manu Famulorum ducti pretiofis phaleris ornati. Quintò aliquot Viri nobiles fine ullo ordine equitabant. Sextò poft hos Populi Romani Tibicines. Septimò octo nobiles Ephebi Cardinalium Legatorum, pretiofiffimis ejufdem formæ veftibus induti. Octavò Viri argenteas clavas Cardinalium deferentes. Nono Caudatarii eorumdem vefte violacea circumtecti. Decimò copiofa nobilium Magnatum, ac Principum Romanorum caterva, quorum fingulos plerique Famuli pedites fequebantur. XI. Scutiferi, & Cubicularii Pontificis. XII. Lectica, & Currus, quem Pontifex Reginæ donaverat. XIII. Cubicularii Pontificis, qui dicuntur extrà muros. XIV. Advocati Confiftoriales cum alia Tibicinum manu. XV. Cappellani Pontificis vefte rubra induti. XVI. Alia nobilium Virorum turma. XVII. Timpaniftæ Helvetiorum, & Clavigeri Pontificis.

Bini bini deindè equitabant Sacræ Romanȩ Ecclefiæ Purpurati, quorum nomine propè Portam Flaminiam Reginæ *Salutem* dixit Cardinalis Decanus Francifcus Barberinus. Eos comitati funt Milites Helvetii Pontificiæ cuftodiæ addicti, deinde ejufdem Pontificis Parafrænarii, ac Regii Famuli cum Ephebis ejufdem Reginæ, quæ equo vecta media incedebat inter duos Cardinales Diaconos Seniores, Urfinum, & Coftagutum. Cinereo colore indumentum illi erat, aureis lineis decoratum: è collo nigrum velum dependens pectus obtegebat, caput pileolus aureo funiculo circumdatus.

Totum agmen claudebant Milites levis armaturæ, plurimique Currus, quorum finguli fenis equis trahebantur.


Ingrediente Portam Flaminiam Regina, exonerata funt in fignum lætitiæ bellica tormenta ad hunc finem illuc translata. Tranfeunte per Pontem Ælium proximæ Arcis Milites præfidiarii fuos fclopos exploderunt, ficuti ceteri Milites in Foro Vaticano, etiam fua tormenta bellica Milites Helvetii. Eam extrà Porticum Vaticanæ Bafilicæ excepit primùm cum ejufdem Bafilicæ Clero Illuftriffimus Præful Scannarola Vicarius, pluviali, & mitra indutus, & Regina in genua procumbens fupra nobiliffimum periftroma ad hunc finem paratum, oblatam Crucem ofculata eft, cantantibus interim Muficis vocibus Antiphonam. *Ifta eft fpeciofa*, poftquam Hymnum *Te Deum* addiderunt. Vidiffes Bafilicam pretiofis è ferico, auroque peripetafmatis exornatam, quamplurimis additis Regiis infignibus, emblematibus in laudem Chriftinæ expreffis. Ibi cum Sacrofanctam Euchariftiam in Ara Principe collocatam veneraretur, Summus Pontifex ad aulam Regiam profectus duos Cardinales Diaconos feniores obviam mifit, quos quatuor Protonotarii Apoftolici comitabantur; Illos in Scalis Regiis invenit Regina, cui anteibat Excellentiffimus de Comitibus Dux Poli, ac Sacri Hofpitii Magifter. Illam Cardinales Diaconi exceperunt, ut ad Aulam Regiam comitarentur. Ibi Regina trina genuflexione Pontificem adoravit, deindè pedem, & manum deofculata. Poft Pontificis difceffum ad Ædes Pontificias, ubi primùm manferat deducta eft à Cardinalibus, Mediceo, & Sfortia. Ea nocte ignes feftivi, non folùm in Mole Adriana, fed publicis *in viis* totius Urbis lætitiam pro fœlici, fauftoque tantæ Reginæ ingreffu.

ingressu, Alexandro VII. regnante, declararunt, ex Ædibus postea Vaticanis ad Palatium Farnesianum se contulit, quod Regiis ornamentis Ranutius Parmæ Dux nobilitavit, apposita supra Januam hujusmodi inscriptione.

CHRISTINAE SVECORVM REGINAE
OB DEPOSITVM PRO RELIGIONE REGNI FASTIGIVM
REGIA FORTVNA MAIORI GLORIÆ
MONVMENTVM HOC ERIGIT.
RAYNVTIVS FARNESIVS PARMÆ, ET PLACENTIÆ DVX.

Claudat narrationem Elogium, quod legi post mortem Pontificis in Castro Doloris expressum, idest

TOTAM ORNATVRVS ROMAM BENEFICVS ALEXANDER
PRIMVM POPVLI PORTAM MOX TEMPLVM AMPLVM,
AC LVCVLENTVM EXORNAVIT.
SIC TANTVM FAVSTO INGRESSVI TRIBVIT,
QVANTVM STVDVIT,
VT ROMA FÆLICITER COLERETVR.





POPVLVM RELIGIONE TVETVR.



VT VMBRA ILLIVS LIBERARENTVR.

CUm Urbem invaserit Pestilentia nondùm evoluto primo Pontificatus anno Neapoli advecta; persuaderi id Populo non poterat, suspicante aliquid subesse artificii. Alexander tamen qui sæpè usurpare solebat Ennianum illud. *Non ponendos rumores antè salutem*. Omnibus ad profligandam luem humanis, Divinisque præsidiis comparavit, Urbem servavit, levissimo accepto damno. *Oldoi.710.*

Illustrissimus Cartarius in suis Diariis refert, detectum fuisse hunc morbum post mortem Civis in Xenodochio apud Sanctum Joannem in Laterano, quo paulatim serpente circa quindecim millia hominum Romæ brevi temporis spatio absumpta sunt. Inter præsidia à prudenti Pontifice comparata Divina præ ceteris maximi faciens, Votum Beatæ Virgini emisit, quo Templum in ejus honorem construere promittebat, & Divi Petri Romę Patroni patrocinium implorans, ejus cultum in numismate vulgato augeri apud omnes sategit, ut quemadmodum illo vivente accidit ægrotis, à diro Pestis veneno VMBRA ILLIVS LIBERARENTVR. Hoc declarat Numisma XI. in quo Divus Petrus ægrotis occurrens pestilentiam fugat habitu mulieris expressam. Hæc alis instructa velocitatem indicat morbi, comas solutas habens, tanquàm Averni Furia, ensem serpentis instar dextera manu stringit, sinistra cadaveris caput, ea, quibus morbi insidiosè Serpentis vim, mortem inferentem intelligimus. Aliud numisma sub num. X. Alexandri Pontificis Religionem publicat, qua, ut diximus, Gregem sibi creditum à morte tueri conatus fuit. Exhibet illud Religionem sub typo Mulieris cum Cruce, & freno, Evangeliorum volumen illa tenet sinistra, & mortem pedibus calcat. De Christo enim dictum est. *O mors ero mors tua morsus tuus ero Inferne*. Frænum insuper dextera exhibet, quia Religio frænum est Populorum, sed leve, atque suave.

Precibus religiosi Pontificis annuit Deus, nam extincta mortifera lue anno

1657. omnique morbi fœditate repurgata, redditum est Urbi commercium, cum exteris mense Martio, dieque Sabathi Beatæ Virgini dicato publicata fuit plenissima pœnarum omnium criminibus debitarum indulgentia pro iis, qui solemni Supplicationi adessent, à Templo Beatæ Mariæ in Ara-Cęli ad Ædem Sanctę Mariæ in Porticu indictæ. Ordinem ejus Supplicationis recensuit supracitatus Illustrissimus Cartarus. Ante omnes incedebant Pueri Orphani, albis vestibus, ut solent, induti, postea Religiosi Ordines, singuli consueto inter se ordine servato. Hos consociabant Advocati Consistoriales, deindè Pontificię Aulę nobiles Viri, Equites, Romanique Proceres, & Urbis Conservatores. Deinde Summus Pontifex pedes incedebat, & post illum Eminentissimi Cardinales, Pręsulesque quamplurimi, Agmen claudebant Milites loricati, & levis Armaturæ custodiæ Pontificiæ addicti. In templo Sanctæ Mariæ in Porticu, sericis pannis exornato, Pontifex Hymnum *Te Deum* clara voce incœpit, quem Cappellæ Pontificię Cantores prosequuti sunt, eoque absoluto Orationem in Gratiarum actionem Pontifex dixit, obstrepentibus interim ubique Campanis, ac bellicis tormentis in lætitię signum explosis. Vias, per quas incedendum erat pretiosis tapetis, auleisque exornatas vidisses, per eas Capitolium repetens Alexander, ibi Populo comitanti Sacras benedictiones impertitus, festivas ejus voces excepit.

Diariis 57.

Tanti beneficii memor Senatus Populusque Romanus Providi Pastoris vigilantiam æterno tradere monumento decrevit in Statua ænea, quamprimùm ejus nomini erigenda. At renuit Alexander Sanctissimum prædecessorem Pium V. imitatus; Quamobrem hanc inscriptionem marmori insculptam in Capitolio collocata fuit in ejusdem modestiæ commendationem.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
CVM STATVAM PVBLICE SIBI DECRETAM
OB SERVATAM URBEM A PESTILENTIA
HONORIS SIGNIFICATIONE CONTENTVS ERIGI VETVISSET
S. P. Q. R.
QVO SVI ERGA PRINCIPEM OPTIMVM GRATI ANIMI
REIQVE TANTÆ
MONVMENTVM ALIQVOD EXTARET P.
ANNO DOMINI MDCLVIII. DIE XXV. MARTII.

LELLIO ALLIO }
CÆSARIO GIORIO } COSS.
MARCELLO GHERARDO }
PETRO VECCHIARELLO CAP. REG. PRIORE.

XII

SANCTO ANDREAE APOSTOLO.

NObilissimum extat Romæ Templum Divo Andreæ Apostolo dicatum in ea regione, ubi olim Theatrum Pompei assurgebat. Ejus fundamenta posuit Cardinalis Gesualdus, sed illo demortuo Cardinalis Alexander Montaltus estruxit, quod tamen Cardinalis Franciscus Perettus ejus nepos absolvit juxtà delineationem Petri Pauli Oliverii Architecti, Carolo Maderno, opus dirigente.

Michael ...ius de ...is pag.

Frons deerat huic magnifico Templo, quæ indulgente Alexandro VII. è Tiburtino marmore compacta est nobilissima opulentis proventibus, qui post obitum Cardinalis Francisci Apostolicę Sedi devoluendi erant. Hujus beneficentiæ memoriam inscriptio supra Januam posita declarat his verbis.

TEM-

TEMPLVM MOLE, ET CVLTV AVGVSTVM
AB ALEXANDRO CARDINALI MONTALTO
IN VRBIS CENTRO BASILICÆ EXCITATVM.
ALEXANDRI VII. P. O. M.
INGENITÆ MVNIFICENTIÆ SVPREMAM SVI SPLENDORIS
MAIESTATEM DEBET.
QVIPPE VLTIMIS VOTIS
FRANCISCI PERETTI CARDINALIS MONTALTI,
VT EXTIMA FACIES OPVLENTIS PROVENTIBVS
PER ILLIVS MORTIS
APOSTOLICÆ SEDI MOX DEVOLVENDIS EXORNARETVR
CLEMENTISSIME INDVLSIT.
REGVLARES CLERICI
SACRAS EXIMIÆ LIBERALITATIS PRIMITIAS
A TANTO PONTIFICE
DIVO ANDREAE DICATAS,
SIBI, ET EIVS TEMPLO GRATVLATI, OBSEQVIOSIS ILLAS,
GRATISQVE LITTERIS
AD PERPETVVM POSTERITATIS DOCVMENTVM
EVVLGANDAS CENSVERVNT.
ANNO CHRISTI DOMINI MDCLV.
ALEX. VII. PONT. I.

Hoc Anno incœpta est Frontis constructio juxtà delineationem Caroli Rainaldi Architecti. Numisma tamen post quam absoluta illa fuit vulgatum est scilicèt anno 1655.

Simulacra in eo collocata sunt Sancti Cajetani, & Sancti Sebastiani à Dominico Guido exculpta, alia Sancti Andreæ Apostoli, & Beati Andreæ Auellini ab Hercule Ferrata, Angelum, & Statuas supra Januam collocatas Jacobus Antonius Fancellus efformavit: titulum illa præfert hujusmodi.

ALEX. VII. PONT. MAX.
SANCTO ANDREAE APOSTOLO
ANNO SALVTIS MDC LXV.

Reliqua, quæ ad Templum spectant accuratè enarrantur in libro sub titulo di *Roma Moderna* impresso à Michaele Angelo de Rubeis pag.385.

❦ XIII ❦

DILEXI DECOREM DOMVS TVAE.
SANCTO NICOLAO.

IN Castro Gandulphi ad Lacum Albanum, quò secedere ad animi remissionem Majo, & Octobri Mense Pontifices solebant, non solùm auxit palatium, *Oldoin.712* sed longè commodiùs fecit, & ad regiam magnificentiam perduxit. Insuper Templum Parochiale, quod ibi erat Divo Nicolao Miræ Episcopo dicatum reparavit, & in elegantiorem formam ornavit. Diligens enim Alexander decorem Domus Domini quamplurima templa exornavit.



XIV

DIVO NICOLAO MIRAE EPISCOPO CASTRI GANDVLPHI MDCLIX.


EXornatum Templum postea avertit, ut in eo situ aliud Templum excitaret in honorem Divi Thomæ de Villanova à se recens inter Sanctos relati; at ne cum Templo destructo ejus Divi memoria periret, sub novo aliud excitavit Sancto Nicolao dicatum; nam ejus collis lacum versùs declivitas spatium reliquit opportunum, ut ædes alteri subjecta ea in parte solis radios exciperet, faciemque ostenderet satis eleganter delineatam. Eam exculptam exhibet numisma, quod proposuimus anno 1659. exculptum.

XV

THOMAE ARCHIEPISCOPO VALENTINO INTER SANCTOS RELATO MDCLIX.

TEmplum hic est expressum, de quo diximus in superiori numismate. Frontem exhibet, quam in Castro Gandulpho commorantes conspiciunt, quadratam fermè ichnographiam habet. In majori Ara contra januam imago est Redemptoris de Cruce pendentis, in dextero Altari Virginis in cælum Assumptæ, in sinistro Sancti Thomæ de Villanova. Suprà januam hæc inscriptio extat.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
DIVO THOMÆ ARCHIEPISCOPO VALENTINO
INTER SANCTOS RELATO
AEDEM A SOLO CONSTRVCTAM,
CVIVS PRIMVM FVNDAMENTI LAPIDEM
FLAVIVS CARDINALIS CHISIVS FR. F. POSVERAT
PIE, RITEQVE DEDICAVIT
ANNO SAL. MDCLXI.



XVI

Ex lect. Breviar. 18. Septembris

DIvi Thomæ de Villanova imago, prout depingi solet pauperibus eleemosinam elargientis. Ille enim ab optimis parentibus vita pietatem, & singularem in pauperes misericordiam accepit, cujus adhuc puer plura dedit sexempla, sed illud in primis nobile, quod ut nudos operiret propriis vestibus non emel seipsum exuit: exacta pueritia compluto, quo missus fuerat, ut literis operam daret, patris obitu revocatus universam hæreditatem egenis virginibus alendis dicavit. Valentinam Ecclesiam regens amplos Ecclesiæ redditus in egenos dispersit, ne lectulo quidem sibi relicto; nam eum, in quo decumbebat, cum in Cælum evocaretur, ab eodem commodatum habuit, cui paulò ante eleemosinæ loco donaverat.

Nullam inscriptionem continet numisma, neque anni notam, illud tamen vulgatum scio anno 1658. in memoriam ejus sacræ actionis, in qua Divum Thomam in Sanctorum numerum retulit Alexander, idest die prima Novembris omnium

omnium Sanctorum commemoratione solemni. Res ità processit. In duobus Consistoriis semipublicis, in quorum primo ultrà Cardinales interfuerunt quadraginta Episcopi, ab eis data fuerunt suffragia pro Canonizatione, relatione facta de vita, & miraculis à Cardinali Pallotta, & à Cardinali Sacchetto. Die autem Jovis 12. Septembris fuit habitum Consistorium publicum in Aula Regia Quirinalis Palatii habita est oratio ab Illustrissimo Marco Antonio Buratto, Advocato Consistoriali, qua completa Illustrissimus Nerlius Brevium ad Principes Secretarius responsum dedit nomine Summi Pontificis. Die autem Veneris prima mensis Novembris Pontifex summo mane à Quirinali ivit ad Vaticanum, & à Palatio ad Basilicam, facta solemni omnium Ordinum Religiosorum Processione, & solitis Cæremoniis post trinam instantiam *instanter, instantiùs, instantissimè*, habitam à Procuratore prò Canonizatione, Eminentiss. Cardinali Columna electo à Rege Hispaniarum, respondit Pontifex *Decernimus literas Canonizationis*, & cantatum fuit *Te Deum*, & tubarum clangoribus, tormentorum bellicorum strepitu, tàm in platea, quàm in arce Sancti Angeli, campanarumque sonitu per totam Urbem data sunt signa lætitiæ. Impressa fuit relatio italica hujus Canonizationis Typis Cameræ Apostolicæ, ex qua pauca ad sacram pompam spectantia delibavimus.

» Nostro Signore trasferitosi dal Quirinale al Vaticano, quivi presso la » Cappella di Sisto si vestì de paramenti sacri, e dal Signor Cardinal Colonna » Deputato Procuratore del Rè di Spagna, per supplicare Sua Santità della Ca- » nonizatione furono presentati trè Cerei in cui erano scolpite di rilievo l'ima- » gine del Santo, e l'armi di Sua Santità, del Rè, e del Regno di Valenza.

» I dui più grandi furono dal Maestro delle Cerimonie dati à due Prencipi » del Soglio, cioè l'Ambasciatore di Venetia, e Don Mario Ghigi, Fratello di » Sua Santità. Il terzo al Maestro di Camera, così precedendo l'incenso con » altri setti Accoliti co'candelieri caminò Monsignor Albergati Auditore di Rota » con la Croce, poi i sudetti Prencipi del Soglio, e Nostro Signore in mezzo » alli Signori Cardinali Diaconi, Assistenti, Orsini, e Costaguti, sostenendo le » Fimbrie anteriori, dui Auditori di Rota, le posteriori, i Camerieri assistenti, » subito, che Nostro Signore arrivò al Faldistorio inginochiossi, & orò, e por- » tato il libro, e candela dalli primi assistenti, Monsignore Bandinelli Patriarca di » Constantinopoli, e Monsignor Colonna Arcivescovo di Amasea, sostenuto » dal Cardinale Barberino primo Vescovo, Sua Santità alzatasi intonò *Ave Maris* » *Stella*, e poi si pose in sedia portatile con Mitra, e con candela nella sinistra. » Fù portato sotto il Baldacchino alla Basilica Vaticana per la piazza maggiore. » Precedeva il Clero Secolare, e Regolare con candele accese in mano, che re- » starono disposti dalle parti della porta maggiore del Palazzo, fino à quella » della Basilica, e in mezzo passarono i Familiari del Papa, Prelati Officiali di » Cappella, Cardinali, e Prencipi del Soglio. In questa Processione avanti gli » Acoliti Votanti di Signatura si portava un grande Stendardo con l'imagine del » Santo dalli Padri Pietro Lanfranconi Vicario Generale di Sant'Agostino, dal » Padre Andrea Aznar, assistente di Spagna, ajutati da trè Provinciali di Roma, » Marca, Portogallo, e Priore del Convento di Roma. Il Tempio era ornato » con le tapezzarie delle più ricche guardarobbe di Roma nella facciata esteriore » della Chiesa erano l'effigie del Santo, e le armi di Alessandro VII. del Rè Cat- » tolico, del Regno di Valenza, e della Religione Agostiniana. Il Portico ric- » camente adobbato. Su la porta della Chiesa era l'effigie del Santo, e l'armi » sopradette. Nella Chiesa l'apparato era quasi tutto di Damasco uniforme, che » ricopriva i pilastri alti palmi 75. dalla base à capitelli, sopra de'quali stavano » esposte l'armi di Sua Santità, e del Rè, trà essi pendevano medaglioni tondi di » giro di 30. cubiti co'Miracoli del Santo espressi à chiaro scuro lumeggiato d'oro » e con l'iscrittione in cartelloni sottoposti.

» In ogni altare erano le faci accese con paliotti di broccato, ne'quali erano » tessute le armi di Sua Santita, del Rè di Valenza, e della Religione Agosti- » niana.

» Nelle quattro nicchie maggiori sotto la cuppola pendevano quattro sten- » dardi con l'effigie del Santo ornato di ormesino cremesi fiorato d'oro, il gran

giro

„ giro della cuppola ripieno di mille torcie bianche accese, situate sopra candelieri di chiaro scuro di oro, e così parimente in tutto il giro del cornicione, l' Altare della Confessione ornato di candelieri, e lampade accese. Il teatro ove Nostro Signore fece la funtione fù circondato da doppio steccato di legno, e di Soldatesche Suizzere. Nel resto la funtione fù simile all'altre circa le cerimonie Ecclesiastiche.

XVII

DIVI FRANCISCI DE SALES APOTHEOSIS.

XVIII

BENEDICENS CORONAE BENIGNITATIS SVAE.

NUmisma, quod proponimus caret Alexandri Pontificis effigie, sed ejus loco Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum repræsentat, quos Spiritus Sanctus irradiat. Addita sunt stemmata gentilitia Ghisiæ domus cum lemmate BENEDICENS CORONAE BENIGNITATIS SVAE ANNO VIII. Verba sunt parum dissimilia ab jis, quæ Regius Vates usurpavit in psalmo 64. quibus inquit Augustinus commendat benignitatem Dei, ne quisquam de suis meritis glorietur. Opposita verò pars Apotheosim exhibet, hoc est relationem in album Sanctorum, inter quos Divus Franciscus Salesius adscriptus est ab Alexandro Pontifice. Fuerat Pontifex Sanctissimo Præsuli Francisco familiaris, ejusque virtutes Romæ admiratus, Sanctorum honores illi deberi decrevit. Quamobrem ejus actis ritè examinatis, & omnibus ad tale decretum necessariis diligenter perspectis, die Dominica octava Januarii 1662. vulgata fuit ejus Beatificatio in Vaticana Basilica nunquam antea visa solemnitate.

Alexander enim cum Beatificationis decretum subscripsisset, atque annulo Pontificio obsignasset, illud in Sacrosancta Principis Apostolorum Basilica proferendum Statuit, atque in posterùm ne quis Beati titulo decoretur, nisi in eadem Basilica publico conventu, & quibusdam certis precibus, ac cæremoniis. Quæ enim privata quadam ratione, vel appensa tantummodò ad fores Templi tabula fiebant promulgationes Beatorum, in angustiis paucorum quodammodò delitescebant, non sine aliquo gloriæ apud homines detrimento.

Ad hanc item legem sanciendam compulit removendæ ambiguitatis necessitas. Nam cum aliquando evenerit, ut inscia Sacrorum Rituum Congregatione, cui id muneris commendatum est, ipsa indulta cultus Beatorum literis Apostolicis obsignata, & Promotoribus Causarum more veteri credita in longinquas Regiones asportata fuerint post longa temporum intervalla, cum ad Canonizationis actum progreditur, prędictarum literarum exempla neque in Archivis, neque alibi reperiantur, vel incendio, vel direptione, vel incuriá deperdita, hinc fit, ut de legitima inducti cultus, & de Beati nominis concessione oriatur non spernenda suspicio. Quam, ut posthac præcaveret Prudentissimus Pontifex Alexander, legem inviolabiliter deinceps observandam promulgavit, ut in Basilica Vaticana Beatorum tituli solemniter enunciarentur, nempè, ut hoc pacto memoria actorum tabulis publicis, Sacræ Congregationis commentariis, & Vaticanæ Ecclesię tabulariis consignata, omnem circà venerationem Beati hęsitationem amputaret. Hæc omnia narrat Dominicus Cappellus Sacrarum Cæremoniarum Magister in sua relatione, ejus Canonizationis impressa Romæ, & Alexandro Pontifici inscripta.

Itaque ineunte anno 1662. die 11. Januarii Eminentissimus Cardinalis Ginnettus Pontificis Vicarius indulgentiam Templorum valvis affigi mandavit. Interea in capite Basilicæ locus idoneus Sacris Cęremoniis statuitur, hyemali cono-

pæo

pro desuper undique tectus. Ex adverso Altaris Apostolorum, ea parte, in qua solet collocari Solium Pontificis, erigitur Altare novum è lignis cum suo umbraculo, & appensa culcitra; supra culcitram vera imago Servi Dei Francisci Salesii radiis coronata, velo tamen facilè mobili cooperta. Pro chori sepimento surgebant alta Sedilia hinc indè rite disposita, & contecta serico villoso rubro pro Cardinalibus tapetis pro Præsulibus, Canonicis, & Consultoribus Congregationis Sacrorum Rituum, & præter hæc Scamna demissiora pro reliquo Clero, panno viridi ornata. Gradus Altaris Strati panno rubro, propè infimum gradum Sedes, (quam Faldistorium dicimus) pro Episcopo celebrante.

In exteriore facie Templi pendebat ampla tabella cum insigni ejusdem Servi Dei Francisci, obvelata tamen usque ad promulgationem Decreti Pontificii, Porticus aulæis, Ecclesiæ interni parietes partim culcitris, partim aulæis operis damasceni holoserico, multoque auro nitentibus splendebant. Altarium quodlibet sex facibus ex cera candida, Sepulchrum Apostolorum lampadibus, & facibus accensis circumquaque collucebant.

Itaque die octava Januarii ad Basilicam summo manè immensa Fidelium multitudo properavit. Accesserunt Eminentissimi Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum induti Cappis violaceis, quos insecuti sunt ejusdem Consultores, Fidei Promotor, & à Secretis, qui omnes sederunt in cornu Evangelii.

Omnibus ritè compositis prodiit è Sacrario Basilicæ Episcopus Aniciensis indutus vestibus Pontificalibus, cui præibant prævia Cruce Clerus Basilicæ, totusque cœtus Canonicorum unà cum Episcopo Sidoniensi, Vicario Basilicæ ejusdem, Episcopus Svessionensis Gallus prædicti Episcopi Aniciensis Comes, cui commissum fuerat Breve futuræ Beatificationis; Sequebatur autem Eminentissimus Card. Carolus Barberinus ipsius Basilicæ Archipresbyter Cappa rubra indutus. Et hi omnes ad sua loca perrexerunt. Cunctis deinde consedentibus, unus è Magistris Ceremoniarum Episcopum Svessionensem advocat, & coram Eminentissimo Præfecto sistit, cui diploma reverenter porrigens enixè deprecatur, ut mandet publica lectione palàm promulgari, & executioni mandari. Acceptum diploma Illustrissimo Phœbeo à Secretis Congregationis Sacrorum Rituum committit Eminentissimus Præfectus, Cardinali Barberino deferendum, ut ille, tanquàm Basilicæ Caput rogatus perfici jubeat; Quare mandante Eminentissimo Archipresbytero Phœbeus diploma tradidit Archivistæ Basilicæ, qui è suggestu clara voce illud enunciavit. Ejus exemplar typis excusum fuit à supracitato Cappella.

Evulgato diplomate Episcopus Sacra celebraturus alta voce præcinuit gratiarum hymnum *Te Deum*, cujus reliqua quatuor Musicorum Chori suavissimis vocibus modulati sunt. Eodem momento detractis velis ab imagine Beati Francisci, omnes illam venerati sunt, alteram verò supra Fores Basilicæ collocatam tubarum clangor, tympanorum strepitus, & reboatus bombardarum consalutarunt. Deinde effusis precibus ante Beati imaginem Collecta fuit addita, quam Alexander Septimus composuerat. Demùm Sacra peracta sunt, & eadem die sub vesperam Pontifex ipse in Vaticanum perrexit imaginem Beati veneraturus.

XIX

BEATO FRANCISCO EPISCOPO INTER SANCTOS RELATO.

Aliud Numisma jussu Alexandri VII. vulgatum fuit in memoriam Canonizationis ejusdem Beati Francisci Salesii. In eo repræsentatur Theatrum in capite Basilicæ Vaticanæ extructum, in quo Summus Pontifex in excelso Solio sedit, hinc inde Cardinalium cœtus, aliorumque Antistitum. De Ritu, & progressu hujus Canonizationis, aliaque recensebimus, quæ in luculentiori enarratione impressa vulgavit D. Dominicus Cappella Cæremoniarum Magister.

Igitur peracta Beatificatione, aliisque novis Miraculis in Sacra Congregatione Rituum ritè prolatis Summus Pontifex ad suffragia vocavit Consultores pro Canonizatione perficienda, eorum vota supracitatus Cappella recensuit simul cum

cum votis Eminentissimorum Cardinalium, quibus acceptis die 14. Februarii statutum fuit, posse ad Canonizationem procedi. Quamobrem die 21. Augusti in Consistorio Secreto retulit de Miraculis Beati Cardinalis Sacchettus Sac. Rituum Congregationis Præfectus, post quam Cardinalium Sententias Pontifex exquisivit.

Die Jovis 14. Septembris fuit Consistorium publicum, in quo relationem aliam fecit Illustrissimus Prosper Bottinius Consistorialis Advocatus, cui Illustrissimus Nerlius Archiepiscopus Florentiæ Sanctissimo ab Epistolis ad Principes, nomine Pontificis respondit: deinde aliud Consistorium semipublicum indictum est, in quo suam quisque Cardinalium, nec non Episcoporum, & Archiepiscoporum Sententiam protulit circà futuram Canonizationem, quam tandem Sanctissimus Pontifex decrevit.

Canonizatione decreta omnia ea parari cœpta sunt, quæ ad illam ritè peragendam necessaria erant, cum pro ornamento Basilicæ Vaticanæ, tùm pro Sacris Vestibus Summi Pontificis, & eidem in Altari ministrantium, expensis Monialium Ordinis Visitationis Beatæ Mariæ, à Sancto Francisco instituti; qualia verò ea fuerint, & cujus pretii inferiùs dicemus.

Igitur illucescente die decima nona Aprilis Dominica secunda post Pascha anno 1665. Summus Pontifex è Palatio Vaticano in interius Sacrarium, Cappellæ Sixti V. proximum descendit, hic Sacras, multòque argento intextas albi coloris vestes induit, sumpsitque Tiaram tribus Coronis distinctam. Pontifici sic induto Dux de Criqui Christianissimi Regis Galliarum Orator Supplex obtulit tres Cereos, quorum duo majores effigie Sancti Francisci, Insignibus Pontificis, Regis, & Ordinis Visitationis, multòque auro ornati erant. Hos Sanctissimus jussit deferri Excellentissimo Mario Chisio Suæ Sanctitatis germano Fratri, & Excellentissimo Augustino Ghisio Suæ Sanctitatis ex altero Fratre nepoti, qui tùm digniorem in Solio Pontificio locum obtinebant. Tertium autem tribui jussit Fratri Angelo de la Ciaja, Equiti Hierosolymitano, & Cubiculi Pontificii Præfecto. Mox injecto in thuribulum thure, & salutata Cruce ad Cappellam Sixtinam hoc ordine processit.

Præibat Acolytus Thuriferarius, & post eum alii septem cum candelabris accensis, mox D. de Bourlemont Auditor Rotæ Subdiaconus Apostolicus, portans Crucem: sequebantur prædicti Principes Solii, gestantes Cereos: Sacram claudebat Pompam Sanctissimus ipse pedes medius inter Cardinales Ursinum, & Rondaninum, Diaconos assistentes. Euntes fimbrias anteriores sustinebant duo Auditores Rotæ, posteriores Orator Galliæ.

Hoc ordine cum in Cappellam venisset, ibique paulisper ante Aram genibus orasset, surrexit, & assistentibus Eminentissimo Barberino Seniore Episcopo Cardinali, & duobus Archiepiscopis, stans cecinit versiculum hymni *Ave Maris Stella*, quem Cantores Cappellæ Pontificiæ prosecuti sunt, tùm surgens Sellam gestatoriam conscendit pretiosa ornatus Mitra, sinistra manu tenens cereum accensum, dextera Populo benedictionem impertiens, & sub umbella auro contexta per Scalam descendens in Porticum ante Basilicam exiit. Expectabant in Foro Pontificem Urbis Clerus, ac Religiosorum hominum universæ propè Familiæ, erectis Crucibus in suos distinctæ ordines, accensos cereos præ manibus tenentes; In porticu verò Basilicæ Capitulum, intrà Basilicam aliarum Basilicarum Capitula, servato inter se dignitatis jure, & loco, ad quam itàm est solemni supplicatione hoc ordine distributa.

Præibant inter stantem universæ Urbis Clerum, Officiales Cappellæ Pontificiæ, & Papæ familiares rubeis vestibus induti, Advocati Consistoriales violaceis, Cappellani Papæ, Cubicularii honoris, & secreti, Regna, & Mitras pretiosas portantes cum vestibus rubeis, & caputiis de more inversis. Subdiaconus, & Presbyter assistens Cappellæ Pontificiæ, Referendarii, Abbreviatores, Votantes Signaturæ, Acolyti Apostolici, Cleri Cameræ, Reverendissimus Sacri Palatii Magister, Auditores Rotæ, Subdiaconi; rocchettis singuli superpelliceisque ornati, Crucem inter postremos septem Acolyti cum candelabris argenteis, & cereis accensis; sequebantur deinde Pœnitentiarii S. Petri cum Planetis, Abbates, Episcopi,

ſcopi, Archiepiſcopi, Præſuleſque, cum pluvialibus, & mitris, apto inter ſe ordine ſervato: proximè Cardinales pariter cum mitris, & cereis accenſis, ſed hac ſacrarum veſtium diſtinctione, quòd Cardinales Diaconi ibant cum Dalmaticis, Cardinales Presbyteri cum Planetis, Cardinales Epiſcopi cum Pluvialibus.

Poſt hos Orator Bononiæ, Conſervatores Urbis, Principes Solii, Orator Regis Galliarum, & Illuſtriſs. Nicolaus de Comitibus Gubernator Urbis progrediebantur. Propè Pontificem tres Cardinales Diaconi Dalmaticis induti, mitriſque inſigniti, ſcilicet Urſinus, Rondininus, & Carolus Barberinus, qui Evangelium cantaturus medius inter duos prædictos Cardinales, velut Suæ Sanctitatis Aſſiſtentes incedebat. Tum duo Auditores Rotæ pro fimbriis, & duo Principes prægrandes cereos portantes. Poſtremus Sanctiſſimus ipſe ſub umbella, quam Prælati Referendarii, ſibi invicem ſuccedentes, ferebant. Poſt Pontificem inter duos illos Cubicularios Aſſiſtentes Carolus Cerrus Rotæ Decanus ibat, tiaram, cum Papæ detraheretur, excepturus; veſtibus hi rubeis cum caputiis de more inverſis alter rocchetto, & ſuperpelliceo indutus. Solemnem demum ſupplicationem claudebant Auditor Cameræ, & Prothonotarii Apoſtolici, rocchettis, & conſuetis cappis, & Generales, ac Procuratores Generales Ordinum, ſuo quiſque regulari habitu amictus.

Delatum eſt in ſupplicatione poſt Cubicularios ſecretos inſigne Vexillum, in quo imago Sancti Franciſci, quod duo ex Ordine Minimorum Sancti Franciſci de Paula Gallicę Nationis Cenobitæ ferebant, alii verò quatuor pendentes è vexillo cordulas manibus tenebant, ne vento agitaretur. Præibant Cappellæ Pontificiæ muſici ſuaviſſimè canentes ſuperpelliceis induti.

Pontifex Baſilicam ingreſſus paratum ſibi locum conſcendit, & adoratione omnium perſoluta, Magiſter cæremoniarum adduxit ante Solium Ducem de Criqui Oratorem Regis Chriſtianiſſimi; ſimul cum eo erat Proſper Bottinius Advocatus Conſiſtorialis, qui Regio nomine poſtulavit à Sanctiſſimo Canonizationem, poſtque inſtantiam ter repetitam, & preces juſſu Pontificis dictas, ſententiam ipſe Pontifex protulit, qua Canonizationem decrevit. Ob tale decretum gratias Orator Gallicus egit Pontifici, & Pontifex inchoavit canticum *Te Deum* quod chorus muſicorum proſequutus fuit, & in ſignum lætitiæ clangere cœperunt tubæ pulſari tympana, & tormenta bellica explodi, ſacrum deinde ſolemne peractum eſt, in quo oblationes de more fecerunt, ſcilicet Cardinalis Ginnettus duos magnos Cereos circumquaque inauratos. Epiſcopus verò minorem cum caniſtello par turturum continente; Cardinalis Brancatius duos magnos panes alterum auro, alterum argento obductum; Epiſcopus alium Cereum parvum, & caniſtellum cum duabus albis Columbis, Cardinalis Rondininus duo doliola alterum inauratum vino, alterum deargentatum aqua plenum. Epiſcopus cereum parvum, & caniſtellum, varias diverſarum ſpecierum aviculas continens. Completo Sacro Pontifex ad aulam paramentorum rediit.

Supereſt, ut brevitèr oculis legentium ſubiiciam hujus Apotheoſis apparatum. Porticus igitur, parietes attalicis tapetibus à Raphaele Urbinate olim delineatis conveſtiti videbantur, ſupra ejuſdem portas depictæ Sancti Franciſci imagines cum Pontificis, Regis Chriſtianiſſimi, & Ordinis Monialium Viſitationis inſignibus conſpicuæ eminebant.

Baſilicæ Corpus interjectis ſacellis fornicibuſque auguſtum ab epiſtiliis ingentium pilarum ad baſes uſque holoſericis damaſcenis periſtromatis, aureis à ſummo decurrentibus ad imum teniis, ornatum erat. Ubi cappellas, & cappellarum arcus quadratæ diſtinguunt pilæ conjunctim ſtructæ à dextro latere Pontificis, à ſiniſtro Regis emicabant inſignia. Inter pilarum capitella grandes eminebant tabellæ, multis inſignitæ miraculis Sancti Franciſci ope, precibuſque patratis. Quà verò in immenſam exurgit altitudinem Hemisferii moles, duo è ſerico vexilla pendebant cum imagine Sancti Franciſci. Ara maxima, & reliqua altaria multis luminibus micabant. A gradibus Altaris Sancti Petri progrediendo ſummam verſus Baſilicæ apſidem molliter aſcendebant ampliſſimum theatrum ligneum totum viridi colore ſtratum tapetibus, circuitu ſuo complectens palmos ducentos ſexaginta ſeptem, latum centum octaginta ſex, at ubi altius elevabatur à pavimento

habebat palmos quatuordecim altitudinis. In vertice Thronus Pontificius edito in loco eminebat, qui umbella phrigio opere contexta tegebatur. A dextra, lęvaque ſubſelliorum ſeries in aream excurrebant, excipiendis Cardinalibus diſpoſitę, infra ea ex utroque latere videbantur ſedilia Epiſcoporum. Erant etiam idoneæ ſedes pro Pœnitentiariis Baſilicæ Sancti Petri, ac prò Gubernatore Urbis, Auditoribus Cameræ, Prothonotariis Apoſtolicis, & pro Religionum Generalibus.

In media theatri area apparebat Faldiſtorium pro Pontifice orante, quà verò partim recti, partim arcuati tendebant in area gradus, varii Romanæ Curiæ Pręlati ſedebant. Prope pilas Hemiſpherio ſuppoſitas, ubi loculamenta videbantur, parata ſuggeſta holoſericis veſtita velis aſſurgebant, unde Regina Suetiæ, aliæque Principes fæminæ commodiſſime proſpicere poſſent canonizationis cæremonias.

Undequaque theatrum cancellis cinctum, duplicem aditum habebat, ſed utrumque Pontificii milites cuſtodiebant, Excellentſſimo Carolo de Comitibus Duci Poli, Sacri Hoſpitii Præfecto parentes, ut irruentem turbam ab aditu ſubmoverent.

Ara maxima pallio de ſerico, & lamellis argenteis contexto utrinque nitebat, cui nitorem ſuperaddebat faſcia acu elaborata cum inſertis Summi Pontificis & Monialium Viſitationis emblematibus. Mitra Papalis, Planeta, Pallium, Stola, Pluviale, Dalmaticæ tum prò ipſo Pontifice, tum prò Miniſtris, omnia eadem arte phrygia, multoque auro, gemmiſque exornata videbantur, nec erit ab inſtituto noſtro alienum ſumptus hic exponere, factos in exornanda Baſilica, in ſacris veſtibus, & in reliqua canonizationis celebritate, quas ſupracitatus Cappella ſingillatim enumeravit, ſcilicet in comparanda, & conficienda ſacra ſupellectili. Theatro, vexillis, tabellis, cereis facibus, Aulæis, cęteriſque prò eadem Canonizatione neceſſariis, expenſa ſunt monetæ Romanæ ſcuta 31903. 74.



XX

NAVALE CENTVMCELLARVM.

Centumcellarum Ichnographiam proponit numiſma, in qua navale ampliſſimum indicatur juſſu Alexandri VII. anno ejus Pontificatus ſexto prope Portum ædificatum. Illud ſex amplis, ac longis ambulacris conſtat, quibus ſingulis tectum eſt impoſitum cum propinquis areis libero cælo patentibus. Illud inſtituit providentiſſimus Pontifex, ne Sedes Apoſtolica exterarum navium, quas ingenti pecunia, nec minori difficultate comparabat, impoſterum indigeret, omnibuſque rebus earum conſtructioni neceſſariis liberaliter inſtruxit. Viſuntur in fronte ejus molis inſignia gentilitia Alexandri cum hac inſcriptione.

MOLE ADVERSVS MARIS IMPETVM
FIRMISSIMO OPERE CONSTABILITA
AVCTO NOVIS ÆDIFICIIS AD INCOLARVM FREQVENTIAM
OPPIDO, PONTIFCIÆ CLASSI INSTAVRANDÆ,
NE COMPARENTVR ALIVNDE NAVES,
QVARVM MATERIA IN DITIONE ECCLESIASTICA
ABVNDE SVPPETIT
NAVALI A FVNDAMENTIS EXTRVCTO
ANNO SALVTIS MDCLX.
PORTVM TRAIANI AD CENTVMCELLAS
MVNIVIT, ORNAVIT, AMPLIFICAVIT.

Quam-


XXI



XXII



XXIII



XXIIII



XXV



XXVI



XXVII



XXVIII



XXIX



XXX



XXXI



XXXII



XXXIII



XXXIV



XXXV



XXXVI



XXXVII



XXXVIII



XXXIX



XXXX



Quamobrem apposite in castro doloris hæc legebantur post ejus mortem.

CENTVMCELLAS ADVERSIS BARBAROS
VETVS ECCLESIÆ ROMANÆ
PROPVGNACVLVM BELLICO ARMAMENTARIO INSTITVIT,
TVNC VERE ARCENTVR HOSTES,
CVM PARANTVR VIRES QVIBVS ARCEANTVR.

Paterna etiam charitate xenodochium extruxit, in quo tùm nautæ tum triremibus pœna addicti curarentur cum ægrotarent, marmor illi appositum tale monumentum servat.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
REMIGIBVS VERE, GRAVITERQVE ÆGROTANTIBVS
QVI MAGNO SVO, ALIORVMQVE INCOMMODO
IN TRIREMIBVS CVRARI ANTEA SOLEBANT
APOSTOLICA PERMOTVS CHARITATE
VALETVDINARIVM CONSTITVIT, INSTRVXITQVE
ANNO SALVTIS M DC LXI.



XXI

NAVALE CENTVMCELLARVM.

SCenographicam ipsius Navalis delineationem vides, de quo in superiori numismate diximus.

XXII. XXIII. XXIV. XXV.

FVNDAMENTA EIVS IN MONTIBVS SANCTIS.

QUatuor numismata Porticus easdem proponunt, quas in foro Vaticano addidit Alexander; diversimodè tamen illæ exprimuntur, ut consideranti patebit, atque numismati XXIV. addita sunt verba, quæ in aliis non reperiuntur, idest VATICANI TEMPLI AREA PORTICIBVS ORNATA, Qualis fuit Area Vaticana ante Alexandrum VII. demonstravimus in tabula 68. nostræ Historiæ de Templi Vaticani Fabrica, & cap. 31. enarravimus quidquid circa eas porticus excitandas acciderit, sicuti etiam explicuimus, quàm aptè eruditissimus hic Pontifex hæc verba ex psalmo 86. accepta pro lemmate numismatis addiderit. Atque ne eadem repetamus addimus, quę fuerunt omissa. Videlicet duplicem longissimamque porticum extitisse antiquitus, idest ante annum 780. in via, quæ Ælium Pontem cum Vaticana Basilica jungit, quæ porticus major dicebatur, ut à Porticu ipsius Basilicę breviori distingueretur, ut narrat Torrigius pag. 515. de Crypt. Vatican. Illam memorat Anastasius in vita Adriani Primi Pontificis his verbis. „ Hic præsagus vir considerans plurimi populi salutem super ripam fluminis porticum, quæ ducit ad Beatum Petrum aream, „ & angustam existentem, per quam viam transeuntes ad eumdem Beatum Apostolorum Principem Petrum perveniebant, plusquam duodecim millia tufos in „ littore alui fluminis in fundamentis ponens, à solo usque ad summum tectum „ miræ magnitudinis Porticum reparavit, & usque ad gradus B. Petri instauravit.

Temporis deinde decursu collapsam hanc porticum iterum excitare decrevit Nicolaus V. at morte impeditus magnificum alioqui, ac utile opus aggredi non

non potuit, nec ullus post Nicolaum Pontifex illud moliri ausus fuit. Verùm Alexander cum, & hyeme ob vim pluviarum, & æstate ob solis vehementiam accessus per plateam ad Divi Petri Basilicam, & Apostolicum Palatium esset valde incommodus, publici boni studio permotus, ac etiam ut magnificentia templi augeretur, hanc porticum erexit quaternis columnarum ordinibus distinctam, tribusque ambulationibus intus apertis, ut & peditum, & curruum commoditati consuleret.

Hoc ipsum innuit inscriptio sub ejus fornice in parte, quæ Viam Alexandrinam respicit, vulgo *Borgo novo*.

Isai. c.4.6. IN VMBRACVLVM DIEI AB ÆSTV.
IN SECVRITATEM A TVRBINE, ET A PLVVIA.

In opposita verò parte, per quam ingressus patet ad Vaticanum Palatium legitur.

Isa. c.2.3. VENITE ASCENDAMVS IN MONTEM DOMINI
ADOREMVS IN TEMPLO SANCTO EIVS.

Illi conjunctum ambulacrum patet, in cujus summitate propè Regias Scalas Statua equestris est Constantini Magni Crucem ex opposito collocatam intuentis, juxtà quàm hæc verba.

AMBVLABVNT GENTES IN LVMINE TVO,
Isa. 60.3. ET REGES IN SPLENDORE.

In altera verò simili Porticu meridiem versus protensa hæc aliæ inscriptiones sunt appositæ, scilicet in parte Ælium Pontem respiciente.


ALEXANDER VII. PONT. MAX.
A FVNDAMENTIS EXTRVXIT
ANNO SAL. MDCLXI.

Propè Templum.

VENITE.
PROCIDAMVS ANTE DEVM,
ET NOMEN
SANCTVM EIVS INVOCEMVS.

Absolutam hanc Porticum Alexander non vidit; deerat enim, quando è vivis discessit, dexterum ambulacrum, quod Clemens IX. perfecit Alexandro tamen magnifica ejus extructio tribuenda est, ejusque laudes celebrandæ. Quodsi antiqua fuit Imperatorum consuetudo, ad quæ loca extrema cum exercitu, vel classe penetrassent, ibi aliquando suæ expeditionis relinquere monimentum, sicut Bacchus columnas duas magnas erexit in Oriente; Alexander indicæ expeditionis terminos, aras apud extremos Indos instruxit, supra quas vota Diis immortalibus persoluit, ut testatur Strabo lib.3. Alexander VII. Summus Pontifex hujus Porticus columnis, suæ magnificentiæ, operibusque., quæ tum ad ornatum Urbis, tùm ad Dei, Divorumque Cultum excitavit, terminum posuit, ob quas sanè *Certat cum religione Majestas*.

Apud Nat. com. lib.7. Mytolog.



PRI-

XXVI

PRIMA SEDES FIDEI REGVLA ECCLESIAE FVNDAMENTVM.

Ligneam Divi Petri Sedem ab Alexandro VII. ſub apſide Baſilicæ Vaticanæ collocatam, æneiſque ſtatuis exornatam diximus in cap.22. hiſtoriæ Vaticanæ, ac multa adduximus, ob quę dubitari non poteſt, in ea Divum Petrum Romæ conſediſſe. Expenſas inſuper enarravimus, quibus Molem adeò excelſam Eques Berninus admirando opere terminavit. Propoſitum autem numiſma tres Divi Petri Cathedræ præcipuas prærogativas indicat in lemmate, à Sapientiſſimo Pontifice appoſito, non quidem Cathedræ ligneæ ab ipſo exornatæ, ſed authoritatis, à Divo Petro tranſmiſſæ ad Succeſſores ejus in Romana Sede, quę tali nomine intelligitur.

Copioſam enim titulorum Romani Pontificis ſeriem, quibus Concilia, & Patres Sedem Apoſtolicam, vel Cathedram Beati Patri concelebrant; totam convenire Pontifici, etiamſi metonimycè continens pro contento, & ſedes pro ſedente uſurpetur, notat P. Raynaudus. *In prænot 2. de titul Pontif.*

Tribus igitur Elogiis ab Alexandro expreſſis trino veluti telo Hæreticorum mentes transfiguntur. Cum enim PRIMA SEDES dicitur primatus Divi Petri oſtenditur. Quòd autem ſoli Petro datum ſit, ut Apoſtolis ipſis, & Fratribus ſuis, hoc eſt omnibus totius Eccleſiæ Paſtoribus præſit, ſatis explicat dictum Chriſti, Lucæ 22. ***Et tù aliquando converſus confirma Fratres tuos***, ſed Græcis Teſtibus etiam evincitur. Dicunt enim in ſuis precibus die Junii 30. *Chriſtus Te in electione primum ò Petre te fidei fundamentum coronavit*. Sicuti igitur à Petro, ſi viveret lis Græcorum de legitimo Patriarcha certantium, tanquam ſupremo, & legitimo Judice dirimeretur, ſic ad illum pertinet dijudicare, in quo Petrus quodammodo vivit, & judicat, videlicèt in ſuis Succeſſoribus, in quibus vivere, & judicare ſcripſit tertia Synodus, *Petri autem Succeſſor alius à Romano Pontifice nemo eſt*, & in quarta Synodo exclamarunt Patres. *Petrus per Leonem hæc locutus eſt*; & in ſexta Epiſcopi ad Conſtant. Imper. *Summus* (inquiunt) *pugnabat nobiſcum Apoſtolorum Princeps, illius enim imitatorem, & ſucceſſorem ejus Cathedræ habebamus inungentem* (ideſt Vires dantem, quod modo Athletis dabantur inuncto oleo) & ibidem *Charta videbatur, & atramentum, nempè in Apoſtolicis literis, ſed per Agathonem loquebatur Petrus*. *Ex l. Nom in verit. ... Eccleſ. Rom. dial.* 10.

De primatu Papę diſputans contra Sectariorum Argumenta Abraham Ecchellenſis fultus præcipuè Orientalium teſtibus in libro de Primatu Papæ cap.22., & in Epiſt. Archimandritarum ad Normiſdam Rom. Pontif. prout habetur in primo tomo Epiſt. Decretalium paſſim eum vocat *Principem Paſtorum, & Caput omnium*, ſed audiamus Beatum Cyrillum Archiepiſcopum Alexandriæ, qui ità ſcribit. „ Quod oportet nos tanquàm membra Caput ſequi, ideſt Romanum Pontifi„ cem, & Apoſtolorum Sedem, à qua debemus petere quid credere, ac ſentire „ debemus, ac tenere, quia ipſius tantùm eſt confutare, dirigere, redarguere, „ confirmare, ordinare, ſolvere, & ligare.

Canone 20. Concilii Romani Secundi celebrati poſt Concilium Nicænum ſub Sylveſtro Pontifice, præſente Conſtantino Auguſto cum 276. Epiſcopis latinis, & græcis ſic habetur. „ Nemo enim judicabit primam Sedem, quoniam „ omnes Sedes à prima Sede juſtitiam deſiderant temperari, neque Auguſto, ne„ que ab omni Clero, neque à Regibus, neque à Populo Judex judicabitur.

Pater Theophilus Raynaudus idem confirmans eruit hanc veritatem ex titulo *Supremi Capitis*; nam Capitis eſt omnibus membris præeſſe, eaque regere, & gubernare; idem liquet ex titulo Principis Eccleſiæ, quo Pontifex honeſtatur: Principis enim eſt leges præſcribere, quàm Veritatem inter cęteros benè firmat Bellarminus lib.4. de Pont. cap.16. & Suarez. lib.3. de legibus cap.1. & 3. Conſtat autem liquidò de praxi legislativæ poteſtatis ab initio Chriſtianæ religionis ad *In verit. S.*

noſtra

nostra usque tempora. Est ergo Pontifex Judex legitimus controversiarum, & dubiorum circà Fidem. Calumniosè verò de more Sectarii ex eo quòd admittamus, Pontificem esse Judicem in causis Fidei, inferunt nos tribuere Pontifici judicium, an articuli Fidei sint admittendi, itemque ei tribuere potestatem condendi novos articulos. Verùm hæc omnia ad calumniam pertinere rectè statuit Bellarminus in Apologia pro Juramento fidelitatis. Tantùm enim dicimus cum dubitatur, an aliquid ad fidem pertineat, Pontificis esse, judicium suum interponere, & quid ex fide tenendum sit pronunciare, neque ullus Catholicus tribuit Pontifici eam potestatem condendi novos fidei articulos ex nova revelatione sibi immediatè facta. Legantur Valdensis 2.doct.cap.22., Castro lib.1. contra hæreses cap.8. Canus 2. de locis cap.7. Bellarminus &c. Asserunt ergo dumtaxat Catholici, posse Pontificem verbum Dei scriptum, aut traditum proponere authenticè, itaut deinceps, certum sit, hoc esse verbum à Deo profectum. Item posse de novo tradere verum sensum verbi Dei, scripto, vel traditione comprehensi, & ex illo eruere propositiones, quæ credantur Fide Divina.

Pater Nau Soc. Jesu in vera effigie Ecclesiæ Romanæ, Græcæque dialogo 10. in quo agit de Summa Romani Pontificis in universam Ecclesiam authoritate, Schismaticos græcos evincit ex ipsorum met sententiis, ut indicavimus. Appellant enim Divum Petrum *Principem Summum primarium Apostolorum fundamentum*. Si ergo Petrus solus Græcis testibus, & Catholicorum etiam omnium consensione fundamentalis in Christo Petra est, sequitur, quod sit Fidei regula. Christus (ut Cyrillus tradit lib.2. Commen. in Joan. cap.1.) Petrum ducto à Petra nomine congruè voluit appellari; erat enim in ipso suam fundaturus Ecclesiam. Et verò fides illa, si rem rectè inspicimus, vinculum est Ecclesiæ, non fundamentum. Est enim id, cujus professione homines inter sese Christiani in Societatem unam connectuntur. Petrus verò fidem illam substinet, unaque eos, quos in eamdem religionem ipsa devincit. Unde Græci ipsi cum Sanctis Patribus Petrum non modò fundamentum Ecclesiæ, sed Fidei nuncupant. Unde sequitur quocumque tempore existat Ecclesia, fundamentum ejus Petrum esse, non jam quidem in se, ut qui jampridem obiit, atque à nobis excessit, sed in suis Successoribus, alias nunc careret fundamento Ecclesia, quæ Petro caret. Verùm cum illum referant ejus Successores, qui his adhęret, atque innititur, Petro ipsi incumbit, qui verò ab illis se eximunt, & à Petri Sede avellunt, & ab Ecclesię fundamento. Hæc omnia docuit Sapientissimus Alexander cum numismati inscripsit. PRIMA SEDES FIDEI REGVLA ECCLESIAE FVNDAMENTVM.

✤ XXVII ✤

REGIA AB AVLA AD DOMVM DEI.

Regia ab aula Palatii Vaticani ad Domum Dei, scilicet ad Divi Petri Basilicam descensum plures Pontifices aperuere, constructis è lapide Scalis, per quas commodè in Sella gestatoria deferri possent, eorumque comitatus incedere; At vel ob loci angustias, vel ob alias causas malè fuerant constitutæ, & tanti Palatii dignitati parùm consonæ: Cum enim in partes geminas divisę essent, quarum una plusquam trecentis palmis prótensa ex unica fęnestra lumen excipiebat, adeò erant obscuræ, ut propterea Summi Pontifices, & Purpuratorum Cœtus, cum è Palatio Basilicam peterent, tenebricosum transitum ex horrescerent.

Decrevit ob id Alexander novas Scalas extruere, & arduam, cęteroqui Provinciam Bernino commisit. Quales illæ sint ostendimus in cap.35. nostrę historiæ Vaticanæ, ac in tabula 82. transversam Scalarum delineationem, earumque ichnographiam exposuimus, & prospectum earumdem in tabula 83. graphicè delineatum, adjecta etiam alia in tabula 84. Constantini Imperatoris imagine equestri, propè Scalas collocata, & à Bernino exculpta.

De his Scalis loquens ipsemet Author Berninus non raró fatebatur amicis, qnod

quod si unquam ex aliquo opere gloriam sibi adeptus fuerat, ex hac certè Scalarum constructione, in qua conficienda tot difficillimas actiones generosis ausis moliri non dubitaverat.

XXVIII

AEDIBVS OECONOMIA, ET DISCIPLINA RESTITVTIS.

ÆDes expressæ in hoc numismate illæ sunt, quibus Nosocomium componitur, quod Sancti Spiritus appellamus, inter cętera nosocomia, quæ Romæ sunt celeberrimùm. Roma enim quasi Nationum omnium parens, summa semper humanitate erga Peregrinos extenditur, antiquæ pietatis institutum retinet, ac propterea ingentia construxit hospitalia, quæ exterorum perfugia esse voluit. Multa equidem sunt, quæ hospites in hac Urbe admirentur, ac laudent antiquæ religionis exempla, sed Xenodochia instructa sui maximam admirationem facere posse videntur. Vix ulla Natio est, tàm à Romano Cælo remota, quæ non in Urbe proprium habeat hospitium, in quo ea sit gubernatio, ut nullum in exteris excipiendis officii genus desideretur. Illa recensuit Abbas Bartholomæus Piazza tract. 2. de operibus piis Romæ, omnium tamen, tùm exterorum, tùm Civium Romanorum Infirmos excipit Archihospitale, de quo nobis sermo est.

Extat illud in ea Urbis parte, quam Leoninam appellamus prope Tyberis ripam, ubi primùm Templum Beatæ Virgini dicavit Ina Rex Saxonum occidentalium sub Gregorio II. Pontifice circa annum 729. domumque Templo addidit, ut in ea Romipetæ Saxones hospitarentur, ut narrat Joannes Vilsonus in Martirologio Anglico die 6. Februarii. Eas ædes ab Offa Anglorum Rege amplificatas anno 847. fortuitum incendium absumpsit. Atque iterum excitatas à Leone IV. circa annum 847. opitulante etiam Rege Etelvulfo, Fridericus Barbarossa anno 1167. penitus evertit; superfuit tamen Sacra Ædes Beatæ Vigini dicata, usque ad annum 1198. quo Innocentius III. Sanctissimus Pontifex Angeli monitu amplum Xenodochium extruxit, in quo Peregrini ægroti, vulgo concepti Orphani pueri, puellæque alerentur. Hoc declarant aliquot inscriptiones, quæ in eodem sunt, relatæ à P. Oldoino in Sixto IV. quarum prima est. *Fœminæ clandestino stupro corruptæ, ne flagitii indicia extent prolem variis modis clam interimunt.* Secunda *Tyberis frequens tanti sceleris testis, & minister infantes noctu de ponte projectos tacitis excepit mersisque vorticibus.* Tertia *piscatores dum sagenam in Tyberi ducunt prò vivis piscibus mortuos infantes non sine horrore extrahunt.* Quarta *Anxius hoc piaculo Innocentius III. Pont. Max. solemni supplicatione consilium, tantique remedium mali à Deo exposcit.* Quinta *Innocentius Angeli monitu expositis infantibus excipiendis, educandisque Hospitium in Veteri Saxonium schola designat.* Sexta *Hospitium ex Cælesti visu institutum, ut Christiana charitatis gymnasium Spiritu Sancto Divini Amoris fonti Innocentius III. dedicat.* Septima *curam hospitii & infantium educationem viris regularibus duplici Cruce insignitis Innocentius PP. committit.*

Donatus lib. 4. c. 8.

Col. 39.

Anno deinde circiter 1471. Sixtus IV. totam Urbem à situ, cœnoque vindicare studens tale Xenodochium obsolutum, ac sordidum, & vetustate penè collapsum totum, usque ad solum disiecit, & pulcherrimis ædificiis in meliorem, splendidioremque formam ampliavit; Cumque puellos expositos, puellasque ad pedes suos cum nutricibus prostratos vidisset, locum habitandi iis assignavit, mandavitque puellas nubiles maritis cum honesta dote collocari, nonnullos verò religiosorum infirmorum servitio perpetuo dicavit, Nobilium quoque calamitate, & ægritudine motus seorsum ex promiscua plebe loca idonea, decenterque ornata his attribuit.

In Palatii adiuncti Aula hæc de Sixto leguntur.

SIXTVS IV. SAVONEN. P. M.
LOCI HVIVS IAM FERME DIRVTI
A FVNDAMENTIS IN AMPLIOREM,
ET ELEGANTIOREM FORMAM ERECTORI,
ET PLVRIMARVM GRATIARVM PER DIPLOMA AMPLISS.
LARGITORI SANCTISS.

Ante fores vero Hospitalis Nobilium hęc alia extant.

SIXTVS IV.
NOBILVM CALAMITATE,
ET ÆGRITVDINE MOTVS
SEORSVM AB ALIIS LOCVM IDONEVM
DECENTERQVE ORNATVM EIS ATTRIBVIT.

Oldoin. col. 34.

In Xendochio Sixti vita coloribus expressa cernitur cum inscriptionibus à Baptista Platina exaratis, quas tum ad Sixti, tum ad Platinæ ornamentum Pater Oldoinus refert. Xenodochium autem, ubi mille ægroti commodè disponuntur palmos 560. sua longitudine æquat, quinquaginta vero latitudine. Ejus fabricam delineavit Andreas Palladius Architectus. Laquearia auro exornata imposuit anno 1546. Alexander Guidiccionus Commendatarius. Ad Ægrotorum curam addicti sunt quatuor Urbis Medici insigniores, quatuorque alii, duo Chirurghi, duoque Sacerdotes quotidie assistentes. Xenodochio alias ædes Sixtus addidit, in quarum prima viginti quinque Nutrices infantes lactant præter alios quamplurimos, qui extra Xendochium aliis nutricibus locantur. In secunda quingentæ puellæ. In tertia totidem pueri aluntur. His ædibus Palatium addidit pro Commendatario Gregorius XIII. opus dirigente Octaviano Mascherino Architecto; Qui plura desiderat adeat Alverum Romam describentem. Nos de Alexandro VII. differentes inscriptionem addimus in ea parte positam, quæ viam Lungariam respicit, in qua quidquid Providentissimus Pontifex in bonum ejus loci egerit luculenter exponitur.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
HVIVS SACRÆ APOSTOLICÆ DOMVS
CANONICORVM REGVLARIVM COENOBIVM
SEPTIS RELIGIONIS INCLVSIT
SÆCVLARI FAMVLITIO INDE AMOTO,
ET IN ALIIS ÆDIBVS RECENS EXTRVCTIS COLLOCATO.
PVELLAS, VT LANIFICIO, ET DISCIPLINÆ INCVMBERENT
A MONIALIVM CÆTVM SEIVNXIT,
AVCTO, ORNATOQVE PANTHEONE.
ANNOSAS VIRGINES, AC MORBO INSANABILI LABORANTES
MONIALIBVS IN DECENTIOREM LOCVM TRANSLATIS
COMMENDAVIT.
LACTENTIBVS, ET LACTE DEPVLSIS INFANTIBVS,
PVERISQVE ORPHANOTROPHIVM DOMICILIVM,
ET TYROCINIVM CONSTITVIT.
NOSOCOMIO ADDICTOS HOMINES SPARSIM
OLIM HABITANTES ORNATA PORTICV,
ET SVPERINDVCTIS CVBICVLIS MAGNO INFIRMORVM
BONO IN VNVM COLLEGIT,
NE VNO QVIDEM OBVLO,
AC REDDITIBVS SACRÆ DOMVS INSVMPTO
ANNO SALVTIS MDCLXIV.
PONTIF. X.

Præcipuam

Præcipua enim Alexandri virtus, Charitas erga Ægrotos pauperes emicuit, quam maximè posteritati commendat inscriptio marmori incisa in Xenodochio apud Lateranensem Basilicam recens constructo pro Fœminis, à Benedicto Millino relata, scilicet. Pag. 189.

ALEXANDRO VII. PONT. OPT. MAX.
QVI CVM BASILICAM LATERANENSEM INVISERET
IN GEMINA HÆC VALETVDINARIA HVMANÆ MISERIÆ,
ET MISERICORDIÆ THEATRA INGREDI DIGNATVS EST,
VT INTER EGESTATIS,
ET ÆGRITVDINVM VMBRAS AVRVM
PONTIFICIÆ CHARITATIS CORVSCARET,
LONGO ORDINE HINC,
ATQVE HINC DECVMBENTES AVGVSTÆ MAIESTATIS,
PRÆSERTIM BENIGNO OCVLORVM ASPECTV EIS IMPARTITA
IN ARTICVLO MORTIS INDVLGENTIA CONSOLATVS.
IN MVLIERVM VERO XENODOCHIO
AD AGENTIS ANIMAM FOEMINÆ LECTVM SVBSISTERE
PONTIFICIÆ CRVCIS SIGNO CÆLI ADITVM APERIRE,
MORIENTIS CVSTODIAM LECTISSIMIS PVRPVRATORVM
COMMENDARE,
VT IN REGNVM BEATORVM RECEPTA NVNTIARE POSSET
NOSTRI SÆCVLI SVB ALEXANDRO PONTIFICE
FELICITATEM.
NE TANTÆ HVMANITATIS EXEMPLVM
PRINCIPES AD IMITANDVM,
ADMIRANDVM POPVLO IGNORARENT
HOC MONVMENTVM EREXIMVS

PAVLVS MACCARANVS
HIACYNTHVS DE BVBALIS } CVSTODES.
LVDOVICVS CASALIVS

IOSEPH DE ANIBALDENSIS CAMERARIVS.



XIX

PROCIDAMVS, ET ADOREMVS IN SPIRITV, ET VERITATE.

DUm Alexandrum Pontificem famulorum humeris sub magna umbella delatum, manibus tenentem Venerabile Sacramentum Eucharistiæ, in aurea Theca inclusum numisma ostendit, in mentem revocat sacram illam actionem, quam Summi Pontifices celebrant singulis annis feria quinta proxima post octavam Pentecostes, idest in Festo Corporis Christi. Hoc ipsum numisma proponens P. Molinettus ità illud explicat. Pag. 188. num. 19.

„ Alexander singulari erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacrementum pietate „ ductus antiquum abolevit morem, quo solemni supplicatione Summus Ponti„ fex sedens, & ministrorum humeris subiectus illud deferre consueverat, tan„ quam Divinæ Majestatis venerationi minus congruum, utque deinceps genu„ flexus illud ipsum gereret instituit, & sancivit, ut hic cernere est. Hæc supra-

citatus Author, verum deceptum illum fuisse quæ dicenda erunt manifeste docebunt.

Falsum primò est, Alexandrum VII. antiquum abolevisse morem, quo solemni supplicatione Summus Pontifex sedens, & ministrorum humeris subvectus illud deferre consueverat. Si enim Pontificum acta ad mentem revocemus, morem deferendi per publicas vias Sanctissimam Eucharistiam non valde antiquum fuisse reperiemus, nec sedentes semper illam Pontifices detulisse.

Inter omnes Summos Pontifices, qui Romæ in Festo Corporis Christi publice per vias detulerunt primum fuisse invenio Nicolaum V. ex relatione Stephani Infessuræ, qui in suis Diariis anni 1447. hæc patrio idiomate recensuit.

„ Die 8. Junii, lo dì dello Corpo di Christo Papa Nicolò V. fece la Proces-
„ sione in San Pietro, & portò lui con le sue mani lo Corpo di Christo da S. Pie-
„ tro infino à Porta Castello, & andorono tutti li Cardinali, Vescovi, & Arci-
„ vescovi, e tutte le Chiese di Roma; & andone à vedere tutto lo Popolo, per-
„ che da quei inanti mai fù veduta simile ceremonia, che alli dì nostri.

„ De eodem Pontifice scribens eruditissimus Ciacconus hæc habet, Nicolaus
„ V. anno 1448. die 25. Aprilis solemnes à Sancto Petro, usque ad Sanctum Mar-
„ cum pedibus gradiens supplicationes fecit, Sacram Eucharistiam gestavit, rem
„ illo Seculo insolitam, Popolo admirante omnibus Cardinalibus comitanti-
„ tibus cum multis Reliquiis Sanctorum.

Quod si hoc anno in instituta peculiari supplicatione pedibus gradiens Sanctam Eucharistiam gestavit Nicolaus, ut asserit Ciacconius, valde probabile est in solemniori supplicatione, Festo die Corporis Christi primùm celebrata, pedibus incessisse. Talem ritum nulla lege Pontificia firmatum, sequentibus annis diversimode celebratum recognovi, ac Sanctissimum Sacramentum modo pedites, modo in sede delatos Pontifices sustinuisse, aliquando nudo capite, aliquando etiam pretiosa Mitra exornatos; ut hæc omnia clarius pateant, referam verba, quibus in Diariis Magistri Cæremoniarum post Nicolaum V. acta Summorum Pontificum recensuerunt.

Ex Diariis Joannis Brucardi Alexander VI. die 2. Junii 1494. ad pedes scalarum accepit Mitram, & ascendens sedem in ea portavit Sacramentum.

Anno 1497. in sede sedens sub baldachino more co nsueto portavit Sacramentum.

Ex Diariis Paridis de Grassis Episcopi Pisaurensis.

Leo X. anno 1513. Papa dubitavit, an ipse pedibus suis ambularet, vel in gestatorio deferri deberet, portans Sacramentum „ Ego consolui (ait Paris)
„ quòd ut à pluribus videri posset, & pro majestate deferri se pateretur, quod
„ ipse ægrè acceptavit, sed ad voluntatem Cardinalium remisit. Ipsi autem di-
„ xerunt, Papam deferri debere in sede, & sic fuit, quod cum alii dicerent ipsum
„ cum Mitra pretiosa ire oportere, & non cum simplici propter solemnitatem
„ actus, & ego dicerem, me Julium II. vidisse sine mitra, retento solo bireto albo
„ propter aerem matutinum, ipse hoc audito devotè jussit ambas mitras auferri
„ à se, & etiam voluit per totam viam, usque ad ultimum actus esse nudo capite,
„ ob quod à multis fuit tamquam devotissimus commendatus, licet nonnulli
„ damnaverint, non decere Pontificem esse nudo capite, ad quos ego respondi
„ imo decere portantem Sacramentum.

Idem Anno 1514. Papa Leo portavit Sacramentum nudo capite, sic ipsemet volens, quamuis à nobis contradiceretur, quod debuerit esse capite mitrato, sed noluit; Cardinales quoque à principio sine mitris esse voluerunt, contra quos ego clamavi, non debere esse sine mitris & paulatim omnes acceperunt mitras.

Idem Anno 1515. Papa fuit semper nudo capite portans in processione Sacramentum, cum tamen à me fuerit pluries requisitus, ut saltem caperet biretum, si mitram non volebat, & hoc fecit ex devotione, licèt cum majori majestate fuisset cum mitra.

Idem Anno 1516. Papa semper nudo capite, licèt à me pluries invitatus, ut si non mitram saltem biretum assumeret propter sanitatem, sed noluit, quamuis eo mane ingentes pluuiæ è Cælo decidissent.

His

Anno 1532. Clemens VII. voluit sine mitra, & bireto pedester deferre Sacramentum. *Martinellus in Diariis.*

Anno 1533. Papa pedester voluit portare Sacramentum, quamvis Magister Cęremoniarum illi dixerit, quòd laudabiliùs esset si ipse portaretur in tali actu Solemnitatis.

Paulus III. anno 1535. die 15. Junii delatus in Sede, secundùm morem portavit Sanctissimum Sacramentum cum magna reverentia. *D. Francis. Firmanus in Diariis.*

Pius V. die 14. Junii 1566. pedibus suis incedens portavit Sanctissimum Sacramentum cum Tiara, quàm deposuit ante Domum de Aquila, & deindè ivit cum Berettino. *Idem.*

Anno 1569. Papa pedester nunquam voluit in processione portare Mitram, nec Birettinum. *Cornelius Firmanus in Diariis.*

Anno 1571. Pius V. portavit pedester Sanctissimum Sacramentum.

Gregorius XIII. anno 1572. semper pedester tulit Sacramentum cum birettino, & aliquantulum quievit in Ecclesia Sancti Jacobi. *Murantius in Diariis.*

Anno 1573. tulit Sacramentum cum Mitra delatus in Sede.

Anno 1574. Pontifex sedens in Sede sine mitra cum bireto portavit Sacramentum suppofita tabella sub tabernaculo ad id accommodata.

Anno 1574. portavit nudo capite pedibus suis ambulans usque ad Cancellos, ibi sedens capto bireto albo sublatus est super humeros Parafręnariorum sub baldachino usque ad descensum Scalarum ibi cæpit mitram leviorem. *Idem.*

Anno 1576. Papa portavit Sacramentum in Sede cum mitra Gregorius XIV. feria quinta 13. Junii 1591. delatus in Sede cum mitra portavit in processione Sanctissimum Sacramentum. *Paulus Alaleona in Diar.*

Clemens VIII. die 25. Maii ivit pedester sine mitra, & biretino sub Baldachino: alia de more. *Idem.*

Anno 1600. prima Junii, Papa reverenter portavit pedester sine Mitra sub baldacchino Sanctissimum Sacramentum processionaliter de more. *Idem.*

Anno 1601. 31. Junii Papa pedester sub baldachino processionalitèr tulit de more per viam ordinariam, & quia decidit magna pluvia necesse fuit introire in Cameras residentiæ Cardinalis Sancti Georgii, & in privata Cappella reponere Sanctissimum Sacramentum, deinde cessata pluvia Papa illud reverenter accipiens solemniter in processione portavit per viam lutuosam. *Idem.* *Idem.*

Anno 1602. Papa portavit pedester Sanctissimum Sacramentum more solito.

Anno 1604. 17. Junii Papa in Sede delatus sine mitra, & bireto devotè tulit Sanctissimum Sacramentum. *Idem.*

Paulus V. anno 1605. pedester sub baldachino portavit.

Anno 1606. pedester sine Mitra.
1607. pedester. 1608. pedester. 1609. pedester.
1610. pedester sine Mitra.
1611. 2. Junii pedester sine Mitra.
1612. 21. Junii pedester sine Mitra.
1613. pedester sine Mitra.
1614. 29. Junii pedester.
1615. 18. Junii supra Sedem gestatoriam sine Mitra.
1616. 2. Junii sine Mitra supra Sedem gestatoriam.
1617. 25. Maii in Sede cum Mitra.
1618. 14. Junii pedester.
1619. 30. Maii in Sede sine Mitra.
1620. 18. Junii in Sede cum Mitra.

Hæc sunt Diaria, quæ mihi percurrere licuit. Cętera, quæ scripta sunt, usque ad Alexandrum VIII non vidi. Abundè tamen probant conrra P. Molinettum, non fuisse morem antiquum apud Romanos Pontifices Sacram Eucharistiam deferendi humeris Ministrorum subvectos.

Secundo falsum est, *Alexandrum VII. instituisse, & sancivisse, ut deinceps Pontifex genuflexus Divinum Sacramentum gereret, ut hic cernere est.* Nullum enim decretum circà talem ritum conditum ab Alexandro Annales memorant; fuisse

quidem tale numisma vulgatum, postquam piissimus Pontifex modum excogitavit gerendæ flexis genibus Eucharistiæ, affirmat P. Oldoinus in tabula numismatum propofita ad paginam 720. ut fcilicèt erga Sanctissimum Sacramentum publicam venerationem augeret. Hoc mihi suadet ipsius numismatis lemma. PROCIDAMVS, ET ADOREMVS IN SPIRITV, ET VERITATE, inhærens documento Sancti Joannis

Cap.4. v.4. dicentis. *Eos qui adorant Eum, in Spiritu, & veritate oportet adorare*; hoc est juxtà nostrum Cornelium „ Spirituali cultu Fidei, Spei, Charitatis, religionis, devo-„ tionis, contritionis, ceterarumque virtutum, quibus à Christianis non per um-„ bras, & figuras, ut olim Hebræi, sed in veritate, idest vero, recto, sincero „ proprio. Deoque digno cultu, quo Deus delectatur, juxtà illud Psalm. 50. „ *Holocaustis non delectaberis, Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & illud Psal-„ mi 49. *Sacrificium laudis honorificabit me &c.* Videatur S. Cyrillus Alexandrinus

Card. Bellarmin. de script.Eccl. qui scripsit septemdecim libros de oratione in Spiritu, & veritate, quos Romæ edidit Angellius anno Domini 1588.

His stimulis Sapientissimus Pontifex utens, Concilii Tridentini mentem implevit, quod de processione in Festo Corporis Christi loquens sic pronunciat.

Seff.13.c.5 „ Declarat propterea Sancta Synodus piè, & religiosè admodum in Dei Eccle-„ siam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, & festo „ die præcelsum hoc, & venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac so-„ lemnitate celebraretur, atque in processionibus reverenter, & honorificè illud „ per vias, & loca publica circumferretur. Æquissimum est enim sacros aliquos „ statutos esse dies cum Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatio-„ ne gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum, & Re-„ demptorem pro tàm ineffabili, & planè divino beneficio, quo mortis ejus vi-„ ctoria, & triumphus repræsentatur, ac sic quidem oportuit victricem veritatem „ de mendacio, & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti „ splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, & fracti „ tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant.

Itaque hæc publica Sanctissimi Sacramenti circumlatio ex documento Sacri Concilii quodammodo triumphus est contra hæreticos à Fidelibus Orthodoxis delatus. Nihil enim propemodum Novatoribus hujus ætatis invisius est, quam Festum Corporis Christi, & processio hoc die frequentissimo omnium concursu, comitatu, & apparatu peragi. Quapropter innumera convicia tàm in Festum, quàm in Processionem evomunt, quorum petulantia, & improbitatem coercere conati sunt inter ceteros duo ex Societate nostra Theologi Petrus Thyræus, & Gregorius Scherer. Videatur Jacobus etiam Gretserus ejusdem Societatis de Catholicæ Ecclesiæ sacris processionibus cap.19. Et certè nemo vel mediocriter prudens Festum hoc reprehendere potest, positis duobus fundamentis, altero adversus Calvinistas, Christum totum verè, & realiter sub speciebus panis adesse. Alterum adversus Lutheranos, Christum verè totum realiter sub speciebus panis adesse, non tantum in usu, sed & extrà usum Sacramenti. His duobus positis, & probatis, prout à Catholicis Doctoribus copiosissimè probata sunt, adeò evidens est Festum hoc, & processionem omni impietate carere, sed piissimè institutum, ut ne quidem perspicaciores Calvinistæ id inficiari audeant.

Requirunt Hæretici, præceptum Divinum hujus Festi instituendi, & il-

Ibidem. lud non requiri contra illos evincit Gretserus, docetque hominibus in genere, tantum præceptum esse à Deo, ut Christum colant, speciales autem colendi modos dictavit Apostolis, & Apostolorum in Ecclesia Successoribus ille, de quo Christus Joan. 14. *Ille vos docebit, & suggeret vobis omnia*, adeoque mentitur Hospinianus Calvinista (ait idem Gretserus) dicens: „ Romæ in hoc Festo in „ medio Pontificalis Pompæ duci equum album mansuetum, & phaleratum, por-„ tantem Sacramentum, quod ipsi in pulvino ornato, & hierotheca inclusum Sa-„ cerdos imposuerit. Mendacium hoc evincunt quæ ex Pontificiis Diariis supra retulimus, nam hoc die Pontifex propriis manibus fert Venerabile Sacramentum, ut notissimum est.

Mentitur etiam cum ait, hoc festum ab Urbano IV. fuisse institutum horta tu nescio cujus mulierculæ diuinitus illustratæ. Hanc fabulam pridem redarguit

Onu-

Onuphrius, & post illum Thyræus. Nos operę prætium duximus ejus originem hic exponere ex monumentis à P. Bartholomęo Fisen Nostrę Societatis relatis in libro, quem ędidit Leodii anno 1628. sub titulo, *Origo prima festi Corporis Christi ex visu Sanctæ Virginis Julianæ divinitus oblato*. Narrat ille in Cap. 10. Virginem hanc postquam admiserat in pectoris penetrale Sponsum suum Jesum sub specie panis obvelatum, visionem quamdam habuisse; ex qua divinitus didicit in militantis Ecclesię cætu aliquod deesse solemne festum, quo scilicèt Sanctę Eucharistię origo celebretur. Hujus Sanctę Virginis precibus Robertus Episcopus Leodiensis festum decrevit, deinde mortuo Roberto Canonici Leodienses unanimi consensione anno millesimo, ducentesimo quadragesimo septimo, quinta post Dominicam Trinitatis feria nobilissimum Eucharistię festum religiosissimè celebrarunt. Postea cum Leodium venisset Hugo Cardinalis Legatus à latere Innocentii IV. cui Pontifici erat maximè charus, ibi in Ecclesia Sancti Martini Sermonem habuit de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento coram ingenti Populi multitudine, ejusque festum ad insignem Dei gloriam censuit instituendum. Hic ille Ugo fuit à scriptoribus celebratus, cujusque elogium in tumulo exculptum Ciacconus refert in vita Innocentii IV. his verbis. *In hoc sepulchro jacet vir Venerabilis, Deo, & hominibus gratiosus Fr. Ugo de Celedonio Viennensis, diœcesis tituli Sanctæ Sabinæ quondam Præsbyter Cardinalis. Luminare magnum Ecclesiæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, lucerna Theologiæ, Parisiis doctor egregius, famosus scripturarum tractator, & expositor prælucidus, verbis Dei prædicator eximius, oliva pietatis, palma justitiæ, speculum honestatis, Religiosorum patronus, veritatis preco, pater pauperum & solatium miserorum, obiit anno* 1262. Tom.2.pag. 222.

Probavit insuper hic præclarus vir quoddam officium de venerabili Sacramento, censurę primum oblatum, deinde festum suo diplomate sanciendum putavit, quod diploma refertur ab ipso P.Fisen. Cap.46. Orta deinde gravi dissensione Principem inter, & Clerum, Populumque Leodiensem, Pontificius Legatus Petrus Capoccius advenit, quique magis amplificaret æterni Numinis honorem, Hugonis decretum autoritate sua comprobavit, festumque rursus suo diplomate sanxit, quod idem Fisen. refert Cap. 47.

Urbanus deinde IV. qui in Ecclesia Leodiensi Archidiaconatus dignitate decoratus fuerat, rogatus ab Henrico Episcopo, Apostolica authoritate confirmavit, indixitque festum, quod celebraretur in tota, quę patebat, diœcesi anno 1461. O'doin. in vitaTom.2 col.152.

Angustis terminis festum adeo nobile Diœcesis Leodiensis definiebat, quod in ampliores proferre Dei providentia decrevit Anno post Christi ortum 1264. Vulsinii (oppidum Tuscię est in agro Urbevetano) cum Sacerdos aliquis in eo oppido celebraret sacrum, inter verba consecrationis dubius in fide vidit carneis oculis hostiam in forma pietatis, & de ea sanguinem fluere in calice, quo territus dum conaretur occultare, & cooperire corporali, apparuit mox forma pietatis in singulis partibus corporalis, & ità coactus est populo assistenti miraculum patefacere, quod ubi Populus recognovit ad Urbem Veterem properans (erat ibi Pontifex ob Romanorum Civium tumultus) Summo Pontifici mirabilia, quę viderat nunciavit. Fisen. cap. 62.

Huc ergo ad se Pontifex corporale sacrum jubet deferri ab Episcopo Urbevetano magno sacri, & prophani Ordinis comitatu, quod cum in Æde Principe collocatum fuerit, Urbevetanorum Religio propriam ædem sacro pignori asservando statuere decrevit, adeoque anno 1290. posita sunt fundamenta sub Nicolao IV. qui Urbi Veteri aderat, & primum lapidem ipse Pontifex jecit in fundamentis, deindè singuli Præsules suum posuere, quam molem extruxerunt tanta expensarum magnitudine, ut illius ætatis nullum toto terrarum Orbe potuisse comparari testetur Panvinius. Hoc miraculum etiam narratur fuse à Joanne Diestemio Blero in tractatu, qui habetur in calce magni speculi exemplorum. Principes non minus, ac Populum perculerat miraculum tam illustre ad colendam hujus mysterii veritatem atque etiam haud absimile prodigium anno ejusdem sęculi tricesimonono in Hispanis divinitus editum. Parisiis itidem anno quinquagesimo octavo; quamobrem Urbanum etiam induxit, inpellente Sancto Thoma Aquinate, ut refert

refert Seraphinus Razzius è Dominicana Familia ad festum annuum faciendum Corporis Christi Apostolico diplomate, quod habetur in Clementinis titulo de reliquiis, & veneratione Sanctorum, & refertur à S. Thoma opusculo 57. & ab ipso Fisen Cap. 64. quare ut uno apud omnes proprio ritu festum perageretur ejus officium (ut loquimur) conscribendum Urbanus D. Thomę commendavit, qui adeo religiosè, sapienterque id confecit, ut Ecclesia semper illud retinuerit, eoque utatur, ac si ipso Dei oraculo probatum fuerit, cum illi è Christi Servatoris imagine delapsa vox intonuit. *Bene scripsisti de me Thoma.*

Clemens deinde V. in Concilio Viennensi Urbani diploma renovavit, & Clementis diploma Joannes XXII. anno Pontificatus sui secundo comprobavit, instituitque, ut eodem die festo sacra hostia populo spectanda per Urbium vias sacra pompa deduceretur.

F. Cit. cap. 8.

Eamdem constitutionem Clementis Martinus V. spiritualibus gratiis auxit Eugenius autem IV. an. 1433. utriusque Pontificis constitutiones confirmavit. Hujus, & Martini V. constituitiones habentur in Bullario Tom. 1.

Contra tamen P. Fisen hæc habet Jacobus Eveillon in libro de processionibus Ecclesiasticis cap. 25.

De processione autem nonnulli dubitant, an ab Urbano simul cum ipso festo instituta fuerit, quòd de illa ab eo in sua constituitione non fiat mentio, sed probabilius videtur utrique idem fuisse initium, quippè cum publica processio ex communi Ecclesię usu ad festi solemnitatem pertineat Urbano autem in institutione ea mens fuerit, ut omni genere solemnitatis, & plene, ut loquitur, festum celebraretur, & certè plausus ille populorum, & publice omnium tripudiatio, quam in commemoratione hujus festi commemorat Urbanus non æque videntur posse convenire divinis officiis, quę in choro à solis clericis celebrantur, ac pompę ipsius processionis. Atque in hac sententia sunt Joannes Laziardus in Epit. hist. univers. Cap. 233. Hermannus Scheder in Chronicis in sexta ætate mundi, Philippus Bergomus in supplemento Chronicorum, Onuphrius Panvinius in annot. ad Platinam in vita Urbani IV. Joannes Molanus in natalibus Sanctorum Belgii 5. Aprilis, Henricus Spondanus anno 1264. qui docent, Urbanum instituisse solemnitatem Corporis Christi cum Processionibus à cunctis fidelibus celebrari, quamvis Dieftemius art. 9. scribat Joannem XXII. ultra ordinationem Urbani processionem ordinasse. Sed ejus rei nulla prorsus mentio in Constitutionibus Joannis, sivè quę inter Extravagantes, sivè quę in Bullario habentur. Neque verisimile est eum tanti momenti ordinationem amissurum fuisse, si illam edidisset cum ipse constitutiones Urbani, & Clementis de ejusdem festi institutione non omiserit; & certe à Concilio Senonensi habito anno 1320. indicatur, ante illud tempus in usu fuisse eam processionem in Gallia. Verba Concilii relata à supracitato Eveillon sunt.

„ Circa verò processionem solemnem, quę dicta feria V. fit à Clero, & Populo in delatione dicti Sacramenti his diebus cum quodam modo divina inspiratione introducta videatur, nihil quo ad præsens injungimus, devotioni Cleri, & „ Populi relinquentes. Ex his patet quam longè à veritate erraverint qui prima initia hujus processionis retulerunt, fuisse post annum 1400. ita P. Joannes Dominicus Musantius noster cum aliquibus aliis, inductus fortasse verbis Donati Bossii, qui in Chronicis suis scribit. *Die Jovis 29. Maii anni 1404. Corpus Christi solemniter per Papiam Urbem circumferri cœptum*; quasi quod tunc Papię novum fuit toti Orbi ante inusitatum fuisse oporteret.

Cap. 264.

In tabul. Chronol. tit. Sacris Ritus

Cur verò ei festo celebrando selecta fuerit feria V. post octavam Pentecostes hanc causam reddidit S. Thomas opusculo 57. „ Ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter „ recolamus, quo Spiritus Sanctus corda Discipulorum edocuit ad plenè cogno- „ scenda hujus misteria Sacramenti, nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacra- „ mentum à fidelibus frequentari. Quippe in actibus Apostolorum Cap. 2. „ S. Lucas scribit, statim post illapsum in Apostolos Spiritum Sanctum fideles „ assiduè versatos fuisse in Communione Sanctę Eucharistiæ.

Ritum autem deferendi Sacramentum hierotheca inclusum in humeris Sacerdotum

cerdotum instar Arcæ fœderis haud recens inventum, sed à primis temporibus in Ecclesia usitatum fuisse docet capitulum quintum Concilii tertii Bracarensis, sicuti etiam erat ritus deferendi sanctorum imagines, & reliquias ab ipsis etiam Summis Pontificibus omnibus Sæculis usitatus. Ad similem modum in Ecclesia Græca antiquus mos fuit, quoties Missa celebranda esset, ut Sacerdos Sacris Vestibus indutus Hostiam consecratam in disco, velo cooperto capiti impositam venerationis ergo gestaret lento incessu per Ecclesiam progrediens, præeuntibus cereis accensis, & Diacono thus adolente, populus verò interea flexis genibus in adorationem procumberet. Id constat ex liturgia, quæ habetur in Tomo 6. Biblioth. Patrum ex Theoria mystica rerum Ecclesiasticarum Sancti Germani Archiepiscopi Constantinopolitani. *Apud Eveillon pag. 269.*

Nunc Summus Pontifex Sacram Hostiam defert manibus ante pectus in hierotheca argentea, vel aurea inclusam, ipseque Divinum Sacramentum sustentans supra humeros famulorum defertur in triumphi speciem, non ad Summi Pontificis gloriam, sed ad Divini Sacramenti cultum celebrati. In Urbe tamen veteri ea die Sacrum Corporale circumuectatur in humeris Sacerdotum instar Arcæ fœderis loco currus triumphalis. Defertur etiam sub magna ferica umbella quam Baldachinum appellamus, de cujus vocis etymologia, variaque acceptione, & usu consule Macrum in Hierolexico. Illud semper esse album cum Eucharistia defertur notat idem Macrus. Quando nam ejus usus incœperit non adeò certum, Ordo Romanus Petri Amelii, qui vixit circa annum 1370. loquens cap. 57. de Processione sic habet. „ Cum Papa surgit de Cathedra, quatuor nobiliores, qui „ ibidem sunt erigunt pannum super eum baculis in summitatibus, & sic semper „ Papa stat subtus pannum quo usque perveneit &c. Recentiores Sancti Dionysii consuetudines anni 1368. in Rituale Corbejensis Monasterii anno 1411. à Stephano de Contii Monacho ordinatæ, & relatæ à P. Edmundo Martenne cap. 25. lib. 3. etiam illud memorant in Processione Festi Corporis Christi his verbis. *Accipitur Corpus Domini ab Abbate, & ab eo sub pallio serico, quod ligatum est extensum cum quatuor lanceis quatuor Diaconi procedentes dalmaticis festivis induti portabunt cum honore, & reverentia deferatur.* Antiquorem Baldachini usum non inveni: Hierotheca autem, seù tabernaculum, in quo Sacra Hostia fertur inclusa solet ut plurimum in orbicularem formam, radiisque circumdatam efformari. Narrat P. Oldonus in vita Pauli IV. huic Pontifici cum quodam die sermonem institueret de ornatu tabernaculi, quo Christi Corpus in solemnis pompa publicę supplicationis, festoque pie deferri ex consuetudine debebat, ac typi aliquot in medium proferrentur. Illud in primis placuisse, ut ad vitis speciem exornaretur, cujus racemi smaragdis, ac Saphiris, folia ex auro integro, & puro intexerentur. Subditque eumdem Pontificem eo die, quo sacra Eucharistia deferenda erat auctorem fuisse, ut Vaticanam regionem, urbemque leoninam, per quam pompa circumfertur, oppansum late velum inumbraret, primumque fuisse, qui ob deficientes senio vires, tum ad augendam misterii majestatem gestari cum ea fruge sella volvit, quod & consequentes plerique postmodum Pontifices fecere. Contrarium tamen didicimus ex Diariis Joannis Bruccardi, ut supra retulimus, Alexandrum VI. anno 1494. in sede tulisse Sacramentum, sicuti etiam ex Ciacconio, Vias velis obtectas fuisse cum Nicolaus V. anno 1448. Die 25. Aprilis *Solemnes à Sancto Petro, usque ad Sanctum Marcum pedibus gradiens supplicationes fecit Sacram Eucharistiam gestans rem illo Sæculo insolitam, Populo admirante &c.* Cæterum morem vias velis obumbrandi ab antiquis, falsum licet Deum colentibus, acceptum sciunt eruditi, de quibus Polidorus lib. 6. cap. 11. Lipsius electorum lib. 2. cap. 19. & Joseph Laurentius in Polimathia lib. 3. de Sacrif. Synopsi 3. qui narrat, ob id factum, ne ex fenestris in vias despici possit. Huc facit decretum Concilii Mediolanensis IV. cap. de his quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent ubi statuitur, ut omnes Sanctiss. Sacramentum venerabundi prosequantur, non verò quasi ad otiosum, aut ludicrum spectaculum vocati id è fenestris, aut officinis seu tabernis prospectent.

V. Baldichinum. — *De antiquis Monachorum ritibus.* — *Col. 826.* — *Idem col. 831.* — *Col. 952.*

Sed quid (inquies) referunt illa duo ampla flabella hastis imposita hinc indè propè Pontificem delata, & in numismate expressa? Multa docet circa illa Dominicus Macrus in suo Hierolexico ubi etiam enarrat non solùm Summum Pontifi-

Pontificem, cum in sella defertur Pontificio amictu exornatus ex utroque latere flabellis hujusmodi obumbrari, sed Priorem conventualem Equitum Melitensium, & Archiepiscopum Messanensem, ac Episcopum Trojæ in Apulia in Processione Festi Corporis Christi, imò etiam illa præcipi in solemni Sacrificio à Cæremoniali Patrum Dominicanorum num. 6. ubi sic. Tempore „ quoque muscarum debet eas Diaconus Flabello amovere, ne molestent „ Sacerdotem, & abigere à Sacrificio. Plurima etiam docuit Pompejus Sarnellus cap. 38. de antiqua Basilicographia. Verùm eruditiorem Diatribam de his Flabellis Pontificiis exaravit anno 1652. Illustrissimus Joseph Maria Suaresius, Episcopus Vasionensis quam penè totam hic inserere operę pretium duxi, cum admodum rara sit, tum in librorum officinis, tùm in Bibliothecis, cęteroqui præclaris.

Cogitanti mihi (ait ille) sæpe numero de flabellis, seu muscariis Pavonis, quæ Romani Pontifici quoties solemnibus Sacris operaturus procedit cum pompa de more præferunt ante ambulones, seu pedissequi Famuli, quibusque illi vultum ejus obumbrant. Ritus originem penitùs scrutari, causasque indagari, ac sedulo inquirere libuit. Ecclesiam Romanam D. O. M. nutu ab Apostolorum Principe Petro delectam, quæ reliquarum Magistra foret, Spiritu Sancto cęremonias constituisse jàm ab ortu suo complures, sed omnes è justissimis rationibus, & sapientissimis argumentis noveram, & illas constanter, uti rectam, & sanam doctrinam, certumque veræ fidei depositum conservasse, atque ad nostra usque Sæcula custodisse.

Originem Flabellorum hujusmodi, sive institutum à S. Jacobo filio Zebedei, & Joanne fratre repeto, cujus in Liturgia, quam S. Clemens Primus Romanus Episcopus Constitutionum libris inseruit. Duo Diaconi ex utraque parte Altaris teneant è tenuibus pelliculis flabella, aut alarum Pavonis, aut lintei, & seorsum repellant parva volatilia animalia ne incidant in vasa. Haud disimilis ritus observatur in Liturgiis Sanctorum Basilii, & Joanni Chrysostomi, & in vita Sancti Epiphanii apud Metaphrastem. Hinc in Ecclesiis Romana, & Græca usus invaluit, Flabellum quidem adhibitum Altari, & gestatum à Diacono dum Missas celebraret Romanus Episcopus ævo Agapiti primi Papæ Moschus, seu Sophronius enarrat. Ab authore Chronici ad ann. 5. olim 35. indict. 12. sub Heracl. cap. 196. Alexandrini in sacram supellectilem Ecclesiæ numerantur pretiosa Muscaria, quæ à Clericis relata traduntur in Secretarium unà cum discis, & calicibus. In Ecclesiis Sirię factitatum id constat è suprascripto Mosco. Schultingius accenset Sacræ Supellectili Gręcorum Sacerdotum Flabellum. Everardus Comes Fundator Cœnobii Cisoniensis testamento, quod anno Christi 837. condidit inter alia Ecclesiæ Cisoniensi reliquit Flabellum argenteum unum (uti Miræus interpetratur) Flabellum ad Muscas arcendas, & calorem minuendum. In pluribus Hispanicis Assistentes gestare solitos Flabellum è plumis pennarum testatur eruditissimus Monchallius Archiepiscopus Tolosanus, haud pridem magno literarum detrimento defunctus. Apud Latinos hoc tempore minùs necessariam consuetudinem ad eventilandum scilicet, scribit Scortia; laudans præterea Cyrillum Eremitam Germanum Genebrardum, & Joannem Stephanum Durandum uti Menardus alios proferens in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ. In Cæremoniali tamen Petri Burgensis, qui ævo Nicolai V. videtur scripsisse, memoratur Flabellum ad abigendas Muscas inter Sacra gestatum.

[Margin notes:] Lib. 8. c. 12. — Prat. spirit. c. 150. l. 10 — Ad ann. 5. olim 35. ind. 12. sub Heracl. cap. 196. — To. 1. p. 1. fol. 89. Biblioth. — In not. ad cod. Donat. p. 102. — Cap. 14. de Sacr. Miss. — Pag. 150. & 155. de Rit. Sac.

Causas verò, seu rationes hujusce ritus quatuor præcipuas comperi, quarum duæ physicæ sunt. Prima scilicèt ad aerem refrigerandum, ciendamque auram, qui usus Flabellorum omnium communis est, nam ut Ovidius canit,

Profuit & tenues ventos movisse Flabello.

Non æstate solum cum exurit agros Sirius, & Stella vesani leonis furit. Verùm & hyeme, quæ in Urbe mollissima est, cum in tanto Procerum, plebisque, ac advenarum concursu feruerent, ac exæstuarent Ecclesiæ, easque Pontifices Romani obirent pedibus persæpe nudis, quia ut plurimùm emanabat sudor, quod diffluebat illorum etiam coma, pulvereque fedabantur inter ambulandum. Hinc illis ingredientibus Ecclesias ad Sacras Stationes peragendas dabatur peluis, & aqua infundebatur ad pedes abluendos, & involucrum Pontificium humeris circumjiciebatur

ciebatur adhibebaturque pecten à Diacono, & Subdiacono, ut extergeretur sudor, & pulvis excuteretur, componerenturque capilli, quemadmodum Burgensis in eo Rituali animadvertit. S. Gregorius Nazianzenus de luxu, deliciisque sui ævi agens, refert quosdam è pueris adstantibus Flabelli motu ventum capiti artificiosè suscitare, ac manufactis auris molem carnis refrigerare. Terentius in Eunucho exhibet quemdam ità clamantem *Heus Tu Dore cape hoc flabellum, & ventum huic facito dum lavamur*. *Orat. 16.*

Altera ratio, quæ petitur à natura hæc est, quia cum nec dum communio Sacrosancti Calicis Ecclesiastica lege lata æquissimè à Sacratissimis mysteriorum Christi dispensatoribus in Occidente plebi, & laicis fuisset omninò subducta, & sub utraque Specie augustissimum Eucharistiæ Sacramentum cunctis Fidelibus percipi quandoque soleret, quod etiam serius in Ecclesia Romana perdurasse testantur Angelus à Rocca, & Franciscus Juretus (quo tempore profectò sedebant Avenione Romani Pontifices jam ea consuetudo penitùs obsoleverat. Unde illi Viris principibus aliquot, ut ipsi Christi Sanguis in Calice porrigeretur veniam dabat) capaciores, & majores Calices, atque adeò ansati vino Sanctificando pleni Sacris Altaribus inferebantur, ut populo communicaturo post Consecrationem circumlatus Domini cruor distribueretur, muscæ, culices, & alia id genus animalcula, humore, ac odore illecta, infesta populò, ac Sacerdotibus circumvolitabant, & incursabant, quia illapsa, & immersa interdùm fluitare poterant, non sine potantium horrore, ac dedecore, quamobrem non solùm Colatoriis opus erat ad acinos extrahendos, eximendasque feces, verùm etiam muscariis, & flabellis ad animalcula illa abigenda, uti Burgensis suprascriptus observavit. *Lib. de Comun. Font.* *In not. ad Episc. Ivonis Carnot. 28.* *Just. Lips. Epist 27. cent. 3. miscell.*

Mysticam rationem, quæ tertia est, docuit me S. Hieronymus qui ad Marcellum scribens. *Quod autem* (inquit) *& matronis offertes muscaria parva parvis animalibus eventilandis. Elegans siquidem significatio est debere luxuriam citò restinguere, quia muscæ morituræ oleum suavitatis exterminant Beelzebut, nempè Deus muscarum exponitur, quia ob crebras Victimarum cædes in ejus Sacrificijs exundante, largiùs animantium cruore infecta, & uda humus. Respersumque, & madens pavimentum, sordibusque immolatitij Sanguinis inquinatum muscarum, & culicum numerosas invitabat turmas*. Afferebant contra Hebræi in suis Sacrificiis, nullam unquàm muscam visam fuisse; & verò sordidum, & libidinum obscænarum incentor censetur hic Cacodemon, quem à puris, & mundis Christi Sacris arcendum flabella designant. *Cornel. à Lapide in Levit.*

Secundum mysticum argumentum, & Jobius Monachus subministrat hisce verbis: „ Dominico Corpore proposito super Sacra Mensa, idcircò hi, qui utrin„ que Sacris ministrant Flabella ex alis facta, prolatis venerandis mysteriis ad„ movent, quæ sex alas habentium referunt figuras, ut ne sinant Sacrificos his, „ quæ videntur immorari, sed super omnem materiam elatos mentis oculos è vi„ sis in invisibilem contemplationem, & inexcogitabilem illam pulchritudinem, „ ut decurrere valeant præparent; etenim Corporalitèr adstanti Domino cum ti„ more, ac tremore Seraphim inserviunt, cujus timoris, ac tremoris Signum esse „ factum per alas motum, quem qui ministrant ciunt.

Adjici potest pro mantissa, Romanum Pontificem, cum Dei personam sustineat in terris, gloriosam ejus speciem exhibere turbis inhiantibus, dum pavoninis illis circumdatur, juxtà visum Isaiæ. *Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum Seraphim stabant super illud sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus*. Tolosanus Antistes Episcopum sedentem inter duos Archidiaconos, sive Antistites comparat, non tantùm Dei throno, quia est domicilium Spiritus Sancti, & Archidiaconos, sive Presbyteros Angelis; verùm etiam propitiatorio, & duobus Cherubinis. Item solio ab Isaia conspecto, & duobus Seraphinis, vultque flabellum referre alas Cherubinorum, & Seraphinorum tremulas præ timore, ac reverentia; ad illos hoc instrumento alludi volunt Græci, & Maronitę, qui orbiculatis argenteis, seu cupreis laminis utuntur, & circumcirca tintinnabula addunt, quæ à duobus clericis utrinque post Sacerdotem tremulo motu agitantur. Videntur quoque Flabella illa dirigere Pontificis vultum, oculosque, ne se dextrorsum, vel sinistrorsum reflectat, sed recta tendat ad Altare, atque Sacra fixo intuea-

intueatur aspectu. Sic S.Martinus Turoneñ Episcopus supinus in lecto mori voluit, ut suo itinere ad Dominum migraturus Spiritus, dum Cælum aspicit dirigeretur. Velut ad refrigeranda Pontificum Corda, quos præsertim cum Sacra faciunt ardentissimo Christi amore flagrare par est, quique possent in vitę discrimen interdum præ illo æstu adduci, Flabellis opus erat, quæ ardorem attemperarent. Discipuli quidem Christum comitantes in via ad Castellum Emaus corda experti sunt in se ipsis exardescentia; & S. Philippus Nerius charitate Dei vulneratus languebat jugiter, tantoque æstuabat Cor ejus ardore, ut cum inter fines suos contineri non posset, illius sinum confractis, ac elatis duabus costulis Dominus ampliaverit. Sancta etiam Theresia intolerabili Divini amoris incendio cum decumberet potiùs, quàm vi morbi, purissimam animam Deo reddidit.

Admonent, & Summum Pontificem in illo Dignitatum vertice qui Flabella illa circumferunt Famuli, supremæ Sortis; videntur enim esse instar Servorum, qui Dominorum funera olim pileati antecedebant, vel in ipsis, quibus efferebantur illi lectulis stantes cadavera ventilabant; quique si hæc ex voluntate fierent, vel testatorum, vel hæredum illicò Romani Cives è constitutione Justiniani Augusti ad Joannem Præfectum Pretorio evadebant. Neque satis adhùc mihi facio; rimandum enim est, atque investigandum, cur potiùs Pavonum è pennis flabella illa contexantur, aut acu picta illarum Speciem exhibeant, quam vel è membranis, vel è linteis, vel aliarum ex Avium plumis, vel è palmis. In Monasterio Vivecensi, quod proximum littori, & Vennesensi contiguum est; S.Fulgentius Afer operabatur manibus suis cum delectabatur, nam & Scriptoris arte laudabiliter utebatur, & palmarum foliis Flabellos contexebat, ut author ejus vitæ loquitur. Memorat Propertius, *pavonis caudæ flabella superbæ*, & potiori fuisse olim pretio, nuncque certum est esse, usurpabant quippè illa, quæ ipsæ Augustæ, teste Claudiano in Eutropium, qui Eunuchus imperatrici cum famularetur, ubi illa (ut hic Poeta pangit)

Lib.1.c. de Lat. libert tollen. — *Cap.14.*

Se rapido fossam projecerat æstu.

Patricius.

Roseis Pavonum ventilat alis.

Martialis indit Apophoretis muscarium Pavoninum, & exornat isto disthico.

Epig.65.

Lambere quæ turpes prohibet sua prandia muscas
Alitis eximiæ cauda superba fui.

Qui de muscario bubulo ad excutiendum, detergendumque pulverem mox succinit, & delecto Pavonino.

Epig 82.

Nomina dat Spondæ pictis pulcherrima pennis,
Nunc Junonis avis, sed prius Argus erat.

Pictura eximia visebatur in Aquilejensi Palatio Faustæ porrigentis Constantino Sponso galeam ornatam pennis pulchri alitis, idest pavonis, ut pandit Panegiristes. Urbanus III. concessisse legitur Henrico Secundo Angliæ Regi, ut is, quem mallet è filiis suis Rex Hibernię coronaretur, quamvis id Lucius ejus antecessor negasset, idque confirmavit Bulla sua, & in argumentum Voluntatis, & confirmationis suę misit ei Coronam è pennis pavonis auro contextam, quæ sunt verba Rogerii de Novedemi. Coronam similem detulit Poeta Provincialis in ingressu triumphali Ludovici XIII. Francorum, & Navarræ Regis gloriosę memoriæ Aquis Sextiis. Pavo propterea symbolum est perfecti, justique, ac Sancti Viri, qui nullo inficitur, neque corrumpitur flagitii contagio, nullo contaminatur vitio. Pavonis enim caro imputribilis est, sicut S. Augustinus comprobavit. Pavonis instar Vir justus refulget varietate gemmea, non pennarum, sed virtutum, & quemadmodùm avis illa fugat canoro clangore serpentes, ita iste voce, ac oratione Diabolum repellit. Pavo etiam Christum Dominum repræsentat, uti S. Antonius Patavinus apud Bossium recenset.

Gloss. in c. 11. libr.3. reg. — *Lib.11. c.4 de Civ. Dei.* — *In Roma subterr.*

Hucusque cum supra laudato Suaresio. Alias circumstantias, quæ ad apparatum hujus triumphi pertinent, recenset Jacobus Eveillon in libro de Processionibus Ecclesiasticis pag.274. Nos relictis cęteris unicam tantùm observamus ab ipso numismate, quod præ manibus habemus, propositam, quæ tamen omnibus aliis processionibus est communis, scilicet Crucem, quæ ut ait Durandus quasi

regale

regale Vexillum,& triumphale Signum in processionibus præmittitur. Et quidem plura circa Crucem delatam nobis proponuntur inquirenda prçter ea,quç diximus de Cruce Summo Pontifici prçlata; Et primò cur in processionibus prçmittatur. Secundò quo tempore ejus usus incœperit. Tertiò cujus forma illa sit. Quartò an sit eadem, ac Crux, quæ olim Romæ ad Sacras Stationes delata Stationalis dicebatur. *Lib.4. Rat. cap.6.*

Et primò rationem, cur in processionibus præmittatur, duplicem assignat Durandus. *Primò* (ait) *ut fugiant qui oderunt eam à facie ejus*. Psal.67. Est enim „ signum victoriç Christi, juxtà illud, *Vexilla Regis prodeunt*, quo Dçmones vi- *Ibidem.*
„ cti sunt, unde illo viso timent, & fugiunt, & propter hoc in quibusdam locis
„ tempestatibus aeris opponitur, ut Dçmones fugiant, & ab aeris concitatione
„ desistant. Secundò Crucis Vexillum prçmittitur, quia sicut ait Apostolus ad
„ Galathas: *Absit nobis gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus nobis, & nos mundo Crucifigi debemus*.

Tertiam rationem addit Jacobus Eveillon, quia cum Processio Ecclesiam in hoc Mundo peregrinantem, & militantem significet; equum est eam sub Christi Imperatoris Signis ad bellum procedere, cujus auspiciis militat. In libro, cui titulus *gemma animæ*, de cujus authore non satis constat; Aliqui enim fuisse credunt solitarium Monachum, Virum pium, & eruditum; Jacobus verò Pamelius illum ascribit cuidam Honorio, in hanc sententiæ confirmationem hæc legi. Pon- *De Process. Eccl. c.3.* *Cap.vltimo.*
„ tificis, & Cleri Populique processio est quasi Imperatoris, & cujusdam exer-
„ citus ad bellum progressio. Hi cum subtus albis, desuper Cappis, vel aliis so-
„ lemnibus vestibus induuntur, quasi milites pugnaturi subtùs loricis desuper
„ Clypeis muniantur, cum de Choro exeunt, quasi de Regia Curia cunei pro-
„ deunt. Quasi Imperiale Signum, & vexilla à Signiferis feruntur, cum ante Nos
„ Crux, Vexilla geruntur, quasi duo exercitus sequuntur, dum hinc inde ordina-
„ tim cantantes gradiuntur. Inter quos vadunt Magistri, & præceptores, quasi
„ ut hostium ductores, ac belli incitatores. Sequuntur priores, quasi exercitus
„ duces, atque agminum ordinatores. Procedit Pontifex cum baculo, quasi
„ Imperator cum Sceptro.

Eam sententiam confirmat eruditissimus Fivizanus his verbis. „ Defertur
„ quoque hoc trophçum ante cujuscumque Ordinis Clericorum Monachorum,
„ & aliorum vitæ Regularis una simul ordinatè procedentium Collegia, non in *Cap. 12.lib. 3*
„ alicujus præcellentis dignitatis argumentum, sed in testimonium, quòd in sor-
„ te Domini numerentur, & tanquàm spiritualis militiæ exercitus Crucis vexil-
„ lum sequantur adversus hostes invisibiles, ad quos expugnandos, & debellan-
„ dos validissimum est Crucis propugnaculum. Crucis enim venerabile signum
„ religiosis viris prælatum ad vivum repræsentat venerandum illud vexillum,
„ quod Constantino Magno ad prçlia proficiscenti præferebatur: ad cujus similitudinem eo propriùs accedit, quòd velum Cruci appendi solet ipsius Crucis latitudinem exçquans, Salvatoris Nostri, vel Sanctorum ejus imaginibus ornatum, quale fuisse Constantini labarum, de quo præter Nicephorum Eusebius scribit his verbis „ Ad cornu illius particulç, quæ ex transverso erat per hastile trajecta, ve-
„ lamen quoddam pertenue appensum adhæsit, regali videlicet, & magnifica *De vita Const.lib.1. c. 25.*
„ textura mirabili varietate lapidum pretiosorum artificio se conjunctorum, lucis-
„ que claritate pulchrè resplendentium depictum,& multò auro contextum, quod
„ dici non potest quantum spectatoribus ob suam pulchritudinem excitarit admi-
„ rationem. Illud igitur velamen ad cornu affixum longitudine, latitudineque
„ Crucis mensuram penitùs exçquans, oblongum verò, & erectum hastile in
„ sublimi appensum, cujus pars inferior versus basim longius ducta fuit sub ipsum
„ Crucis insigne ad texturæ discurrentis fimbrias auream pii Imperatoris pariter,
„ ac liberorum suorum effigiem ad pectus usque concinnè descriptum constituit.
„ Isto igitur salutati signo Imperator tanquam hostilis cujusque, & infestæ vio-
„ lentiæ propugnaculo semper usus est. Cujus expressæ similitudines mandavit,
„ ut universum exercitum perpetuò antecederent. Hæc Eusebius, quæ si quis accuratè consideraverit, facilè prospiciet Ecclesiasticorum Collegiorum agmina sub propriis signis, quorum hastilia velo exornata sint, quamdam prçseferre imaginem militantium, copiarum, consimilibus Crucis vexillis undique prçmunitarum

rum, quibus imperabat invictissimus Constantinus.

Campanula etiam aliquando Cruci præcedit, ut videmus Romę eam præcedere Basilicarum Crucibus, quæ supra sinichia præfulgent, ut alibi explicuimus; Sacris enim copiis veluti signa dantur, & in exercitibus militaribus tubarum, vel tympanorum sonitu ad opportunas expeditiones, sic olim mos erat vocandi Clerum ad Processionem Campanulæ pulsibus, ut legitur in antiquo M. S. Rituali Ecclesię Neapolitanę *Mittut Clerum cum campanella ad præconizandum omnibus Clericis, & Populo, qualiter tali die fiet Processio generalis* hæc affirmat Novarinus in sua Enclycopedia Epist. 8.

His de causis insurgit Gretserus contra Hæreticum, usum Crucis in Processionibus improbantem, ac si essent puerorum nugæ: ut inquit puerilia rudimenta appellas morem illum usitatum Sancti Joannis Chrisostomi, & toti Constantinopolitanæ Ortodoxæ Ecclesiæ, an omnes isti pueri, & puerilibus crepundiis addicti? An omnes alii, quos in fastis sacris recensentur. An judicio tuo Crux puerile rudimentum est, hoc est, res pucrilis, quæ pueros deceat, non viros. Vox dęmonis, non hominis. Quo nam autem tempore ejus usus incœperit, præcipuè in Processionibus ex sequentibus constabit. Antiquitatem sculpendæ, & figendæ Crucis ritum ejusdem circumferendę longè præcessisse satis declarat in primis Crux illa, quæ inventa fuit in Urbe, Sancti Thomæ dicta, de qua narrat historia ab Osorio Silvensi Episcopo de rebus ab Emanuele Lusitaniæ Rege in India gestis libro 3. narrata, idest in ea Civitate fuisse sacellum ædificatum eo quod incolæ in eo loco affirmabant, fuisse Divum Thomam interfectum, ac inibi fuisse inventam Crucem in lapide incisam in cujus fastigio columbæ imago insidebat. Hanc refert Baronius, & Casalius illam exprimit cap. 1. de Ritibus. Suffragatur huic veritati Silvani, Troadis Episcopi ætati Apostolorum proximi exemplum, qui ut Simeon Metaphrastes refert apud Surium in vita Sãcti Cornelii Martyris Crucem plantavit ubi fundaturus erat Ecclesiam apud reliquias gloriosi Episcopi, & Martyris Cornelii Centurionis ab ipsomet Martyre illi revelatas. Consilium fuisse à Beato Apostolo Philippo datum Scithiæ gentibus, quibus Evangelium prædicavit, refertur ex libro 10. historiæ Apostolorum Abdiæ (si vera sunt quæ de illo narrantur) Sanctorum Apostolorum coetanei. Fuit autem hujusmodi. *Deiicite hunc martem, & confringite, & in loco, in quo fixus videtur stare, Crucem Domini mei Jesum Christi affigite, & hanc adorate.*

De Cruce lib. 2. c. 30.

Ad an. 57.

Die 13. Sep.

Apud Fivizan. lib. 2. c. 2.

Verùm quia infidelium Principum sæviente in Christianos persecutione nec palam, nec passim servari potuit publica, & honorifica pompa celebrata Crucis fixio, ejus usus in Cryptis, & variis latebris, veluti pretiosum quoddam salutis humanæ vexillum etiam gemmatam Crucem aptabant. Hanc consuetudinem exemplis probat Aringus. Primò quidem ex Martyrio Procopii, qui sub Dioclętiano pro Fide coronatus est anno Christi 308. ut ex Baronio annal. T. 3. De eo sic narrat Concilium Nicæn. 2. „ Venit Procopius Scytopolim, & omne sodalitium auri fabrorum, & argenti fusorum convocans interrogavit eos, dicens. „ Potestis ne mihi facere vos aliquod, quod ego tradam vobis? Illi vero hominis austeritati deterriti communi consilio statuerunt apud illum unum ex omnibus, quem optimum artificem existimabant (nomen illi Marcus erat) dicentes „ si quis est, qui voluntati tuæ Domine satisfaciat hic erit &c. Marcus autem nę „ quaquàm obedire volebat juveni. Persuasit tandem his dicens. Hoc ministerium Regi usque ad vitam nunquam revelavero. Persuasus itaque Marcus in „ abdito ex auro, & argento noctu Crucem fabricavit. Ipse Aringus in tomo 2. Romæ subterran. exiprit tabulam secundam repertam in Cæmeterio Pontiani, via Portuensi, in qua videtur Crux pretiosissimis gemmis decorata, quam Crucem fuisse repertam ait in loco quodam humili ejusdem Cæmeterii, quem sub numero 14. indicat in tabula ichnographica posita ad paginam 408. Quod Cæmeterium Author credit, fuisse Pontiani cujusdem Nobilis Romani, atque extitisse tempore Sancti Calisti Primi Papæ, qui vixit sub Severo anno 220. An verò eo tempore imago illa Crucis picta fuerit, an potius tempore Nicolai Primi circa annum 860. quo vivebat, qui illud Cœmeterium instauravit, ut refert Bibliothecarius in Nicolao Primo, incertum omninò adhuc remanet. Arguitur tamen

Roma subter. lib. 6. c. 14.

Lib. 2. c. 19.

tamen morem Crucis pingendæ, & ornandæ antiquissimum esse. Eam tamen nullatenùs publicè populorum venerationi expositam fuisse credendum à nobis est, cum eodem Aringo ante annum 300. tempus scilicet Constantini. Id enim primus ille post devictum Maxentium egit, quando universi populi acclamationibus exceptus gratiarum actionem Authori Victorię impertiit, atque illustribus inscritionibus omnibus hominibus Salvatoris Christi signi virtutem promulgavit, & in Urbe media ingens istud trophæum erexit, palamque omnibus proposuit inspiciendum. *Lib.6.c.14. Baronius an. 312. AriguisBl. 6.c.14.*

Constantinus igitur ad amplificandum salutiferę Crucis cultum nihil antiquius habuit, quàm Sacrosanctæ Crucis signum ubique erigere, & in suo palatio auream Crucem prętiosis undique gemmis refertam effingi præcepit, quod Eusebius his planè verbis refert. „ Tantus item, & tam Divinus amor Imperatoris „ animum complexus est; ut in ipso Palatii introitu in ædificio omnium excellen- „ tissimo in medio tecti laqueari inaurato in tabula maxima explicata salutaris „ passionis insigne ex lapillis prætiosis cujusque modi, auroque confectum fin- „ gendum curavit. Quin etiam ait Sozomenus ejus Crucis imaginem Costantinus, seù in nummis expressam, seù depictam in tabulis jussit semper hoc quoque Divino signo inscribi, cujus rei adhuc testimonio sunt imagines ejus hac figura descriptę. Hoc numismata ære argento, vel auro formata, quę Romę præsertim apud viros antiquarię facultatis peritos inveniuntur apertè demonstrant, quorum satis est indicare illud datum ipsi Baronio ab Angelo Beneventano. *Lib.3.cap. 4. vit.Constant. Tom.3.pag. 313.*

Verùm quamvis Crucis cultum in aperto absque ulla formidine quisque profiteretur, ejus tantùm venerabile signum ostentabat, imaginem Christi patientis ad eam affixi vel nunquam, vel rarò apponebat. Notat Illustris. Casalius aliquando antiquitus depingi Crucem una cum columba in summitate, quę est Symbolum Spiritus Sancti, aliquando ad pedes ejusdem imaginem agni effundentis sanguinem ex pectore, & ex quatuor pedibus in Symbolum Christi Crucifixi ut ex opere musivo in antiquę Vaticanæ Basilicæ absìde jam extabat, quam imaginem ille delineatam proponit. Erat enim apud gentes in reos, & latrones frequens supplicium Crucis, quod Constantinus interdixit, ut alibi diximus. Eam consuetudinem apponendi agnum fuisse servatam ait idem Casalius donec anno 680. sub Papa Agathone, & Constantino Pogonato Imperatore in sexta Synodo Constantinopolitana Cap. 82. fuit decretum, ut loco figurę agni pingeretur in Cruce Christus quod etiam confirmavit Adrianus Primus, prout expresse in decret. de Consecrat. dist. 3. *Eam festam Sanctam*. Reperitur in absìde Ecclesiæ Sancti Clementis Romę in Monte Cęlio extructa, Nicolao Primo sedente, Crux expressa opere musivo, in qua Christus Dominus videtur quatuor clavis affixus. *De Ritibus part.1, c.1. Ex Baronio an.325.cōst 20.*

Constantinum, deinde cæteri Christiani Principes pari pietate, & ardore æmulati sunt, inter quos præcipuè extitere Summi Pontifices, qui ejuscemodi Crucem non tantùm in Ecclesiis super altaria reponere, sed in publicis supplicationibus solemni Ritu deferri voluere.

Quòd autem usus processionum ab Exordio Ecclesiæ habuerit originem multi affirmant, inter quos Tertullianus lib.de præscript. advers. hęres. Cap. 43. & D. Hyeronimus ad Eustachium epist. 12. aliique apud Casalium Cap. 40. nullam tamen in eis memorant Crucem, sed solum post Constantinum prælatam fuisse dicunt quamplurimi. Prudentius, qui vixit sæculo quinto ab Urbe Roma 66. contra Symmachum his carminibus indicat.

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est.
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget.
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

Extant tamen antiquiora monumenta, è quibus hujus Ritus antiquitas demonstratur: in vita Sancti Barnabę Apostoli legitur hujusmodi exemplum Beati Arthemii Salaminę Urbis Episcopi, dum ad reliquias dicti Apostoli ab eodem sibi revelatas pergebat „ Episcopus verò experrectus Deum adoravit, totoque „ Clero, & Populo Christi amantissimo congregato, exiit in eum locum, quem „ per revelationem didicerat multo apparatu, & Cruce ipsa prælata. Extat exemplum in libro Pontificali in vita Sancti Joannis Papę, qui vixit circà annum 400. oc-

400. occurrunt (inquit) Beato Joanni Papę à milliario duodecimo omnis Civitas Costantinopolis cum cereis, & Crucibus in honorem Beati Petri.

Narrat Sozomenus lib. 8. Cap. 8. & Nicephorus lib. 13. Cap. 8. Costantinopolitanos, qui Catholicam fidem profitebantur, instituto, & ductu Sancti Joannis Chrisostomi instituisse supplicationes per Urbem non sine hymnis, & canticis in laudem Sanctissimæ Trinitatis, ut Arianis, qui per mediam Urbem Cantilenis suis Sacrosanctam Trinitatem blasphemabant opponerent antidotum.

In his supplicationibus Cruces argenteas universo agmini prælatas tradunt, lucernis semper ardentibus, sumptus, & impensas Eudoxia Imperatrice suppeditante.

Apud Surium in vita Sancti Porphirii Episcopi Gazę Marcus Gazensis, qui 26. Febr. vixit anno 380. num. 54. narrat processionem à Sancto Episcopo institutam prò extruenda Ecclesia Gazensi in modum Crucis. *Præcedebat autem Populum semper memorandus Barochas, Venerandæ Crucis gestans effigiem*.

Cujus autem formę hę Cruces fuerint, quod tertio loco nobis inquirendum proposuimus, nihil certi ausim affirmare; compertum tamen mihi est, multiplici forma Crucis signum ab Antiquis fuisse expressum, tam in iis locis, in quibus fixum perpetuò manebat, quàm in publicis supplicationibus. Percurratur Roma subterranea ab Arringo oculis proposita, & multiplici formæ Cruces intuebimur ab Antiquis expressas, præcipuè in tom. 1. pag. 297. 311. 414. 511. 519. in tom. 2. pag. 355. 381. 407. 527. Illustrissimus etiam Pręsul Joannes Ciampinus in investigatione historica de Cruce stationali quinque tabulas profert cum diversis Crucibus, antiquitatem redolentibus, Crucibus etiam, quę Religiosis Ordinibus præferuntur velum appendi solet sub ipsa Cruce, ut suprà innuimus, Salvatoris Nostri, vel Sanctorum ejus imaginibus ornatum.

Præsules verò nudo hastili, in quo Crux est inserta, utuntur, quam docet Illustrissimus Fivizanus esse dignitatis insigne, cum velo autem, multitudinis, Pag. 123. seù Militiæ Sacrę in unum coeuntis, & procedentis quoddam quasi Vexillum existere. Cęterum inventę sunt etiam Cruces duplici, & triplici transversa linea efformatę, ut hujusmodi notæ varietate intelligamus (inquit supracitatus Fivizanus) *in Ecclesia Dei esse sedes honore, & ditione dispares*. Hanc diversitatem notavit accuratè Joannes Molanus in suo de picturis opere Cap. 42. his verbis. „ His „ autem prò rudioribus addo, quòd baculo Episcopali non sit addendum Sudarium, sivè orarium, sed Abbatiali. Per hoc enim distinguitur ab Episcopali. Item quod baculus Archiepiscopi non habet superius uncum, sed Crucem. „ Patriarchę autem habet superius duplicem Crucem. Supremo Patriarchę „ sivè Romano Pontifici quidam dant pedum cum triplici Cruce ad redarguendam eorum cæcam, & diuturnam ambitionem, qui se contra Romanam „ Ecclesiam omnium matrem erexerunt, volendo Patriarcham Constantinopolis, „ quę tunc nova Roma dicebatur, universalis Patriarchę titulo insigniri, & „ ejusdem potestatis esse cum Veteris Romę Pontifice.

Confirmat hęc dicta Molani multæ Summorum Pontificum imagines, quæ in manibus Crucem referunt, cujus stipes duplici, ac triplici linea est decussatus; sicuti eorum Sacra tiara è triplici corona conflatur. Sed ne nimis diffusam elucubrationem numismatis pertractemus, ad id, quod ultimo loco proposuimus deveniamus, videlicet, *cujusnam formæ fuerit ea Crux, quæ in supplicationibus propter stationes institutis delata stationalis appellatur*, de qua non levis controversia orta nuper est apud rerum Ecclesiasticarum eruditos.

Quòd hæc fuerit peculiaris Crux ad solas stationes adhibita clarissimè deducitur ex verbis Maffei Veggii in M. S. de memorabilibus Ecclesiæ S. Petri, hæc ille habet circa finem libri 3. „ Gregorius Papa cum per totam Quadragesimam „ ordinasset stationes propter pœnitentes, quas cum primicerio, & cantoribus, „ & regionariis, & acolytis devotissimè faciebat, illud etiam (quod maximo ho- „ nori, & prærogativæ Basilicę Sancti Petri habitum est) statuit, ut de majori „ altari ejus Crux Dominica sumeretur, quæ populum pœnitentem ad stationes „ procedentem semper pręcederet, cujus tanta fuit apud omnes veneratio, ut si „ forte non deferri, eam aliquando contingeret, discederent passim, existimantes nihil

„ nihil fine ea accepturos à Deo ullos esse. Hactenus verba Veggii, quæ si maturè perpendantur litem omnem circa Crucem stationalem dirimi posse mihi suadeo.

Si enim Crux illa de majori altari Basilicę S. Petri semper pro stationibus sumeda erat juxtà Decretum Sancti Gregorii, ut eam populus ad stationes sequeretur, profectò in nulla alia, quamvis præclara Basilica Crux ejusmodi servabatur. Scio aliquos eruditissimos Scriptores prò certo habuisse, similem crucem etiam fuisse in Laterana Basilica, sic Illustrissimus Fivizanus lib. 2. Cap. 6. „ Appellabatur autem stationalis, propterea quòd Summo Pontifici, Clero, & Populo ad stationes solemni Ritu procedentibus illam præferri solitum erat, qualis profectò est quæ clarissimum Lateranensem Clerum ad supplicationes publicè prodeuntem de more hodie præcedit, illam dico prægrandem argenteis insculptam thecis, diversas Domini Salvatoris Nostri, Sanctorum actiones reprçsentantibus, undiquè tectam,& ornatam, quæ ob ponderis magnitudinem ab jis qui viribus corporis, & robore maximà præstant gestari solet. Idem asserit Octavius Pancirolus, agens de stationibus his verbis italis „ Tutto il Popolo andava processionalmente con lo Stendardo della Croce innanzi, che però Croci Stationarie si domandavano delle quali se ne conserva una fino al giorno di hoggi in San Giovanni Laterano, e se ne servano tal volta quei Canonici quando vanno in processione. Itidem Joannes Severanus tract. de septem Urbis Ecclesiis, agens de Cæmeterio Sanctorum Anastasii, & Zenonis ait. La quarta feria doppo la quarta Domenica di Quaresima, nella quale è la statione à San Pauolo veniva il Clero Lateranense processionalmente con la sua Croce Stationale à questo medemo Cimiterio. His authoribus etiam aliqui alii subscribunt, inter quos Illustrissimus Ciampinus differt. de Cruce Stationali.

At si ab istis laudatissimis, summa æstimatione dignis authoribus recedere nulli interdicatur, meam oppinionem in oppositam trahi sententiam candidè affirmaverim, & primò ab authoritate supradicti Maffei Veggii, asserentis, *Crucem prò stationibus semper sumendam ex Altare Sancti Petri*. Secundò fultus authoritate Petri Mallii, qui Alexandri III. tempore floruit circa anno 1160. in descriptione Vaticanæ Basilicæ, quam publici juris fecit Paulus de Angelis sub numero 36. hęc ille habet. „ Hoc quoque non est parvum, quod institutione Sanctorum Patrum quadam prærogativa sumitur de Santissimo Altari Beati Petri Crux Dominica, quę præcedat Populum pœnitentem per totam Quadragesimam ad stationes euntem, quę nimirum Crux Stationalis ad Christi, & ejus Apostoli reverentiam in tanta veneratione à cunctis est habita, quòd sicut Cantores, & Regionarii asserunt, hac Cruce non delata immunes à statione sæpè recedant. Idem asserit Benedictus Vaticanę Ecclesiæ Canonicus. *Primicerius cum schola, & Subdiaconi Regionarii, & Acholyti cum Cruce Stationali Sancti Petri &c.*

Horum Scriptorum authoritati, qui à seipsis visam talem Crucem Stationalem asserunt, accedunt nonnullæ rationes, & conjecturę non leves, quæ meam opinionem confirmant. Et primò nullum antiquum scriptorem me potuisse invenire, apud quem Crux Stationalis Lateranensis nominetur, licet multiplices aliæ Cruces ejus Basilicæ describantur. Et quidem omittenda non erat, si fuisset. Eminentissimus Cardinalis Cęsar Rasponus, agens de ornamentis ejus Sacrosanctę Basilicę retulit, quę sequuntur. „ Carolus Magnus Francorum Rex à Leone III. Romanorum Imperator creatus, obtulit Lateranensi Basilicę Crucem auream Hiacynthinis gemmis locupletatam, quam idem Pontifex ejusdem Caroli rogatu in supplicationibus circumferri mandavit, eam denique postea furto ablatam, gemmarum ornamenta spoliata cum esset, Caroli Magni nomine, ac liberalitate nobilis Leo IV. Pontifex redemit, & gemmis, tum Hiacynthinis, tum Prassinis rursus ornavit, & antiquo supplicationum usui restituit. *Lib. 2. c. 3. Pag. 104.*

Rursus idem Leo IV. aliam Crucem auream gemmatam dedit, quæ à Subdiacono more majorum ante Pontificem præferri deberet. Iterum pag. 104. ait. „ Nicolaus Primus Pontifex, aliquot argenteas Cruces dedit singulas libræ unius, ac semis, quæ instar candelabrorum cereis instructę festis ante Augu-

stis-

„ ſtiſſimam Euchariſtiam diebus arderent. A Sergio III.data fuit Crux aurea una,
„ duę argenteę, in quarum altera pendentis Chriſti Domini imago aurea, in
„ altera Agni ex auro confecti, gemmiſque conſpicui cernebatur, Crux item
„ aurea, ſed parva, Cruces argenteæ quatuor, Crux argentea aurata, ſed parva. En igitur inter multiplices Cruces à Raſpono numeratas,nulla ſtationalis dicitur, imò nulla inter omnia munera eidem Baſilicæ oblata poſt Conſtantinum à Summis Pontificibus, ſcilicet à Sixto III. qui vivebat anno 435. uſquè ad Urbanum VIII. ſcilicet ad annum 1640.quæ accuratè recenſet in Capite tertiò libri ſecundi, ſed ſolum Cruces quaduplicis generis, hoc eſt Cruces prò altarium ornatu. Secundò Cruces inſtar candelabrorum, tertiò Crucem, quam Subdiaconus ante Pontificem præferret. Quartò Crucem, quam in ſupplicationibus circumferre Leo III. mandavit.

Hujuſcemodi Crucem poſſet aliquis ſibi ſuadere in Stationibus adhibitã,quando, quidem illa in ſupplicationibus circumferrebatur. Quid enim aliud erant ſtationes, niſi ſupplicationes, ſeù proceſſiones quibus Chriſtifideles Cruce præcedente templũ aliquod adibant,ut ibi Deo preces ſuas offerrent prò publica neceſſitate; ſecundò ut ſatis interroganti fiat, aliqua primùm expono cum Pompejo, qui agens de ſtationibus italice ſic loquitur, adducens diſcrimen inter ſtationes, & ſupplicationes, ſeù proceſſiones. Se *ſupplicationes* ſignificano Proceſſioni manifeſto
„ è che non ſi adattino alle proceſſioni fatte per le ſtationi, che furono nella
„ Quareſima principalmente ſiano alla Domenica in albis, onde in tutto 54.
„ giorni è ſole 45.ſtationi, eſſendo che alcune volte tornano alle medeſime Chie-
„ ſe, come auverte Pompeo Ugonio diſcorſo delle ſtationi. *Se per ſupplicatione*
„ s'intendono le Letanie, e Rogationi. Queſto è certo, che erano differenti
„ dalle ſtationi. Queſta differenza è trà le ſtationi, *e le litanie*, che noi *rogationi*
„ chiamamo, che queſte ſono ſtate ordinate per ottenere dalla Maeſtà Divina
„ gratia di eſſere da quei mali, e da quei pericoli liberati, in che ſi ritrovano
„ gli huomini ſpeſſe volte, e quelle iſtituite ſono poi per rendere alla ſteſſa infi-
„ nita bontà lodi e gratie dopo i beneficii riceuuti, la qual differenza ſi ſcorgeva
„ più e dalle voci, che nelle proceſſioni ſi uſano, e da gli abiti che ſi portavano
„ perciòche ove nelle litanie ſi porgevano prieghi à Dio, e à ſuoi Santi, ſi porta-
„ vano veſti humili, e lugubri e ſi ſervava il digiuno. Nelle ſtationi all' oppoſto
„ cantavano le lodi del Creatore, ſi veſtivano ſecondo la qualità de' tempi que-
„ gli habiti ſteſſi, che ſi adoperavano nel Coro, e non ci era obligo alcuno di di-
„ giunare per conto delle ſtationi.
„ La proceſſione poi in ſpecie e delle Rogationi, e delle Stationi in quſto è dif-
„ ferente, che alla Chieſa ſteſſa, d'onde ſi parte torna, e quivi ſubito ſi termina,
„ perche ritornato alla Chieſa il Clero la proceſſione è finita, non eſſendo ella
„ per altro ordinata, che per vna memoria, e rappreſentatione di alcune coſe
„ paſſate, come è quella, che ſi fà la Domenica delle Palme, che rammemora
„ la proceſſione delle turbe, quando Gieſù entrò in Geruſalemme &c. Ma quan-
„ tunque ſiano trà sè differenti le Stationi, le Rogationi, e le Proceſſioni, elle
„ non di meno in queſte convengano, e ſimili ſono, che tutte con bell' ordine, e
„ con divotione procedano, e perciò ſotto il genere ſi contengono le proceſſioni
„ già dette.

His omnibus documentis non adhęreo, imò ab eo præcipue diſſentior, ubi aït in ſtationibus, indumenta non lugubria deferri, ſed illa, quæ in Choro adhibentur. Pluribus enim monumentis conſtat, Summos Pontifices cum Clero ad Stationes diſcalceatos proceſſiſſe, ut ex Benedicto Canonico Eminentiſſimus Raſponus de Eccleſ. Lateran. lib. 2. Cap. 9. affirmat his verbis. *Romanus Pontifex olim nudis pedibus ſtationes ſupplicabundus obibat. At nunquam in Choro*.

Fateor quidem eſſe diſcrimen inter ſtationes, ſupplicationes, & Litanias, ſeù Rogationes, atque, ob illud Crucem Stationalem diverſam fuiſſe credo à cruce, quæ in ſupplicationibus deferebatur, ſeù in Rogationibus, quamvis enim coſuetudo antiquiſſima fuerit apud Chriſtifideles, ut docet Sixtus V. in conſtitutione 24. qua eaſdem confirmat, dicens. *Inter quæ vetus admodum eſt ab Apoſtolicis uſque ducta temporibus Sacrarum Stationum conſuetudo, in quibus fidelium multitudo*

titudo ad Apostolorum Sepulchra, & fortissimorum Martyrum memorias conveniens hymnis, & canticis Spiritualibus Deum in Sanctis suis mirabilem laudat, ac Pontifices deindè pro suo arbitratu similes indixerint, dicente Anastasio de Hilaro Summo Pontifice. *Hic constituit in Urbe ministeriales, quæ circumirent constitutas Stationes* Illis tamen Sanctus Gregorius certos anni dies constituit, ut scribit Joannes Diaconus in ejus vita; *Stationes per Basilicas, vel Sanctorum Martyrum Cœmeteria, secundùm quod hactenùs plebs Romana, quasi eo vivente certatim discurrit, sollicitus ordinavit*; & paulò post. *Sequebatur exercitus Domini ultrà, citràque Gregorium præeuntem, & auditus verbum doctrinæ innumerabiles undique diversi sexus ætatis, ac professionis voluntariæ confluebant cohortes, quibus ille, utpotè ductor Cælestis militiæ cunctis dumtaxat arma spiritualia suggerebat.* Lib. 2. n. 15. 18.

Hæc eadem narrans Polidorus Virgilius, sic loquitur. „ Appellavit Gregorius ea solemnia Sacra non indecenti vocabulo *Stationes*, quasi Status, idest certis anni diebus celebres, nam sic Statæ Cęrimoniæ, ut Festo Pompeio placet, dicebantur Sacrificia, quæ certis quibusdam diebus, & statutis celebrabantur, quæ non mutarentur, sed stabilia, & firma starent. Alii Stationes dictas volunt ex militari exemplo, quòd perinde hæc Sacra, sive hæ ædes sacræ, in quibus illa fiunt, statutis diebus custodiantur, frequententurque, ac soleant loca ad custodiam assignata militibus, quando stant vigilantes; sed mihi prior sententia probatur; hucusque Polidorus. Sed ut ut sit de nomine Stationum, adverto, falsò cum Polidoro affirmari, à Sancto Gregorio tale nomen primò inductum; vidimus enim ex Anastasio Hilarum Pontificem ante Gregorium ministeriales constituisse, qui circumirent constitutas Stationes. Lib. 8. de invent. rer. pag. 1.

Præter Stationes certis diebus, ac templis constitutas, Sanctus idem Gregorius Lytanias, seu publicas supplicationes, quas *majores* vocamus, initio Ordinationis suæ instituit, dum post aquarum inundationem insolitam inguinaria lues Pelagio primo Papa extincto, Populum vastaret Rómanum, ut narrat Vualfridus de rebus Ecclesiasticis cap. 28. & Monachus in ejus vita. Sunt etiam constitutę in Ecclesia Supplicationes illæ, quas *Rogationes* vocamus, triduò ante Ascensionem Domini in Cælum celebratę. Has Sanctus Mamertus Episcopus Viennensis in Gallia cum Vienna crebris terræmotibus concuteretur, & ignes nocturni publicas, & privatas domos exurerent, & Feræ, & Cervi pavidi ex sylvis, & agris ad Fora Civitatis penetrarent, ad sedandam, & placandam iram Divinam primus instituit circà annum 475. Sedente S. Simplicio Pontifice. Easdem ante Ascensionem Domini triduano jejunio præcedente celebrandas injunxit Concilium Aurelianense primum, & sub Hormisda anno 514. celebratum, & Leo III. anno 801. hora noctis secunda, maximo terręmotu Italia tota concussa, cum Romæ tectum præcipuè Basilicæ S. Pauli procubuisset, Supplicationes easdem indixit, quarum usum universa Ecclesia recepit. Dicuntur hæ Lytaniæ minores, majores verò illę, quas S. Gregorius instituit, etiam si post annos circitèr centum, & quinquaginta fuerint institutæ, tùm ob institutoris dignitatem, idest Summi Pontificis, tùm ob loci prærogatiuam, idest Romæ, quamobrem etiam Romanæ, & Gregorianæ dicuntur. Insuper & septiformes in ordine Rom. Benedict. num. 57. *Cum autem venerit processio ante Colosseum, Subdiaconus Regionarius incipit septiformem letaniam*, ubi P. Mabillon in notis *Septiformem, quia in septem choros distributa est.* Baron. 471 n. 17. Gia tom. 1. pag. 319. Baron. ann. 800. n. 12. Ciac to. 1. pag. 564.

Cum autem in his omnibus indicatis Supplicationibus, seu Processionibus Christi insignia, scilicèt Cruces præferantur, & Leo III. Supplicationes, quæ Rogationes dicuntur, & Lytaniæ minores, indixerit, postquam Carolum Magnum Imperatorem Romanorum coronavit, Populo acclamante, & Carolus post acceptam Coronam obtulerit Lateranensi Basilicæ Crucem ex hiacynthinis gemmis conflatam, hanc Leonem in Supplicationibus à se institutis, non in Stationibus multò ante Statutis, deferri voluisse non levi conjectura mihi suadeo, ut celebriori, Sacraque pompa illas perageret, ac munus à Carolo oblatam plurimi à se fieri declararet.

Confirmant meam opinionem verba Anastasii, qui de hac ipsa Cruce loquens in vita Leonis IV. hæc habet. *Necnon & Crucem* (reparavit) *ex auro purissimo gemmis ornatam, quam Carolus piæ memoriæ Imperator, Francorum, & Romano-*

manorum in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ Constantiniana nun-
„ *cupatur*, temporibus Domini Leonis Sanctę recordationis tertii Papæ obtulerat, quę mos erat, ut in Letaniis ante Sacratissimum Pontificem ipsa præcederet, & sic permansit usque ad tempus sanctę recordationis Domini Paschalis Papę, unde diabolica suggestione, atque instigatione à malis extorta est, & à latronibus furtim ablata, & nullos deinceps Prædecessorum Pontificum tàm Dominus Paschalis, quàm Dominus Eugenius, sive Dominus Valentinus, sive Dominus Gregorius, necnon & Dominus Sergius recordatus fuit, ut eam restauraret, sed ad usum Sanctę Dei Romanæ Ecclesiæ repararet, sed idem præfatus, & magnificus Præsul fecit ex auro purissimo, & mirę magnitudinis margaritis, & gemmis hiacynthinis, & proximis utiliter ornavit, & ad usum pristinum Sanctæ Dei Genitricis Romanę Ecclesiæ mirificè decoravit: hactenùs Bibliothecarius. Si ergo prędata Crux Ecclesiæ Lateranensi à Carolo Imperatore donata in Lytaniis deferebatur, scilicèt in iis, quas Leo III. instituerat, haud quidem illa Populo in Stationibus supplicanti pręerat, sed Crux, quę de Altari Divi Petri in Vaticana Basilica sumebatur. His addo Crucem Lateranensem Caroli, furto sublatam sub Paschale, non fuisse restitutam, nisi tempore Leonis IV., ut enarravit Anastasius, & tamen post Paschalem pium Stationum ritum Populus cum Pontifice celebravit Cruce Vaticana prælata; videlicèt (inquit Casalius) *ut denotaretur Beatus Petrus Vexilliferus, & totius Ecclesiæ Præductor*. Ex hac fortasse pręrogativa usus invaluit, ut supra Sinichium, quod Basilicę Vaticanę Clerum in publicis Supplicationibus pręcedit, Crux deaurata cum imagine Redemptoris in ea affixi sit imposita. Aliarum verò Basilicarum sinichia Crucem tantùm ostentent: hoc tamen non certò affirmo, cum è nullo, neque antiquo, neque recenti documento didicerim.

De Sac. Rit. cap. 40.

Ut verò magis probetur, unica fuisse Crux, quę Stationalis dicebatur, in mentem revocandus est antiquorum Fidelium mos conveniendi simul cum universo Clero in aliqua Ecclesia, ut ad aliam procederet, in qua Statio celebranda erat. Tunc enim Episcopus, seu Summus Pontifex, collecta omni multitudine, brevi oratione super populum uti solebat, ut narrat Eminentissimus Cardinalis Bona lib. 2. cap. 5. Rerum Liturgicarum cum omnibus Sacrorum Rituum Collectoribus. Hinc liber Sacramentorum Sancti Gregorii in festo Purificationis Sanctę Mariæ duplicem habet orationem, quarum una inscribitur *Ad Collectam ad Sanctum Adrianum*, ubi Populus, & Clerus colligebantur, ut inde procederent ad Sanctam Mariam Majorem, ubi erat Statio. Igitur ad locum, ubi fiebat collecta conveniebant diversorum Clericalium ordinum Cruces, & à Basilica Vaticana deferebatur Crux stationalis, quæ in processionibus ad locum Stationis pręiret. Ejus Crucis deferendę munus exercebat Subdiaconus, qui dicebatur Regionarius. Erant enim antiquitùs Romę viginti, & unus Subdiaconi, ut narrat Baronius inter alios, qui ad annum 1057. ex Scripto Vaticano Codice protulit Statum Ecclesię Romanę, & post numeratos Cardinales Diaconos subdit. „ Subdiaconi „ sunt omnes numero viginti, & unus, septem Regionarii, qui Epistolas, & lectiones cantant in Stationibus, septem Palatini &c. septem Basilicarii &c.

Talem consuetudinem luculenter docemur ab Opusculo m.s. cui titullus Ordo Officii recitandi ex more antiquo scriptus à Benedicto Beati Petri Canonico pollicitus ad Guidonem de Civitate Castelli, tunc Cardinalem Sancti Marci postmodum factus est Cœlestinus Secundus, qui vixit ad quinque menses anni 1143. anno verò 1130. Guido erat Cardinalis. Extat tale opusculum in pręditi Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Petri Ottoboni Sacrę Romanę Ecclesię Vice-Cancellarii, & inter ordines Romanos numero XI. vulgatos à P. Mabillonio; advertendum tamen est loco vocis *pollicitus* usurpandam esse aliam, idest Polypthicus, scilicèt liber multorum foliorum, ut notat Macrus in hierolex. v. Polypthicum. In eo hęc habentur pag. 12. „ In purificatione Beatę Marię manè Statio ad Sanctam Mariam Majorem. Exeunt XVIII. imagines à Diaconis delatę, & cum Clericis, & populo veniunt ad Sanctum Adrianum, ubi fit collecta, sed Dominus Pontifex descendit ad Sanctam Martinam cum Episcopis, & Cardinalibus, & cęteris Scholis, ibi cum omnibus induitur, deindè vadit ad Sanctum

Adria-

„ Adrianum, ubi eſt Crux ſtationalis, Archidiaconus annuit, ut cantet Schola, „ Primicerius incipit, & cantat: *Exurge Domine adjuva nos*, finita Antiphona, „ Pontifex dicit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, alius Diaconus dicit *Levate*, & Pontifex dicit *Oremus*, & Diaconus dicit *Procedamus cum pace*, Schola „ reſpondet *In nomine Chriſti*. Tunc Subdiaconus Regionarius levat Crucem ſtationalem de Altari, planè portans eam in manibus, uſque ad Eccleſiam. Cum „ autem venerit foras levat eam ſurſum, quam fert ante Pontificem in proceſſio- „ ne, uſque ad S. Mariam Majorem.

Pagina 17. ait. „ In Paraſceve Papa deſcendens de Palatio in Baſilica Salvatoris poſt Altare cum aliis Ordinibus ſe induit, & diſcalceatus pergit cum proceſſione, & omnes cum eo cantando Pſalterium uſque ad Sanctam Crucem. „ Subdiaconus Regionarius ferens ad pectus ſtationalem coopertam &c.

Pagina 27. hæc habet „ Convenientibus omnibus Patriarcharum Canonicis cum ſuis Crucibus in Baſilica Salvatoris, quæ vocatur *Conſtantiniana*, ubi „ Dominus Pontifex poſt Altare ejuſdem Eccleſiæ induit ſe cum Epiſcopis Cardinalibus, & aliis ordinibus Sacri Palatii. Tunc Primicerius cum Cantoribus „ cantat *Populus Syon*. Finito cantu, Dominus Pontifex dicit *Oremus*. Archidiaconus *Flectamus genua*. Alius reſpondet *Levate*, & Pontifex dicit Orationem, Schola reſpondet *Amen*. Archidiaconus nunciat *Procedamus in pace*, Schola reſpondet *In nomine Chriſti*. Subdiaconus verò Regionarius elevat Crucem ſtationalem de Altari, quam planè portat in brachio, ut oſculetur ab omnibus in proceſſione ante Pontificem, uſque in exitu Eccleſiæ; deinde elevat eam erectam (deſcribit totam proceſſionem, & ſequitur) „ Aſcendit ad Baſilicam „ S. Petri, ubi eſt Statio, ibique Dominus Pontifex cantat Miſſam &c. Scriniarii „ ſcribunt omnes Cruces &c. Hic notandum eſt, quod etiamſi plurimæ Cruces eſſent in Supplicatione, attamen Crux ſola ſtationalis à Subdiacono præferebatur.

Rursùs pag. 32. „ Dominica prima menſis Septembris in Exaltatione S. Crucis ſtatio Laterani, fit collecta ad S. Mariam Majorem, ubi Crux ſtationalis „ (intellige delata ex Vaticana ad Liberianam Baſilicam) & Schola, & Regionarii, & Acolyti coadunantur cum Cruce Sancti Joannis, & Canonicis. Primicerius cum Schola cantat Collectam, Subdiaconus Regionarius portat Crucem ſtationalem in proceſſione ad Baſilicam Salvatoris, ubi eſt Statio, ibi Pontifex cantat Miſſam &c.

Ex his deſcriptis ritibus, plurimiſque ſimilibus, quos idem Benedictus Canonicus enarrat: clarè apparet, Crucem ſtationalem fuiſſe è Vaticana Baſilica ſemper delatam ad locum Collectæ, in quo Pontificius Clerus, & Subdiaconi Regionarii coadunabantur cum *Cruce Sancti Joannis*, *& Cruce Sanctæ Mariæ Majoris*, quę ſolùm Cruces dicuntur. Vaticana verò ſemper dicitur Stationalis.

Quod ſi Crux illa à Subdiacono Regionario deferebatur, ut liquidò conſtat, dubio procul deducitur, illam non fuiſſe Lateranenſem, *illam* (inquam) *prægrandem argenteis inſculptam thecis diverſas Dominici Salvatoris noſtri, & Sanctorum actiones repræſentantibus undique tectam, & ornatam, quæ ob ponderis magnitudinem ab iis, qui Viribus corporis, & robore maximè præſtant geſtari ſolet*. Ut Illuſtriſſimus Fivizanus à nobis ſupra relatus aſſeruit. Si autem Crucem ſtationalem Regionarium attinebat, quonam pacto ejuſmodi Subdiaconi, qui quidem ex iis non erant, qui viribus corporis, & robore maximè pręſtant, quales ſunt Bajuli, qui mercedis gratia onera ferre conſueſcunt. Erant enim Subdiaconi Regionarii (ut notavimus ex Baronio) inter Sacrę Romanę Eccleſiæ Cardinales adſcripti, inter quos non omnes aggregati, & ſine delectu admittebantur, ut notat Raſponus cap. 7. Sed viri qui tantò muneri pares, quibuſque Pontificiorum Sacrorum amplitudini, & Pontificum Splendori conſultum videretur. Atque ii non raro Pontificiam dignitatem conſequebantur, ut S. Gregorius Magnus Diaconus mortuo Pelagio II. Sanctus Deuſdedit Subdiaconus, aliique plurimi, quorum munus præcipuum erat, Summis Pontificibus miniſtrare in Sacrificio, Epiſtolas canere &c. ut Raſponus refert cap. 8. Ex viginti, & uno Subniaconis Sac. Romanę Eccleſię ſeptem vocabantur Baſilicarii, ſeu Palatini, ſeptem Regionarii, ſeptem verò

Pompeo Felici de Stat. p. 84.

De Liberiana Baſilica.

verò reliqui erant Scholæ Cantorum. Palatini in Palatio, & in Basilica Lateranensi celebrante Pontifice recitabant Epistolas, Regionarii id munus in aliis Urbis Ecclesiis, & in Stationibus obibant.

Quod si Summis Pontificibus Sacræ Romanæ Ecclesię Purpurati maximè familiares semper extiterunt, imò ejus consiliarii, ut videtur innuere. Joannes Diaconus in vita Sancti Gregorii dicens. *Remotis à Cubiculo suo Secularibus, Clericos, & Monachos sibi Consiliarios, Familiaresque delegit, cum quibus Gregorius diu, noctuque versatus nihil monasticæ perfectionis in Palatio, nihil Pontificalis institutionis in Ecclesia dereliquit*, ji profectò eligebatur, qui inter cęteros sapientia, zelo, prudentia, & sanctitate cęteris præstabant, non viribus corporis ad ferendam Crucem stationalem prægrandem maximè idonei.

Dicam igitur Crucem, quam Subdiaconus præferebat ad Stationes minimè prægrandem fuisse, sed moderatę magnitudinis, & parum dissimilem illi, quæ etiamnum à Subdiacono prefertur Summo Pontifici in publicum prodeunti, hastili nudo inserta. Quòd ejusmodi formæ, & magnitudinis adhibita sit ab Antiquis in supplicationibus ex Bibliothecario accepimus. Hęc ille in vita Benedicti III. „ Fecit hic in Basilica S. Pauli Cruces argenteas septem, quæ per Olitana (antiqua) tempora per omnes Catholicas Ecclesias more solito præcedebant, & „ quia præ nimia vetustate confractę fuerant, idem præclarus, & Sanctissimus „ Præsul à noviter instauravit, & in pristinum statum iterum reduxit, quæ pen- „ sant simul libras quinquaginta unam, & semis; si ergo septem Cruces adhibitæ in processionibus simul ponderabant libram unam cum dimidia suprà quinquaginta, singulę ex illis libras septem cum dimidia non excedebant.

Fuerunt quidem in antiquis Basilicis plurimę Cruces æque ingentes, maximique ponderis, vel à Pontificibus, vel à Principibus dono oblatæ, verùm illas ad ornatum potius, non ad usum processionum adhibitas fuisse monumenta testantur. Petrus Mallius §.54. de diurnis stationibus S. Petri sic scribit. „ Innocentius Papa Secundus ad ornatum Altaris Beati Petri fecit fieri magnam Crucem argenteam, pensantem centum libras, & deauratam posuit, juxtà Altare „ Beati Petri manu dextera. Renovavit, & Crucem stationalem, quæ vadit per „ stationes. Constantinus etiam Magnus obtulit Basilicę S.Petri Crucem ex auro „ purissimo pensantem libras centum quinquaginta, sed hanc Crucem reposuisse „ supra æneam arcam qua condidit S. Petri Corpus, narrant historici omnes. Belisarius fortissimus Gothorum, & Vandalorum debellator obtulit S. Petro per Vigilium Pontificem auream Crucem, centum pariter librarum, prætiosissimis gemmis ornatam in qua victorias suas descripserat, ut refert Aimonius. Sergius Papa dedit Ecclesiæ S. Petri Crucem pensantem libras viginti. Gregorius III. in tribus lateribus altaris posuit Cruces argenteas pensantes in unum libras triginta. Leo III. in Basilica S. Petri fecit Crucifixum ex argento purissimo pensantem libras septuaginta, & duas. Leo IV. fecit Crucifixum argenteum miro opere depictum in Sancti Petri Ecclesia, habentem libras septuaginta duas, & dimidiam.

Alias etiam Cruces dono datas templis à variis Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus refert Gretserus noster libro 2. de Cruce Cap. 59. sed in verbis supradicti Petri Mallii observo Cruces illas prægrandes, magnique ponderis ex pretioso metallo conflatas, nullatenus in altari collocatas fuisse, sed juxtà, seù circa altare, sicut etiam antiquitus magni calices circum altare ex arcubus, vel transversis trabibus pendebant ad templorum ornatum, minores verò Sacrificiis erant addicti, ut facile à Sacerdote, & ministris pertractari possent, atque pari modo Cruces, quę in medio altari collocabantur, & præcipuè stationalis, quæ ex eo juxà decretum S. Gregorii sumenda erat à Cardinali Subdiacono Regionario, ut Populum pœnitentem ad stationes ipsas procedentem semper pręcederet.

Hęc enim habet Mallius in §. de Thesauro Sacrosanctę Basilicę Beati Petri, referens ornamenta, quibus Leo IV. Pontifex illam præ ceteris ornavit. *Crucem quoque de auro purissimo, & diversis gemmis, & iacinthis, & smaragdis ornatam miræ magnitudinis, & posuit juxta Venerabile Altare Beati Petri parte dextera pensantem mille libras auri optimi, & permansit ibi usque ad tempora nostra.* Cum autem

autem Leo IV. vixerit anno 850. & Mallius anno 1150. eo in loco trecentorum fere annorum spatio nunquam dimota permansit.

Igitur si de altari tantùm Beati Petri Crux pro stationibus sumebatur, ac pro indè stationalis dicta, nullo pacto inducor, ut alias Cruces, etiamsi in supplicationibus delatas, stationales appellem. Et sane Eminentissimus Rasponus agens de stationibus, tum antiquis tum recentibus Basilicæ Laterenensis postquam præmiserit eruditam enarrationem Rituum, quibus stationes antiquitus celebrabantur, quique ad hæc usque tempora servantur, recenset stationes ejusdem Basilicæ, insuper litanias, quę dicuntur majores, pro quibus in festo Sancti Marci intrà Basilicam Lateranensem collectio olim erat, quandoquidem apud eam Pontifices habitabant, qui intererant solemni ejus diei supplicationi, nullam mentionem fecit de Cruce stationali, quæ ex eadem Basilica exciperetur à Subdiacono Regionario, imò caput absoluit dicendo. *Hæc fermè sunt, quæ de stationibus Basilicæ Lateranensis apud Veteres Authores inveni*, & videtur valdè rationi congruum, quòd si prærogativa hæc dandi Crucem stationalem fuisset communis Basilicæ Lateranensi, sicuti habemus, fuisse Basilicę Vaticanæ, & scriniarii descripsissent talem Crucem sicuti mos erat describere in Vaticano, ut diximus ex Benedicto Canonico. Secundò quia Rasponus Cap. 7. ejusdem libri 2. ubi agit de Basilicæ Lateranensis privilegiis nullam de tali privilegio mentionem fecit, quod certè non omisisset (quid quid sit de primatu ejus supra ceteras Ecclesias, de quo extat diploma Clementis VI. quod diploma Martinus V. Paulus II. Pius V. confirmarunt.) Tertiò in Cap. 8. in quo agit de functionibus Romanorum Pontificum in Ecclesia Lateranensi, nihil dicit de Cruce stationali, licet mentionem faciat de Cruce, quæ præcedit Pontifici, lata à Subdiacono, non quidem Regionario, cujus munus erat, ut diximus Crucem deferendi in stationibus, sed Subdiacono Basilicario.

Lib. 2. cap. 9.

Atque hæc prò lucubratione Numismatis Vigesimi Noni attigisse sufficiat.

✠ XXX ✠

ALEXANDER VII. PONT. MAXIMVS FAMILIAE PONTIFICIAE COMMODO, ET PALATII QVIRINALIS ORNAMENTO ANNO SALVTIS MDCLIX.

INscriptio hujus numismatis insculpta legitur in fronte interiori Ædium, quas Alexander VII. Palatio Quirinali Pontificio addidit, in quarum exteriori facie extat hæc alia

VT FAMILIÆ PONTIFICIÆ MAIOR ESSET
DE PROXIMO APPARENDI COMMODITAS
PALATIVM QVIRINALE NOVA
ÆDIFICIORVM ACCESSIONE
AMPLIAVIT
ANNO SAL. MDCLIX.

Utraque inscriptio adeò clara est, ut non indigeat explicatione, eam fabricam indicare sit satis, ut ipsum numisma ostentat, scilicet longam cubiculorum seriem à Palatio Boream versus extensam, quatuor contignationibus divisam. Duas inferiores incolunt milites Helvetii, Custodiæ Palatii addicti, quos primùm Sixtus IV. in eum finem delegit, in aliis duabus Superioribus quamplurimi è Pontificia Familia commorantur, ac præsertim Reverendissimus Sacri Palatii Magister cum Sociis, & Illustrissimus Pontificii Sacelli Sacrista. Ejus fabricæ ideam Eques Berninus delineavit anno M DC LIX.

OMNIS

XXXI

OMNIS SAPIENTIA A DOMINO.

ATrium Palatii, quod vulgo Romæ *Sapientia* vocatur delineatum apparet, in cujus vertice frons Templi est Sancto Ivoni dicati, in opposita parte ampla janua patet, per quam ad Scholas Auditores pergunt, sub longis porticibus, tum inferioribus, tùm superioribus distributas. De his omnibus, ut aliqua indicem verba mutuabor ab ejusdem descriptione, quam reperi impressam Romæ anno *1661*.

At primò advertendum, hanc Sapientiam, seù Ædem publicis Scholis destinatam Archigymnasium vocari, & jure, quia tùm ob amplitudinem authorum, tum ob operis magnificientiam, Præfectorum Nobilitatem, Professorum peritiam, Doctrinarum varietatem, cathedrarum multitudinem, cęteris academiis, in quibus palam exercentur ingenia, atque adeò Gymnasia appellantur, videtur anteire.

Primus autem, qui dispersa per amplam Urbem studia in hoc unum Licæum conjecit, fuit Leo X. eximius Sapientiæ amator. Ille prima operis fundamenta jecit, ac ædificium in eo, quo nunc est loco, idest in Regione, Sancti Eustacchii dicta; inchoavit. Quamobrem cum Populus Romanus illi statuam in Capitolio dedicaret, hoc elogium apposuit.

GYMNASIVM ROMANVM,
QVOD SIXTVS IV. NOVVM VECTIGAL COMMENTVS
IN SALARIA PROFESSORVM FVNDAVERAT,
ACCITIS VNDIQVE VIRIS DOCTISSIMIS
INSTAVRAVIT AVXITQVE.

Et illius veluti auctoris memoria quotannis funebri laudatione, frequenti Principum Doctorum, Auditorumque conventu in ejus Aula Archigymnasii celebratur, at post fundamenta posita à Leone ob bellorum causam institutum opus hæsit, donec Gregorio XIII. Pontifice, operam dantibus literarum Præfectis, paulùm processit juxta ideam Jacobi à Porta Architecti. Sub Sixto V. postea moles ædificiis crevit ab ea parte, quæ Sancti Jacobi Templum respicit. Ibi suum Gymnasium, quasi corpus, & faciem cœpit, extructo ab interiori area, & producto in pergulam arcuato opere, ac exteriori parte terminato, aperto in fronte pręcipua ostio, superimposita in loco idoneo Turri ære campano sonora ad evocandos Auditores. Extat in parte superiori insigne Pontificis cum lemmate. INITIVM SAPIENTIAE TIMOR DOMINI. Scholæ imperfectæ quidem, ac rudes, sed magisterio insignes eruditè procedebant. Cæterum opus lentè productum est, usque ad Clementem VIII. Eo Pontifice fabricatum ad latera ædificii, & aliquantum operis adjectum; nec sub Paulo V. viro ad splendorem Urbis nato, cessatum est, sed non modica pars addita. Superveniens Urbanus VIII. lentos Gymnasii præpositos ad continuandam fabricam excitavit, ac Sacram Ædem, veteri multo ampliorem, ædificari jussit. Huic in justam altitudinem jam eductæ sub Innocentio X. fastigium impositum est ab Equite Boromino Architecto, erecta supra tectum turri cochleario opere spiris intortis sinuata, quæ in coronam definit, & accepta intrà orbem vacuum cruce aurea insignem operi coronidem imposuit. Adhuc tamen moles illa ultimam desiderabat manum, & in parte, qua Sancti Eustachii forum respiciebat. Ad perficiendum opus Provinciam suscepit Alexander VII. jussitque admoveri operi manus, eique pecuniam insigni liberalitate contulit anno *1659*. Chirographum signavit, quo concessit pecunias provenientes ex emolumentis lecturarum vacantium, & anno *1664*. die *16*. Novembris Illustrissimo Laurentio Buratto, ejus Archigymnasii Rectori ipsemet Pontifex retulit viginti, & octo mille nummos in tali fabrica à se erogatos fuisse, ut notavit in suis Diariis Illustrissimus Cartari qui etiam addit dono datos marmoreos lapides ad usum (ut ajunt *di Rin-*

Donat. lib. 4. cap. 9.

Balleon. pag 5.

Idem pag. 36.

di Ringhiera)elaboratos,qui extabant in profpectu Palatii Pontificii antèTemplum Sancti Andreæ, ut collocarentur in profpectu Ædis ante Sanctum Euftachium fupra portam, quæ nova extructa eft vbi prius erat Apotheca Fontanæ. Rurfus alia die Veneris 18. Julii ejufdem anni in Congregatione Advocatorum firmatum eft pactum cum Fabro Murario prò opere quod dicitur *di ſtucco*, tam in parte interiori, quam exteriori Ecclefiæ, juxtà normam tradendam ab Architecto Borromino pro fcutis 3700.

Et quoniam mortua fine libris ftudia literarum funt, ftatuit Bibliothecam infignem inftituere, quæ operis magnificentia oculos alliceret, & multitudine, & varietate voluminum mentes erudiret. Hanc voluit publicis juris facere, quamvis enim claves apud miniftros fapientiæ futurę effent, nemini claudendam ftatuit, eamque juffit ampliffimam fabricari, apertis feneftris ad ulteriorem lucis ufuram. In ea anno 1666. collocavit fex mille circiter volumina, quę dum viveret poffidebat eruditus Abbas Conftantinus Cajetanus, eodemque anno alia quatuordecim millia librorum ex Bibliotheca Urbinatum Ducum, quę Urbaniæ in fitu, atque inter Blattas jacebat, penfato Civibus damno, donavit. *Cartarius in Diariis* *Oldoin.712*


Sex etiam cathedras inftituit, quę defiderabantur. Primam dogmaticam de controverfiis Catholicæ fidei. Secundam decreti. Tertiam Pandectarum. Quartam Inftitutionum Juris Canonici. Quintam Materię Criminalis. Sextam Hiftorię Ecclefiafticę, quę profecto neceffariæ funt ad formandos Cotholicorum Juvenum animos.

Agitavit etiam animo Alexander Archigymnafii folemnia celebrare, atque illa quafi natalitia Sacro Cardinalium Collegio comitante confecrare, ac fovere, quare edixit opus in diem, quæ poft pridie Idus Novembris erat futura. A Sacris initio facto Ædem facra folemni Ritu juffit benedici, & majori apparatu aræ confecrandę, inventum Sancti Alexandri Martyris Corpus in Cœmeterio Prifcillæ, donavit. Voluit folemni Comitatu adeffe Pontifex, ibique facra peragere, quibus completis itum in Superiores Ædes, ubi in aula ampliffima nobili apparatu conveftita fedente Pontifice in parato Solio, fuas orationes habuerunt in Roftris facultatum omnium lingurarum exoticarum profeffores. Placuerunt omnes Pontifici, qui non folum attentas aures præbuit, fed fingulis vigenos aureos, veluti congiarium donari juffit, oftenditque, nil gratius fibi potuiffe accidere, eo literario fpectaculo. Hujus animi, & ftudii erga literas, & literarum profeffores pignus eft numifma, quod explicamus. Illud ex auro, & argento cudi juffit, & in parte averfa, quæ imagini Pontificię refpondet incidi curavit, Archigymnafii effigiem addita infcriptione verbis, quibus fuum librum Ecclefiaftici Salomon exorditus fuit. OMNIS SAPIENTIA A DOMINO.

Quare Archigymnafii hujus Magiftratus gratiam eidem Pontifici referre ftudens, in fronte ornatiffimę Ædis fupra portam marmoreo lapide addidit infcriptionem, quę hic fubjicitur.

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.
OB ÆDEM SAPIENTIÆ
TOTO AMBITV PERFECTAM
ET BIBLIOTHECA, HORTOQVE MEDICO INSTRVCTAM
SACRI CONSISTORI.I ADVOCATI
P P. ANNO M DCLX.

Cum Alexander in Bibliothecam fe contuliffet, Equiti Boromino Archigymnafii Architecto, qui in comitatu erat, nonnulla ad operis perfectionem neceffaria, uti erat Architecturæ quoque Sapientiffimus difertè præfcripfit.



In fronte

In fronre ejuſdem Bibliothecæ extat imago Alexandri marmorea bicubitalis, exculpta a magni nominis Sculptore Dominico Guidi, illi hujuſmodi inſcriptio ſubjicitur.

LIBROS OMNIGENÆ, ERVDTIONIS A FRANCISCO MARIA II.
VRBINI DVCE SVMMO STVDIO CONQVISITOS
ALEXANDER VII. PONT. MAX.
VT SPLENDIDIORI ILLORVM CVLTVI,
ET REIPVBLICÆ LITERARIÆ DONO
CONSVLERET, CVM HISQVE CONSOCIATOS, ET PERMISSOS
IN ROMANÆ SAPIENTIÆ ARCHIGYMNASIO
A SE CONDITA, INSTRVCTAQVE BIBLIOTHECA
PVBLICA LVCE DONAVIT

In eadem Bibliotheca hæc alia inſcriptio etiam legitur.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
QVOD POST VRBEM A PESTILENTIA VINDICATAM
ET AD SVMMAM ELEGANTIAM, NITOREMQVE
MVLTIPLICI OPERE PERDVCTAM
POST EMENDATOS POPVLI MORES
ET CLERI DISCIPLINAM, DIVINVMQVE CVLTVM
SANCTIVS ORDINATVM
ALIAQVE COMPLVRA LIBERALITER POSITA
ET SALVBRITER INSTITVTA
NE QVID, VEL AD CIVIVM COMMODITATEM
VEL AD AMPLITVDINEM VRBIS DEESSET
LIBERALIBVS DISCIPLINIS, ET BONIS ARTIBVS
PVBLICE ALENDIS, EXCOLENDISQVE
GYMNASII ÆDIFICATIONEM ABSOLVERIT,
BIBLIOTHECAM INSTITVERIT, INSTRVXERIT, DEDICARIT
SAC. CONSIST. AVLÆ ADVOCATI POSS.
ANNO SALVTIS M DC LXI.

Hoc beneficium Romanæ Urbi collatum recenſuit etiam inſcriptio Caſtro doloris appoſita poſt Alexandri mortem his verbis.

ROMANAM ACADEMIAM SAPIENTIÆ SACRAM
PRVDENS ALEXANDER AMABILIOREM REDDIDIT,
ET OPPORTVNIOREM,
PVLCHRA ÆDIFICATIONE INSIGNI BIBLIOTHECA.
ROMA POTENTIVS REGITVR AMORE SAPIENTIÆ,
QVAM POTENTIÆ METV.

Ut erga Sapientiam amorem excitaret ſapientiſſimus Pontifex Bibliothecam hanc voluit publici juris facere; Quamvis enim claves apud Miniſtros ſint, quibus id Cuſtodiæ, & curæ tribuitur; nihilominus nemini claudendam ſtatuit. Talem cuſtodiam, ac curam impoſuit præclaro viro Domino Fauſto Airono Maronitæ hujus Collegii Maronitarum (ubi hæc ſcribo) olim Alumno, qui Syriacæ Linguæ lectiones in eodem Archigymnaſio quotidie habet, ac ſua, qua pollet eruditione volumina edidit valde utilia.

✠ XXXII ✠

VIRGINIS AEDE, ET PAVLI HOSPITIO EXORNATIS ROMAE:

INsigne Templum extat Romæ, quod vocatur corrupto nomine *Sanctæ Mariæ inviolata*, eo quòd sit in via, olim dicta *via lata*, cum qua via Flaminia conjungitur. Extructum illud fuit anno circiter septingentesimo, sedente Sergio Primo eo in loco, ubi Sanctus Martialis, Sancti Petri Discipulus constru- *Nardinus lib. 4. cap. 10.* xerat Oratorium(ut dicitur in antiqua relatione relata à Floravante Martinello in descriptione ejusdem Templi) *in quo celebrabat, ac cum aliis Christifidelibus preces fundebat, atque de Fide Christi eructans melliflua verba multos Baptizavit*. Ibi post Di- *Pag. 24.* vum Petrum commoratum esse S.Paulum Apostolum monumenta referunt circa annum post Christum natum quinquagesimum nonum juxta Baronium à Martinello *An. 59. num. 1.* adductum, quamobrem hospitium Sancti Pauli illud Authores nominarunt.

Ubinam inquit Baronius anno 59. numero 5. fuerit ejusmodi, cujus Lucas meminit, Pauli hospitium, in antiquis monumentis Diaconiæ Sanctæ Mariæ in Via lata memini me legisse, illic primum hospitio exceptum fuisse. *Viget verò traditio* ait Lorinus in cap.28.act.Apost.*ibidem Sancti Pauli conductas ædes fuisse*.

Baronium, & antiquissimam traditionem sequitur Pater Antonius de Balinghem Societatis Jesu in suo Kalendario his verbis. „ Hujus Romæ hospitium, ac *25. Januar.*
„ habitatio, quæ actor. 28. vocatur conductum tot eximiis ibi gestis clarissimum,
„ ubi catena circumdatus propter Christi confessionem mansit toto biennio cum
„ custodiente se milite omnibus ad se adventantibus, prædicans Regnum Dei,
„ ubi plures scripsit Epistolas ad Ephesios, ad Philippenses, secundam ad Timo-
„ theum, ad Philemonem, ad Hebræos, ubi Dei visitatione roboratus est vide
„ 2. ad Timot. Hoc inquam hospitium in Templum, cui nomine à Sancta Maria
„ in Via lata conversum est, quod est inter præcipuas Cardinalium Diaconias.

Dicitur Templum B. Mariæ ob ejus præclaram Imaginem in eodem loco depictam à Sancto Luca, juxta relationem multorum inter quos est Fornerus Episcopus Hebronensis, qui ait unam è tabellis à se elaboratis Divum Lucam digito *Lib.3.c.10 palm. triumph. mirac.* anulum gestantem innumeris, ut olim, ità, & modò miraculis exculptam, hospitio veteri gratæ memoriæ ergo reliquisse. Confirmat hoc idem inscriptio posita suprà januam Sacelli subterranei.

ORATORIVM
QVONDAM SANCTI PAVLI APOSTOLI
LVCÆ EVANGELISTÆ, ET MARTIALIS MARTYRIS
IN QVO, ET IMAGO MARIÆ VIRGINIS
REPARATA SISTEBAT.
VNA EX SEPTEM A BEATO LVCA DEPICTIS.

Cum autem multa miracula Beata Virgo Maria in dicta imagine operaretur, &Christiani adeam confluentes ad dictam Ecclesiam venirent, & refecti gratia læti ad propria reverterentur,vetustate,& devotione fidelium venerabilis inter cæteras Urbis Ecclesias evasit.Eam Sergius I. circa annum 690. die 25. Octobris consecravit,& inter Diaconias numeravit.Anno 1491. in meliorem formam Templum extructum est jussu Innocentii VIII. juxta narrationem Platinæ, & Stephani Infessuræ his verbis.

„ Die 23. Augusti 1491. cœptum fuit opus Sanctæ Mariæ in Via lata, vide-
„ licet destruere dictam Ecclesiam, & aliam novam ædificare, cum demolitione
„ arcus triumphalis, supra quem in aliqua parte erat ædificata, in cujus Ecclesiæ
„ fabricationem fertur, Papam obtulisse ducatos quadringentos, Vice Cancel-
„ larius 300. Camerarius 200. residuum Magistri Architectores cum hoc, quod
„ marmo-

„ marmora, & lapides tiburtini, qui reperirentur, sint ipsorum. Tempore postea Urbani VIII. Sacellum, in quo Deiparæ Imago colitur in augustiorem formam redactum est, & pretiosis lapidibus exornatum, ut docet inscriptio in pavimento marmoribus diversis composito his verbis,

SACELLVM BEATÆ VIRGINI
A IOANNE BAPTISTA DE ASTE RELICTVM
HÆREDIS ARBITRIO EXTRVENDVM
FRANCISCVS BONAVENTVRA DE ASTE, EQVES
SANCTI IACOBI VOLVNTATEM OPTIMI
PARENTIS PRO IMPERIO COMPLEXVS
HOC LOCO EXTRVXIT, ORNAVITQVE
VBI ILLE PRÆCIPVA VENERATIONE
HANC DEI MATRIS EFFIGIEM SEMPER COLVIT.

Alexander denique VII. conspicuam frontem, & Porticum addidit è lapide Tiburtino, quam Petrus Berettinus Cortonensis delineavit. In Zona ejus frontis supra coronicem huc titulum apposuit,

ALEXANDER VII. P. M.
DEIPARÆ VIRGINI IMMACVLATÆ
ANNO MDCLXII.

In porticu tabula marmorea inscriptionem habet hujusmodi.

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.
LOCVS ANTIQVA VENERATIONE, SACER, ET NOBILIS,
IN QVO SANCTVM PAVLVM APOSTOLVM DIV MORATVM
NON SEMEL VNA CVM IPSO ECCLESIÆ CAPITE S. PETRO
DE REBVS CHRISTIANÆ FIDEI DELIBERASSE,
VBI SANCTVM LVCAM EVANGELISTAM, ET SCRIPSISSE,
ET DEIPARÆ VIRGINIS IMAGINES DEPINXISSE
IAM INDE A PRIMIS TEMPORIBVS TRADITVM
CONGESTV TERRÆ OLIM DEPRESSVS, ATQVE INACESSVS
FACILI SCALARVM DESCENSV
INMISSOQVE FENESTRIS LVMINE
PERPVRGATVS, EXORNATVSQVE
PRO FIDELIVM CVLTVI RESTITVTVS EST
ANNO SALVTIS MDCLXI.

In Templo autem suprà januam hæc alia legitur,

ECCLESIA SANCTÆ MARIÆ IN VIA LATA
OLIM BASILICÆ NOMINE INTER VETERES VRBIS
VETVSTATE, ET CANONICORVM COLLEGIO INSIGNIS
A SERGIO P. P. PRIMO DIACONIÆ TITVLO CONSECRATA
SVB ALTARE CORPORE S. S. MARTYRIS AGAPITI COLLOCATO,
A LEONE IX. MVLTIS SANCTORVM DITATA RELIQVIIS.
AB EVGENIO IV.
MONASTERIO, ET ECCLESIIS S. S. CIRIACI; ET NICOLAI
IPSI VNITIS AVCTA, ET LOCVPLETATA.
AB INNOCENTIO VIII.
NOVO ÆDIFICIO IN AMPLIOREM FORMAM REDACTA
ATQVE AB ALIIS SVMMIS PONTIFICIBVS
DONIS SPIRITVALIBVS CVMVLATA, DEMVM
AB ALEXANDRO VII.
MAGNIFICE INSTAVRATA EST, ET ORNATA
ANNO SAL MDCLXII.

IMMACV-

XXXIII

IMMACVLATAE VIRGINI VOTVM ROMAE.

FRontem Templi ostendit numisma, in foro, quod dicitur *Campitelli*, extructi in honorem Sanctæ Mariæ, de Porticu dictæ ob imaginem ad eamdem translatam, quæ in alio Templo, non valdè ab eo loco dissito, colebatur. Originis tantæ molitionis breviter hic meminisse oportet, ut lemma numismatis explicetur.

Grassante itaque Romæ pestifera lue anno reparatæ salutis 1656. regnante Alexandro VII. Senatus Populusque Romanus, qui optimè norat per Sacram Imaginem Beatæ Virginis in Porticu extinctam alias in Urbe pestilentiam, per eamdem iterum extinguendam sperantes, ad ejus perfugium, velut ad verum Palladium venerabundi accessere, humillimè Deiparam deprecantes, ut suæ imaginis sacræ obtentu, quę in symbolum liberatę olim Urbis Gallæ Patritię cęlitus effulserat, Romam suo dignaretur patrocinio, mulceretque sacratissimum Filium juste indignatum,respiceretque benignè corda Romanorum contrita.

Invisere interim pluries Excellentissimi Urbis Senator, & Conservatores Sacram Ædem, ad evertenda tot flagella, & Festo die Sanctæ Marię in Porticu addidere voti nuncupationem (ea adiecta conditione, si Sanctissimus Pontifex annuerit) quo promiserunt Beatę Virgini corrogare aliquam argenti vim, ut sacram ejus imaginem splendidiori loco apud eamdem Ecclesiam collocarent, prout judicio tanti Pontificis congruere visum fuerit.

Alexander itaque assensus est precibus Conservatorum, qui rursus votum ratum, firmumq; habuere declarantes bona, redditusq; omnes ejusdem Senatus, Populique Romani in posterum Templo ædificando à se impendenda. Nequè incassum se vota nuncupasse perceperunt, tum illo eodem die experti sunt Sanctissimæ Virginis opem, quòd indè lues contagiosa paulatim repressa minus quàm ante cives necaret, atque ita in dies minueretur, ut modico temporis intervallo restincta penitus fuerit. Alexander interim in eamdem imaginem religiosissimus, non solùm instituit solemnem totius Cleri, & omnium Ordinum, Patrum, etiam Purpuratorum supplicationem, & voto S. P. Q. R. assensus perbenigne est, verùm etiam ad Matris Dei honorem, & gloriam operi moliendo separatum exhibuit novoque ædificio excitando, & argenti copię corrogandę.

Demandavit igitur pręstantioribus Architectonicę rei Magistris Provinciam situm considerandi, & demetiendi, ut simul referrent, an ideę de pręconcepto ædificio locando esset idoneus, neque eorumdem relatione contentus locum ipsemet lustravit 12. Kal. Februari 1657. rem melius expensurus, sed sapientissimus Pontifex optimè inspecto, examinatoque loco satis à Populi frequentia segregato necnon aliquantulum sordido, parumque novę molitioni commodo, animum adiecit ad Ædem hanc Sanctę Marię in Campitello, utque augustiore, atque splendidiore consisteret loco, in ipsa Campitelli area. Facesserat nihilominus negotium, & parum abfuit, quin res interturbaretur ab injecta Pontificię menti consideratione, quòd Ædes Sanctę Gallæ lecta divinitus fuerit tanto pignori asservando. Ea de re instituit Patrum cętum, qui, maturè re discussa, nullum fore inconveniens testati sunt, si servata veteris Sanctuarii Religione prodigiosa Imago alio decentius collocanda transferretur. Decerneret propterea Sanctitas Sua pro libito, quid ei videretur ad majorem cultum conciliandum Imagini. Alexander igitur dato diplomate anno 1661. injunxit Cardinali Martio Ginnetto in Urbe, ejusque districtu Vicario, sacrę imaginis traslationem ab illa in Porticu ad hanc in Campitello Ædem, attributa, quousque Sanctuarium decentius construeretur, veluti sede, cui insideret Ara maxima: jussi Patres Congregationis Matris Dei illinc huc divertere, ut eo majori obsequio Virginem venerarentur,

quò major esset religiosorum cœtus, servatis eisdem Patribus omnibus bonis, & redditibus S. Marię in Porticu, quoquo modò acquisitis, & titulo possessis, ut latiùs in diplomate continetur. Propterea Octavianus Caraffa, Archiepiscopus Patracensis Vicarii Vicesgerens jussa ejusdem Summi Pontificis faciens 19. Kalen. Februarii anni 1662. circa horam secundam noctis secretò transtulit Sacram Iconem, eamque deposuit in Ara maxima S. Marię in Campitello, ibidem custodiendam, quousque ędificium absolveretur; duos post dies illinc etiam Patres ad hanc Ædem commigrarunt juxtà Pontificis imperata, secumque detulere omnia, quæ virtute chirographi eis permissa fuerant.

Coemerant Patres domos novo ædificio designando. Præfecerat recenti molitioni Pont.Max. Paulum Maccaranum nobilem Romanum Virum ob prudentiam Principis favore dignissimum, dato diplomate 11. Kal. Jun. anno 1660., simulque facta facultate in usum Fabricæ convertendi aureorum quinque supra decem millia. Nonis Martii ann. 1662. Domus cœpta est, & fundamenta satis lata, & profundè effossa sunt. Post septem menses festo die Dedicationis S. Michaelis Archangeli Sacro solemni ritu Eminentiss. Princeps Hieronymus Boncompagnus Archiepiscopus Bononiensis, tunc temporis Pontificiæ domus Pręfectus operatus est cęremonias omnes, quæ jactum lapidis benedicti in fundamenta præcedunt, in loco ad id selecto, quem elegantèr constituerant fericis peristromatis exornatum, iisque absolutis, supervenit Pontifex ipse, comitantibus Principibus Purpuratis Flavio Chisio, & Julio Rospiliosio, aliisque Principibus Viris proceribus, & Præsulibus, exceptus ad fores Ecclesiæ à Senatore, & Conservatoribus Urbis, Ugone Maffeo, Joanne Baptista Verospio, Hieronymo Varesio, & Gaspare Alvaro, & à Patre Reverendissimo Rectore generali Congregationis Matris Dei Francisco Guinisio nobili Lucensi. Procubuit ante Altare Sanctissimi Sacramenti, effusisque aliquantisper precibus, ad locum sacris cęremoniis comparatum se contulit, recitatisque consuetis precibus in fundamenta descendit, & ubi construendæ Aræ maximę jàm effosum erat, posuit lapidem benedictum tetragonæ figuræ, quique exculptam exhibebat Sanctissimam Crucem cum nomine, & stemmate Alexandri VII., & eodem penè momento ab Eminentissimis Viris, & ab aliis Principibus conjecta sunt numismata, quorum pars altera referebat effigiem, nomenque Pontificis, & altera pars inversa recentis ædificii formam, cum hoc lemmate è cap.2. Jonæ Prophetæ ab ipso Pontifice selecto QVAE VOVI REDDAM PRO SALVTE DOMINO. Illud in nostra tabula expressum est sub numero XXXIV.

Ingenti perfusus lętitia his perfunctus cęremoniis ad pedum oscula, perquā benignè Patribus receptis, ab ipsa Ecclesia discessit, impertita 50. dierum indulgentia illis, qui solemnitati interfuerunt, & cęteris omnibus, qui intrà illum diem præfatam Ecclesiam inviserent. Fęlicibus hisce auspiciis exorditi cęmentarii Ædificium, directore Equ. Raynaldo Populi Romani Architecto, brevi construxere absidem, & corporis Ecclesiæ portionem, quę Sacram Imaginem exciperet, Illustrissimi Præfecti, & Administri Nosocomii Consolationis, quorum curæ incumbit id pignus sacratissimum custodire, tabernaculum erexere ex ære inaurato ingenti sumptu, & magna Melchioris Gafar Melitensis arte. Eodem ferè tempore Frons Ædis hujus è tiburtinis lapidibus, delineatore eodem equite Rainaldo, habuit initia, quæ tamen absoluta est anno 1665. communique omnium plausu non infrà plures alias, quæ Romæ pulcherrimæ sunt, commendata est. E Pontifice eruditissimo hanc Architectus accepit inscriptionem, Zophoro illius frontis consignandam literis cubitalibus, ut factum vidimus.

S. P. Q. R. VOTVM
SVB ALEXANDRO VII. P. M.
S. MARIAE IN PORTICV A FVND. POS.
A. D. MDCLVI.

Vidit & Pontifex cum gaudio, & hanc novam concessionem sibi gratulatus est, propterea transtulit nomen, & titulum Diaconiæ Cardinalis S. Mariæ in Porticu in Area Campitelli Ædem, in futurum nuncupandam S. Mariæ in Porticu, & in Cam-

Campitello, eique Cardinales Diaconos eodem prorsùs modo procedente tempore & non antiquæ, in qua titulus extinctus fuit, præficiendos esse decrevit huic Sanctæ Mariæ in Porticu, & in Campitello in Consiorio XIII. Kalen. Sextilis anno 1660.

Alexandro VII. demùm è vivis sublato, tantò parente orbata recens Ecclesia desperaverat, se ampliùs provehendam: Julius intereà Rospiliosius renunciatus Pontifex, erga hanc Sacram Iconem devotus, præfecit eidem Eminentissimum Cardinalem Ludovicum Vindocinensem Ducem, qui manus adjutrices ædificio perficiendo admoveret, & anno 1667., eodem Pontifice imperante, Sacra Icon ab abside veteris Ecclesiæ, ubi locata primùm fuerat, translata est ad recens Sanctuarium, deferente eam sub Baldachino Illustrissimo Gallo, Ariminensium Antistite, & peracta translatione detectus est paries, qui inter absidem erat, & consuetis ritibus per eumdem Antistitem expiata æde, ostia omnibus reserata sunt magno Populi concursu, allecti pietate in hanc Sanctam Deiparę imaginem.

Frons Ædis exterior, quàm numisma exhibet tota è tiburtinis lapidibus in elegantem formam assurgit. Primùm insident parastatæ cum basi, & corona, resilientibus ad Architectonicę artis præscripta, altitudinis palmorum 12. circiter. Assurgunt in parastatis quatuor columnę cum epistiliis corinthii ordinis, quibus ostium majus est intermedium, ad quod patet aditus per gradus tres. Ostium verò ornant duę alię columnæ cum basi, & capitulis ionici ordinis Zophoro, & corona magna cum duobus semicirculis resultantibus. Sunt è lateribus duo ingressus, quorum latera itèm fulciuntur duabus columnis cum corona superimposita, supra quam lumen excipiunt duæ tetragonæ fęnestræ, & cum parastatis, per quas recurrit magna coronix, quæ semicirculum præfert, inter hæc conchylium implet vacuum cum encarpiis duobus parvis.

Corona magna supra easdem columnas partita est cum coronalypsi, & rosis, præfertque medium, quod acuminatum est Frontispitium, zona autem, seu zophorus pręfert litteras, quibus indicatur Voti solutio.

Secundus verò ordo prefert parastatas cum basi, & coronalypsi, sicut in primo ordine, quibus aliæ, ut infrà columnæ hęrent jonici ordinis. Item capitula corona, ut supra de primis dictum est medium tenet frontispitium semicirculare, & supra recensitam coronidem duplex frontispitium acuminatum. A lateribus collocatę sunt duę tabellæ cum encarpiis, & in ejus fastigio duo Cherubim cum aliis superpositis, & encarpiis pariter recurrentibus. Fænestra media, quę & tetragona fulcitur duabus columellis corinthii ordinis cum suis stilobatis. Decurrit desuper capitula corona resiliens cum frontispitio semicirculari, & aliud conchylium medium inter frontispitium, & ante conchilium à lateribus. Interior verò facies, quam modò describimus, & primùm in ingressu majoris ostii sese offert pro Dinthyro obex è lapide tiburtino, qui respondet portę, quem circumstant duę similes columnæ, respondentes iis, quæ stant à lateribus ejusdem ostii.

Ædis omnis longitudo est palmorum duorum supra ducentos usque ad absidem exclusivè. Absidi verò longitudo est palmorum triginta trium cum dimidio. Tholi diameter est palmorum quadraginta trium; Cellis latitudo inest palmorum undecim, & semis, longitudo undecim, latitudo ædis, qua major est palm. 136. qua minor palm. 120. sunt decem in ea Cellæ ordinis corinthii. Tholus sese tollit supra octo columnas, estque testudinatus, & habet laternulam, à qua lumen est. Similes duæ columnæ ornant absidem, cujus sustinent fornicem. Duæque aliæ testudinem mediam fulciunt cellis majoribus se mutuò respicientibus, sunt ornamento à lateribus sex columnę, duę antichę, & quatuor postice. Itidem duę alię columnę in una ęde supra pilas, omnes striatę, & corinthii ordinis. Bases, & parastatę, & duodecim palmi dictarum columnarum sunt è marmore Lunensi, reliquę portiones sunt lateritię, quibus marmoratum superinductum est. Supra cellas minores sunt octo chori, Musicis concentibus affabrè dispositi, & alter chorus est supra ostium Ecclesię. Absis præfert ab utroque latere duas fęnestras, duę inferiores sunt, duę verò superiores. In tholi zona sunt etiam octo ovales fęnestrę.

OSTEN-

✠ XXXV ✠

OSTENDIT DOMINVS MISERICORDIAM IN DOMO MATRIS SVAE ARICIAE.

IN Campania Romana oppidulum est ab Urbe Roma sexdecim millia passuum distans, cui nomen *Aricia*. Olim Urbs fuit Latii Albę finitima; ab Archilocho condita traditur, è de Aricię Atticę puellæ ab Hyppolito adamatę nomine dicta. Ovid. lib.6. fast.


Baudrand. v. Aricia.

Inspice quos habeat memoralis Aricia fastos,
Et Populus Laurens, Laviniumque meum.

Non procul ab eo oppidulo Sacra Ædes in Colle assurgit Beatę Marię Gratiarum totius Latii religione celebris. Ibi Dominus quotidie OSTENDIT MISERICORDIAM, ut lemma numismatis declarat ob gratias, quas Fidelibus concedit efficaci Matris suę intercessione petitas. Hanc Ædem piissimus Pontifex ob cultum, quo erga Deiparam ferebatur, instauravit, & ornavit, ut inscriptio supra Januam in parte interiori declarat his verbis.

Oldoi. 712.

DEIPARÆ VIRGINIS ÆDEM
OB INNVMERA, ET INGENTIA ACCEPTA BENEFICIA
DEBITA QVIDEM, SED PROPERA NIMIS PIETATE
CONSTRVCTAM IMPERFECTAM IDEO,
AC FATISCENTEM.
ALEXANDER VII. PONT. MAX.
AD AVGENDAM CVLTV DIVTVRNIORE LOCI RELIGIONEM
DEVOTI, DEVINCTIQVE ANIMI
ERGA EAMDEM BEATAM VIRGINEM
ARGVMENTO CONSTABILIVIT, ORNAVIT, ABSOLVIT.
ANNO SALVTIS MDCLXII.



✠ XXXVI ✠

BENE FVNDATA DOMVS DOMINI B. VIRGINI ARICINORVM PATRONAE.


OB eamdem erga Deiparam pietatem in Oppido ipso Aricię, à Chisio Principe possesso, templum elegans construi curavit, sacravitque Virgini in Cęlum assumptę. Fundamentis effosis ipse Pontifex primum lapidem posuit, & Eminentissimus Nepos Flavius Chisius lapideam arculam palmis duobus longam, uno cum semisse latam, in qua duodecim erant numismata cęmentariis tradidit, ut in loco collocarent, supra quem Altare majus extruendum erat. In quo Alexander die decima Maii anno 1665. primum Sacrum celebravit. Anno demùm 1666. Fabricę finem imposuerunt, juxtà delineationem Equitis Bernini expensis quinquaginta millibus scutis, quatuorque aliis in fronte ejusdem Templi exornanda. Extat supra Januam hęc inscriptio.

An. 1663.

Baldinucc. in Vita pag. 39.

DEI-

DEIPARAE IN CAELVM ASSVMPTAE
DIRVTO VETERE, QVOD INFIMA IN ARICIA SITV,
SORDIBVSQVE INCOMMODVM CORRVEBAT
ALEXANDER VII. PONT. MAX.
TEMPLVM ELEGANTIVS LOCO NOBILIORE
EXCITATVM TVRRIBVS, AEDIBVSQVE, ATQVE
AREA ORNATVM, AC PERFECTVM D.
ANNO SALVTIS M DCLXIV.



XXXVII

SAPIENTIA IN PLATEIS DAT VOCEM SVAM.

Constat inscriptio numismatis verbis Salomonis in cap. 1. Proverbiorum exaratis, quo nomine *Sapientiæ* Sapientissimum Pontificem Alexandrum nullo pacto mihi suadeo, significare voluisse *Sapientiam increatam*, scilicèt ipsum Deum, qui (ut explicat Cornelius noster) per Prędicatores, per Angelos, perque omnes Creaturas, quin, & per inspirationes internas, putà per illuminationes intellectui inditas, & impulsus voluntati immissos potenter hominibus prędicat sui timorem, & amorem; nec etiam *Sapientiam incarnatam*, quę est ipse Christus, qui circuivit Vicos, Pagos, & Castella, prędicans ubique Regnum Dei; Hanc enim Sapientiam incarnandam tempore Salomonis, prævidit Spiritus Sanctus, & per eum ipse Salomon. Ita Beda, & Sanctus Hilarius in Psalm. 118. sed ut numismati congruat in tertio sensu accepta fuisse credo, significando Sapientiam creatam, putà prudentiam, honestatem, & virtutem, ut explicant Lyranus, & Jansenius apud eumdem Cornelium. Salomon enim hic inducit Sapientiam per quamdam prosopopejam, quasi personam subsistentem, imò quasi loquentem, & docentem, & quodcumque opus, quod prudenter, & sapienter etiam ab hominibus fit, quodammodò vocem habet, artificem, & authorem celebrantem, sicut Cęli à Deo conditi, ejus gloriam enarrant juxtà Davidis documentum. *Vers. 20.* *Ibi.*

Numisma igitur Plateam reprȩsentat è *Populo* dictam, in qua certè Sapientissimorum Artificum opera à se ipsis celebrantur: Assurgit in ejus centro Obeliscus, quem ab Equite Fontana inibi erectum diximus Sixti V. jussu. Tres amplę Vię ab ipso Obelisco, veluti à centro in Urbem protenduntur. Spatiosa ad Urbis mœnia patet Janua, quam Alexander VII. felici, faustoque ingressui Svecorum Reginæ exornavit. Prope ipsam Templum nobilissimum Deiparæ dicatum adest, ab eodem Pontifice in augustiorem formam redactum, ac demùm duo alia Templa eidem Virgini excitata visuntur, tamquam Viarum augustissimi termini, & ipsius Plateæ nobilissima ornamenta. Quod in parte Tyberi proximiore assurgit, Deiparę, à *Miraculis* dictæ, dicatum est. In illo Sacra ejus Imago collocata fuit translata ex humiliori, & sordida æde, fluminis exundantis alluvionibus obnoxia, cum religiosa Franciscanorum Gallorum tertii Ordinis Familia. Aliud est Deiparę de *Monte Sancto* nuncupatę, quę sub cura Patrum Carmelitarum in parum distante, sed angustissima Æde piè colebatur. Utrumque consilio Alexandri VII. excitatum post ejus mortem suis expensis Eminentissimus Cardinalis Hieronymus Castaldus absolvit, opus dirigente Equite Raynaldo, postquàm suam operam dederunt Equites Berninus, & Fontana.

De his Templis plura in descriptione Romæ edita à Michaële Angelo de Rubeis pag. 356.

NOBI-

XXXVIII

NOBILIVS PER TE SITVS FLVAM INEXHAVSTVS.

Per prosopopejam Fons loquitur in hoc lemmate ab Alexandro VII. Regioni transtyberinę restitutus: Suas ille aquas eructat in platea, in qua Calistus Primus Summus Pontifex, qui vixit anno Christi 221. juxtà relationem Athanasii, & S. Damiani, citati à Donato Soc. Jesu lib. 4. cap. 1. Integro plusquam Sęculo ante Constantinum Principe severo Transtyberinam Basilicam Virginis dicitur ædificasse, unde Fons Olei effluxerat. De illo Baronius ad ann. 224. Taberna Meritoria antiquitùs dicebatur ob ædem, in qua Milites benemeriti, ac bello inutiles hospitabantur. In hac igitur platea Fons antiquissimus extiterat, de quo hæc habet Albertinus. „ Est marmoreus Fons apud Ecclesiam S. Mariæ Transtyberinæ, quem Lopes Cardinalis fundavit, ut carmina sculpta denotant, & cum desiccatus fuerit Reverendissimus Marcus Vigerius Savonensis, vir doctissimus ejusdem tituli Cardinalis in pristinam formam restituit. Sed inscriptio vetus eidem Fonti apposita rem enucleatiùs declarat his verbis.

In Roma moderna del Rossi pag. 76.

FONTEM HVNC VETVSTATE NOBILEM, ET DIRVTVM
ALEXANDER VI.
ET IOANNES LOPES CARDINALIS VALENTINVS RESTITVERE.
IVLIVS II.
ET MARCVS VIGERIVS CARDINALIS SAVONENSIS
INFORMEM ORNAVERE.
AQVAM TVBORVM DEVASTATIONE DEPERDITAM
GREGORIVS XIV.
ET PAVLVS SFONDRATVS CARDINALIS S. CÆCILIÆ
DVCTIS AQVA FOELICI XV. VNCIIS CONCESSERE.
DEMVM CLEMENTIS VIII. P. M. AVSPICIIS
PETRVS CARDINALIS ALDOBRANDINVS ROMANVS S. R. E.
EAM AQVAM ITERVM TYBERIS INVNDATIONE
DEVIAM REDVXIT.
HVNC QVI TOTIES PRINCIPVM LIBERALITATEM,
QVOTIES TEMPORVM INIQVITATEM EST EXPERTVS
S. P. Q. R. RESTAVRAVIT
ANNO DOMINI MDCIII.

Fœlices undas Regioni Transtyberinæ hic Fons emanavit usque dum per Pontem Gregorianum supra Tyberim effluere potuerunt è monte Quirinali, quo Sixtus V. illas advexerat, at à vehementi Tyberis eluvione Ponte dejecto, aridus Fons evasit, ac tota ea regio aquæ penuriam deflevit, donec Alexander VII. providentissimus Pontifex copiosos latices ex ductu Aquæ Paulæ in Janiculo emanantis ad eamdem Plateam corrivavit, in cujus centro Fontem extruxit, adjecta hac inscriptione.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
POST DIVTVRNÆ ARIDITATIS SQVALLOREM
OB AQVAM FOELICEM PONTIS GREGORIANI
RVINA INTERRVPTAM
AQVÆ PAVLÆ VNCIIS XXXVI. SALIENTEM
MEDIA IN AREA SILICE STRATA
AD VSVM, ORNATVMQVE PVBLICVM
RESTITVIT
ANNO MDCLIX. PONT. IV.

Dejecit

Dejecit etiam domunculas, quæ Foro impedimento erant, illud in elegantiorem formam redegit, ut non minùs Templi majestati, quàm Urbis decori consuleret. Antiquum Fontem ab Alexandro VI. restitutum à Bramante Architecto fuisse delineatum Vasarus affirmat, novum ab Alexandro VII. positum Berninus exornavit.

XXXIX

ALEXANDER VII. P. M. PIVS, IVSTVS, OPTIMVS.

SENENSIS PATRITIVS GENTE CHISIVS MDCLIX.

IMaginem Alexandri VII. in maximo numismate expressit Dominicus Jacobatius nobilis Romanus, adjectis epithetis, quæ pium, justum, & optimum Pontificem declarant. Quam benè illa sibi demeruerit Alexander ejus acta omnibus nota abundè probant. Cardinalis Sfortia Pallavicinus plurimas ejusdem laudes edidit in fine historiæ Concilii Tridentini. Illas repetere cum à nostro instituto sit alienum, aversam numismatis faciem proponimus, in qua hæc inscriptio legitur.

XXXX

MVNIFICO PRINCIPI DOMINICVS IACOBATIVS.

ET FERA MEMOR BENEFICII.

GRati animi causa ob beneficia sibi collata liberalissimi Principis memoriam æterno æri consignavit Jacobatius, sibi suadens belluis pejorem se futurum, si recepta beneficia ubique non celebraret, quandoquidem & Feram memorem beneficii Populo Romano admirante se ostendisse ex antiquorum monumentis accepimus. Illam ostendit numisma, scilicet Leonem crudelitate exutum ante Virum armatum veluti catulum mansuetum procumbentem. Rem totam exposuit Aulus Gellius lib. 5. cap. 14. quam narratam ait Appione, dicto Polyhistore in libro Ægyptiacorum, ut à se oculis suis visam his verbis. In Circo maximo venationis amplissimæ pugna populo dabatur. Ejus rei, Romæ cum fortè essem, Spectator fui: multæ ibi sævientes Feræ magnitudine bestiarum excellentes omniumque inusitata, aut forma erat, aut ferocia, sed præter alia omnia Leonum immanitas admirationi fuit, præterque omnes cæteros unius. Is unus Leo corporis impetu, & vastitudine, terrificoque fremitu, & sonoro, toruus, comisque cervicum fluctantibus animos, oculosque omnium in sese converterat. Introductus erat inter complures cæteros ad pugnam bestiarum Dacus Servus Viri Consularis. Ei Servo Androdus nomen fuit. Hunc ille Leo ubi vidit procul, repente quasi admirans stetit, ac deindè sensim, atque placidè, tanquam oscitabundus ad hominem accedit. Tum caudam, more, atque ritu adulantium canum, clementer & blandè movet, hominisque sese corpori adjungit, cruraque ejus manus propè jam exanimati metu lingua leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tàm atrocis Feræ blandimenta amissum animum recuperaverat: paulatimque oculos ad contuendum Leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta, lætos, & gratulabundos videres hominem, & Leonem. Ea re prorsus tàm admirabili maximos populi clamores excitatos dicit, accersitumque à Cæsare Androdum, quæsitam causam, cur ille atrocissimus Leonum uni parsisset. Androdus rem mirificam narrat, atque admirandam. „ Cum Provinciam (inquit) Africam
„ proconsulari imperio meus Dominus obtineret, Ego ibi iniquis ejus, & quo-
„ tidianis verberibus ad fugam sum coactus, & ut mihi à Domino terræ illius

,, Præside tutiores latebræ forent, in Camporum, & arenarum solitudines con-
,, cessi, & si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum
,, Sole medio rapido, & flagranti Specum quamdam nactus remotam, latebrosam-
,, que in eam me penetro, & recondo, neque multò post ad eamdem specum ve-
,, nit hic Leo debili uno, & cruento pede gemitus edens, & murmura, dolo-
,, rem, cruciatumque vulneris commiserantia. Atque illic primò quidem con-
,, spectu advenientis Leonis territum sibi, & pavefactum animum dixit, sed post-
,, quam introgressus (inquit) Leo uti reipsa apparuit, in habitaculum illud suum,
,, videt me procul delitescentem, mitis, & mansuetus accessit, & sublatum pe-
,, dem ostendere mihi, & porrigere quasi opis petendæ gratia visus est. Ibi ego
,, stirpem ingentem vestigio pedis ejus hærentem revulsi, conceptamque saniem
,, vulnere intimo expressi, accuratiusque sine magna jam formidine siccavi peni-
,, tùs, atque detersi cruorem. Ille tunc mea opera, & medela levatus, pede in
,, manibus meis posito, recubuit, & requievit, atque ex eo die triennium totum
,, ego, & Leo in eadem specu, eodemque victu viximus. Nam quas venabatur
,, Feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat, quæ ego ignis copiam
,, non habens, Sole meridiano torrens edebam; Sed ubi me vitæ illius ferinæ
,, jam pertęsum est, Leone in venatum profecto, reliqui specum, & viam fermè
,, tridui permensus à militibus visus, apprehensusque sum, & ad Dominum ex
,, Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum, dandumque
,, ad bestias curavit. Intelligo autem hunc quoque Leonem me tunc separato
,, captum, gratiam nunc mihi beneficii, & medicinæ referre. Hæc Appion di-
,, xisse Androdum tradit. Atque ideò cunctis petentibus, dimissum Androdum,
,, & pœna solutum, Leonemque ei suffragiis Populi donatum. Postea igitur vi-
,, debamus Androdum, & Leonem loro tenui devinctum Urbe tota circum taber-
,, nas ire, donari ære Androdum, floribus spargi Leonem, omnesque ferè ubique
,, obvios dicere: *Hic est Leo hospes hominis. Hic est homo medicus Leonis*. Si-
milem Leonis factum Sancto Hieronymo accidisse communis opinio sibi suadet, ut refert Pater Stephanus Menocchius, sed Cardinalis Baronius cap. 107. de Abbate Gerasimo refert ex Prato spirituali à Joanne Evirato ad Sophronium inscripto,

Trattenimenti eruditi tom. 2. pag. 54. *Cap. 107.*

,, his verbis. ,, Hic Abbas quadam die deambulans supra ripam Jordani obviam
,, habuit Leonem valdè rugientem suspenso pede, cui infixus erat calami aculeus.
,, Cum igitur Leo vidisset Senem ei vulneratum pedem ostendit, Senex sedens,
,, pedemque apprehendens, calamum extraxit, & panno pedi alligato, Leonem
,, dimisit. Leo sanatus Senem deserere noluit, sed ipsum quocumque inceden-
,, tem comitabatur, Senex gratum Feræ animum admiratus infusis leguminibus
,, nutrire cœpit.

Talem grati Leonis virtutem exemplo confirmo, quod meis oculis Romę usurpavi die 22. Novembris anno 1694, Circumducebat Olandus quidam Tigridem, & Leonem, atque harum belluarum ostensionem pretio concedebat, ut viveret: Canis Leonem semper comitabatur, & sua ferocia oblitus Leo cum Cane cubans illum persæpè veluti in amplexu fovens omnia ejus membra, quia beneficii memor, lenitèr lambebat. Canis enim, cum Leo gravi vulnere ægrotasset, illud sua lingua assiduè lambendo, morbosam saniem absterſit, curavitque perfectè plagam, unde timorem in Canem Leo non incutiebat, quem mitem, ac beneficii memorem Canis experiebatur.

Hujusmodi exemplis edoctus Jacobatius suam animi grati virtutem percusso numismate declaravit. Illud in ærea tabula insertum obtulit, in qua Veritas exculpta palmam sinistra tenet, triumphantis instar, mendacium, & livorem conculcans, dextera autem simul cum fama paginam ostentat, in qua hoc elogium in Alexandri laudem Jacobatius expressit.

ALE-

XXXXI




XXXXII



XXXXIII



XXXXIV *pag. 64.*



XXXXV



XXXXVI




XXXXVII













XXXXVIIII









ALEXANDRO VII. P. O. M.
VRBE A PESTE EXPVRGATA.
VIIS, PLATEIS, SALIENTIBVS, ÆDIFICIIS, TEMPLIS EXORNATA,
REI FRVMENTARIÆ COPIA CARITATE CVMVLATA,
A BELLORVM PERICVLIS, TERRA, MARIQVE PRÆSIDIIS
CONFIRMATA,
VENETIS CONTRA TVRCAS MILITE CLASSE,
ARGENTO SÆPIVS ROBORATIS.
SOCIETATE IESV IN EORVM DITIONEM RESTITVTA.
SVETIÆ REGINA ROMANAM PROFESSA FIDEM
POMPA TRIVMPHALI EXCEPTA.
PROBATIS PP. INTEGRÆ VIRTVTIS CENSV AD PVRPVRAM
DELECTIS.
TRIPLICI PORTICV VATICANÆ AREÆ CIRCVMDVCTA.
PETRI CATHEDRA PONTIFICALI DECORE IAM IAM NOBILITATA.
S. P. Q. R.
COMMVNI PLAVSV STATVAM IN CAPITOLIO DECREVIT,
MODESTISSIMVS PRINCEPS RECVSAVIT
DOMINICVS IACOBATIVS ROMANVS,
PVBLICIS INSVPER MONVMENTIS
BENEFICIORVM IN RELIGIONEM, IN PATRIAM,
ET IN SE IPSVM MEMOR.
NVMISMA EX ÆRE, ARGENTO, AVRO IAM CONFLATVM
HIS TANDEM CHARTIS ÆRE PERENNIORIBVS COMMISSVM
OBSERVANTISSIMVS CONSECRAVIT ANNO
QVO SOLLICITVDINIS PONTIFICIÆ
VOTORVM ÆRVMNARVM ÆRIS.
MAGNO PAR PRETIO REDEMPTA,
MANABAT DE CAELO PAX.

Hæc omnia incisa in ærea lamina à Joanne Baptista Bonacina, Eques Petrus Berettinus Cortonensis delineavit.

✠ XXXXI ✠

ALEXANDER VII. CHISIVS SENENSIS PONT. OPT. MAX.

IMago Alexandri Senensis in numismate nescio qua occasione fuso, & in aversa parte ejusdem sunt insignia gentilitia, quæ hæc verba circumdant.

✠ XXXXII ✠

ALEXANDER VII. CHISIVS SENENSIS PONT. MAX. ANNO II. CREATVS.

CUr hæc verba fuerint expressa parùm à superioribus dissimilia ex nullo documento assequi potui; illud cusum fuisse anno *1656.*, ideſt Pontificatus Secundo videntur indicare; de Gentilitio Chisiorum stemmate hic exculpto innuere sufficiat illud in quatuor areolas divisum esse, quarum duæ sex montes aureos continent, quibus Sidus etiam aureum imminet in campo rubro, aliæ verò in campo cianeo quercum habent. Illam in præmium retulisse à Julio II. affirmat Jo: Palatius Augustinum Chisium, quem idem Pontifex maximi faciens omnibus Ecclesiæ thesauris præfecit, quos recta fide, & totius Orbis plausu tractavit. *Pag.601.*

⚜ XXXXIII ⚜

Isaiæ 11. ELEVABITVR SVPER COLLES 1655.

⚜ XXXXIV ⚜

Job. 13. ET BENEDICTI ERVNT QVI AEDIFICARVNT TE.

NUmiſma ea ære formatum, atque in fundamentis poſitum novarum Ædium, quas anno 1655. extruxerunt PP. Camandulenſes, qui Eremiticam vitam ducunt in agro Bononienſi prope oppidula vulgo dicta *Fizzano*, *& Cerretolo*. Primum lapidem ſacris benedictionibus expiatum ſolemni ritu collocavit Illuſtriſſimus Bentivolus Bononienſis Eccleſiæ Archidiaconus, ſub auſpiciis Sancti Benedicti, & Sancti Romualdi, quorum effigies in numiſmate ſunt exculptæ.

Ejuſdem generis numiſmata anno ſequenti 1656. in fundamentis novi Templi ſolemni pompa poſuit cum primo lapide Illuſtriſſimus Joſeph Muſottus Tyferni Tyberini Epiſcopus, nulla alia inſcriptione adiecta. Plurima ſimilia numiſmata ex argento conflata, eo die diſtributa fuere præclaris viris, qui adfuerunt. In jis inſignia gentilitia ſunt Alexandri VII. eo tempore regnantis, Eminentiſſimi Cardinalis Hieronymi Boncompagni Bononienſis Epiſcopi. Eminentiſſimi Joannis Hieronymi Lomellini Bononiæ Legati, atque verba in utraque facie numiſmatis appoſita cum ędificio ædificantibus bona augurantur. His enim cæleſtes beneditiones, illi incrementum fabricæ prædicuntur.

⚜ XXXXV ⚜

ALEXANDER VII. PONT. MAX.

ANNO MDCLXIV.

MOntes cum ſydere Familię Chiſię, relicta quercu, quam in aliis numiſmatibus expreſſam vidimus præſens numiſma præfert, & in parte averſa Pontificis imaginem. Montibus ſuperſtant claves Pontificiæ in formam crucis diſpoſitæ cum tiara, triplici corona exornata. De omnibus his ſatis alibi dictum eſt; pro coronide tantùm addo; Paſchali II. poteſtatem Pontificiam ſeptem clavibus ſignificatam fuiſſe non duabus cum Romanæ Eccleſiæ poſſeſſionem apud Lateranenſem Baſilicam adiret. Verba Anonimi ſcriptoris ejus ætatis Franciſcus Maria Torrigius refert. *Hic* (ideſt Paſchalis) *Baltheo ſuccingitur cum ſeptem exindè pendentibus clavibus, ex quo ſciat, ſeptem ſigillis ſeptiformem ſpiritus Sancti gratiam &c.* Hunc ritum etiam narrat Andręas Victorellus in addit. ad Ciac. tom. 1. pag. 904. & Platina parum differt cum ait Baltheo ſuccingitur unde ſeptem claves ſeptemque ſigilla pendebant. Quam ob rem Jvo Carnotenſis Epiſcopus, quem ſplendorem Eccleſię Vaticanę vocat Baronius, conſtantiam inculcans ejdem Pontifici, ſuadet, *ut pertinax clavibus, & catenis Petri fortiter teneatur*.

In Cryptis Vatican. pag. 597. part. 2.

⚜ XXXXVI ⚜

INter aliqua Templa, quæ Romæ extabant Templum Minervę dicatum numerabatur; Illud ex Plinio in ſuis de Romanis antiquitatibus libro hiſce verbis deſcribit. „ Templum Deæ Minervæ ædificatum, ſeu dicatum fuit à
„ Magno Pompejo ex manubiis, ubi omnia victarum à ſe gentium inſignia, ac

titulos

„ titulos repoſuit, ut eſt apud Plin. lib. 3. cap. 26. Templum varie ornatum, „ inſtructumque fuit, addito ſimulachro ipſius Deę, cui varia quoque à ſuis Sa- „ cerdotibus fiebant Sacrificia. Nam ei Victores redeuntes e bello triumphan- „ teſque ſacrificabant in gratiarum actionem, quas ei, tamquam Deæ armige- „ ræ referebant; Quo circà etiam ægide ſiniſtra, & haſta manu dextera longa induta toga fingi pingique erat ſolita. Interdum caput Meduſæ in ſcuto præfe- rens. Bellona propterea quaſi Dea Bellatrix, dicta à Græcis Pallas, Minerva à La- tinis dicitur. Fabulantur etiam Poetæ, eam è Jovis Cerebro natam ob eam for- taſſis cauſam, quòd cum ſapientiſſima fuerit fœmina, & ideò ſapientiæ, & bonis artibus à Veteribus præpoſitam ſignificare eo commento voluerint, ſapientiam, pro qua ſumebatur Minerva, ex inexauſto ſapientiæ fonte dimanaſſe. Hoc Deæ Sapientiæ Templum ceſſit Ædi Beatæ Virginis, veræ Sapientię Matris, quæ ſu- pra Minervam vulgari cognomento dicitur, & illi Patres Prædicatores ejuſdem ſapientię cultores inſerviunt. His ſub Gregorio X. circa annum 1275. tales ędes aſſignatę ſunt, ut narrat Octavius Pancirolus. *Ne teſori naſcoſti pag. 819.*

Prope eumdem locum aliud Iſidi dicatum fuiſſe enarrant aliqui, de quo fuſe agit Pater Athanaſius Kircherius in prelusionibus ad interpetrationem obeliſci Ægyptiaci inter Iſæi Romani rudera detecti, exponitque ejus formam ad pag. 6. *Cap. 3.*

Eo in loco cum Patres Ordinis Sancti Dominici fundamenta jacerent pro ne- ſcio quo muro erigendo in profunditate quindecim fere palmorum obeliſci molem ibidem latere ſtatim conjecerunt. Rumore mox in Urbe, ut in hujuſmo- di novitatum detectione fieri aſſolet, exorto, res ad Summi Pontificis Alexandri VII. aures delata rei examinandę deſiderium movit, unde ſtatim Illuſtriſſimus Do- minus Archiepiſcopus Corinthi, tunc temporis curæ domeſticæ in Palatio Apo- ſtolico ſupremus moderator, poſtea S. R. E. Cardinalis Ninus, R.P. Michaeli An- gelo Jacobutio dicti Cœnobii Priori, opera Patris Athanaſii Kircherii renuncia- ri juſſit, Summi Pontificis voluntatem eſſe, ut obeliſcum, denſa adhuc terre- ſtrium quiſquiliarum mole obrutum, erui curaret. Quod ſtatim executioni man- datum fuit; interim cum Tyburi Kircherius moraretur obeliſci jam eruti delinea- tionem ad illum miſerunt, in qua Ægyptiaci ingenii indolem deprehendit, verùm quartum deerat latus, eoquòd illud obeliſco proſtrato terrę inſiſtens ſine ejus re- volutione delineare neſcierint, unde tribus lateribus ſolummodò expreſſis dili- genter à Kircherio collatis juxta hyeroglificę artis regulas, etiam non viſo adhuc obeliſco, quartum adjecit, quod revoluto jam obeliſco detexerant, nec aliud, quàm quod ille abſens delineaverat, recognoverunt. Hujus peretiſſimi viri expe- rimenti extat atteſtatio in Epiſtola Joſephi Petruccii expoſita poſt cap. 1. Prelu- ſionum ab ipſo Kircherio, cui jubente Pontifice obeliſcum interpetrandi cura commiſſa fuit, & publici juris factum accepimus in Volumine Romę impreſſo anno 1666.

Eſt autem hic ex minorum obeliſcorum numero unus quorum Pub. Victore teſte quadraginta quatuor Romanorum Cęſarum, tùm curioſitas, tùm magnifi- centia in ęternum Urbis ornamentum aduexerat. Simetria obeliſci, teſte Kir- cherio, ita ſe habet. Altitudo eſt 24. palmorum, inferior baſis 3. palm. cum 1. ſext., ſuperior latitudo, ubi piramidion terminat duorum palmorum cum una quarta, piramidion verò 2. palm. cum 3. quart. palmor. altitudinem continet. Aba- cum, cui impoſitus fuerat palm. 3. cum 3. quart. palm. altum una cum obeliſco re- pererant. Obeliſcus ex lapide Ægyptio, qui vulgo *granito roſſo* dicitur conſtat, hic præterquam in Thebana Ægypti Provincia, teſte Plinio, in nulla alia mundi parte effoditur, propriuſque Ægypti partus eſt.

Illum Alexander VII. ut omnigenę eruditionis amantiſſimus, & ad ardua quęvis pręſtanda magna mentis amplitudine prędítus, in foro ante Templum Sanctę Marię ſupra Minervam collocari juſſit. Provincia Equitis Bernino deman- data, ille varias baſes excogitavit, ſuprà quas erectus altius elevaretur, & auguſtior appareret, ſed cęteris eam antepoſuit, quę Elephantem dorſo illum ſuſtinentem demonſtrat, adiecta marmorea alla baſi ſub ipſo Elephante cum binis inſcriptio- nibus, ſcilicet in parte, quę Templum reſpicit.

SAPIEN-

SAPIENTIS ÆGYPTI
INSCVLPTAS OBELISCO FIGVRAS
AB ELEPHANTO BELLVARVM FORTISSIMA
GESTARI QVISQVIS HIC VIDES
DOCVMENTVM INTELLIGE
ROBVSTÆ MENTIS ESSE
SOLIDAM SAPIENTIAM SVSTINERE

In ejuſdem baſis latere adverſo.

VETEREM OBELISCVM
PALLADIS EGYPTIÆ MONVMENTVM
E TELLVRE ERVTVM
ET IN MINERVÆ OLIM
NVNC DEIPARÆ GENETRICIS
FORO ERECTVM
DIVINÆ SAPIENTIÆ ALEXANDER VII.
DEDICAVIT ANNO SALVTIS
M DC LXVII.

Talem Obeliſcum præbet numiſma admodum rarum, ipſumque in adiecta tabula fideliter expreſſum damus ex libro P. Kircherii.

XXXXVII

TEMPLI, ET PORTICVS MAIESTATE A SORDIBVS REPVRGATA.

TEmplum, ac porticum memorat inſcriptio, quod numiſma repræſentat, ideſt antiquum Panteon, quod toto Orbe celebre eſt, hodieque Romę extat etsi ornamentis omnibus exutum. De illo loquens Plinius, *Panteon* (ait) *Jovi ſtatori ab Agrippa factum, cum theatrum ante texerit Romæ &c.* Dio tamen lib. 53. ab Agrippa reſtauratum, ſeu perfectum fuiſſe affirmat his verbis. *Panteon quoque perfecit Agrippa. Id ſic dicitur fortaſſe, quod in ſimulacris Matris, & Veneris multas Deorum Imagines acciperet, ut verò mihi videtur inde id nominis habet, quod forma convexa faſtigiatum Cæli ſimilitudinem oſtenderet.*

Illud pro certo habendum, omnibus Diis dicatum fuiſſe, & inter pulcherrima templa poni à Plinio, artificeſque adeò illud admirari, ut vocent abſolutiſſimum opus. Latitudo longitudo atque altitudo par eſt, pedum 158. referente Illuſtriſſimo Caſalio, palmis verò 194. ÷ juxta Equitem Carolum Fontanam.

De Urb. ſplend. cap. 6.

De Templo Vatic. lib 5. cap. 20.

Craſſitudo parietis circularis lateritii pedum 22. pal. 22. ait Fontana. Itaque linea, quę extimam templi ſuperficiem cum porticu ambit, eſt pedum 700. circiter ait Caſalius, & Fontana palmis eſſe 798. ſine porticu. Inter autem ornamenta, quæ ſub Auguſto huic templo addidit Agrippa porticus numeratur, cujus moles 28. columnis incumbit ex lapide Ægyptiaco, altitudine pedum quadraginta. Opertum erat templum tegulis æneis pręgrandibus, ſicuti pariter erant trabes ſuprà ejuſdem porticum argenteis teſſellis tectę, quas Conſtantinum tertium abſtuliſſe afferit Anaſtaſius in vita Vitaliani Pontificis his verbis. *Omnia, quæ erant in ære ad ornatum Civitatis depoſuit; ſed & Eccleſiam Beatæ Mariæ ad Martyres, quæ de tegulis æreis erat cooperta diſcooperuit, & in Regiam Urbem cum aliis diverſis quæ depoſuerat direxit.* De cęteris legatur Palladius, & Serlius, quæ ea prolixè exararunt, item Nardinus lib. 6. cap. 4.

Hic indicare ſit ſatis porticum hanc flammis deflagraſſe, imperante Trajano, ut nonnulli referunt. Anno ſecundo Pontificatus Evariſti (inquit Ciacconius,) qui fuit Trajani Imperatoris Decimus Tertius, Romę fulmine tactum celebre illud

Tom. I. col. 98.

illud templum Panteon dictum, sed ab Adriano restauratum scribit Angelonus. Fol. 140.

Hoc nobile templum petens Bonifacius IV. referente Ciacconio, & Baronio anno 607. num. 1. detestatus Idolorum cultum, Jovem inde Deosque omnes expulit, ut Virgini Mariæ, Sanctisque Omnibus Ædes ea meritò consecraretur, quæ nunc à forma circulari *Rotunda* à Romanis vocatur. Quam Ædem donatam Ecclesię Christi à Phoca Augusto, Beda gravis Auctor, ac ferè illius ætatis, memorię mandavit, & post eum Valafridus in libro de exordio, & incrementis rerum Ecclesiarum, & Anastasius pariter Bibliothecarius. Fuit dedicatum hoc Illustrissimum Templum à Bonifacio IV. anno 610. die 13. Maii, quo eodem die 28. curribus onustis fuere translata multa Sanctorum Martyrum Corpora ex diversis Cœmeteriis Urbis Romę, & ibidem juxtà aram maximam recondita. Sexcentis triginta duobus propè annis postquam illud conditum fuerat in Idolorum cultum ad Religionem Christianam traslatum, nuncupatumque fuit Sancta Maria ad Martyres. Hucusque Ciacconius.

Hic placet advertere cum Gretsero de festo Corporis Christi Cap. 8. Idololatrica Fana non semper fuisse eversa, sicuti quidam prophani Ethnicorum Ritus, sed à malo fine abstracta ad bonum translata esse. Hoc Diuus Gregorius jussit in Anglia fieri Epist. ad Mellitum Abbatem *Fana*(inquit) *Idolorum destrui in eadem gente minimè debent, sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur, aqua benedicta fiat, in eisdem Fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur, quia si fana eadem benè constructa sunt, necesse est, ut à cultu Dæmonum in obsequium veri Dei debeant commutari, ut dum gens ipsa fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, ut Deum verum cognoscens, ac adorans, ad loca, quæ consuevit familiarius concurrat* hactenus D. Gregorius. Lib.9.Epist. 71.

Hoc deinde, templum, Sanctæ Marię ad Martyres dictum Benedictus II. Pontifex circa 685. restauravit, exornavitque. Hadrianus itidem Primus (ut patet ex antiqno Codice Nonantulæ servato, quem Ciacconius allegat tom. 1. col. 559.) in eadem Basilica fecit vela de palliis sericis numero viginti, & linea viginti, renovavitque Cyborium de argento, quod ex vetustate consumptum erat, & addidit in eo argenti libras sexaginta, sed & arcum in eadem venerabili Ecclesia fecit de argento pensantem libras duodecim. Baron.ann. 685.n.9. E Ciac. col. 480.

Anno deindè circa 1447. Nicolaus V. plumbeum operimentum, quod septingenti post restitutionem anni consumpserant iterùm restituit; Urbanus VIII. aliquot columnis adjunxit Capitula, atque trabes imposuit ad sustinendum tectum tegulis imbricatum, loco æncarum, quas substulit ad columnas efformandas prò ornatu Confessionis Divi Petri, ut enarravimus in nostra historia Templi Vaticani.

Alexander demum Septimus hinc egesta humo Fori, quod suprà Fani solum valdè attollebatur, humiliorem æquari planitiem jussit, tum nonnullas angulares columnas Capitulis, Epistiliis, Zophoris, Coronicibus exornatas, quę in dextera porticus parte deerant, excitari curavit. Duæ illarum fuerunt effosę juxtà templum Divo Ludovico Galliarum Regi dicatum, quas antiquarii nonnulli in Thermis olim fuisse Alexandri sibi suaserunt, magnitudine omninò illis pares, quę porticum Pantheonis exornabant, at marmore tamen diverso efformatę. Fuerunt enim erutę ex fodinis Insulę Elbę; illę autem ex Ægypto advectę. Jussu itidem Alexandri, perinde ac fuit antiquitus, obducere fornicem inchoarunt marmoratis; Æneam inde laternam vitreis instructam cancellis, qui illabentes è summo vertice arceret imbres, ædis supremo culmini superstruere intendebat, cum ejusdem interitus tantum ademit Romę beneficium, & subiectis testudini plasticis operibus amotis, in pristinum restituta sunt omnia; intercolumnia clatris ferreis Clemens Nonus intersepivit.

Antiquam hujus templi effigiem in lamina expressit Antonius Lafrerus Romę anno 1549. in qua videntur quinque gradus, per quos ad templum ascendebatur. Ante Porticum extabat labrum ex porphirite, & duo ex Ophite Leones Ægyptiis notis illustres, ex proximis Agrippinæ, & Neronis thermis in celebriorem locum Pontifices, ne situ, & squallore jacerent, ante Pantheon collocari jusserunt. Sixtus postea V. ad fontem Aquę Felicis trastulit. Præsentem ejusdem statum Romę vulgavit

gavit Mattheus Gregorius de Rubeis in lamina incisum à Petro Paulo Girelli; postea Eques Carolus Fontana in libro 7. de Basilica Vaticana luculentius ejus partes, tum interiores tum exteriores ostendit.

XXXXVIII

TV DOMINVS, ET MAGISER.

NIhil peculiare suggerit numisma pluribus aliis ejusdem generis simile à nobis jam expositis. In eo nulla temporis nota exculpta inspicitur, fortasse ex eo quòd ferè singulis annis cudi soleat à Pontificibus Romanis, nec semper variari expressio lotionis pedum, à Salvatore Discipulis factæ.



CLEMENTIS

pag. 705

I



II



III



IV



V



VI



VII



VIII



IX



X



XI



XII



XIII



XIV



XV



XVI



XVII



XVIII



XIX



XX



CLEMENTIS IX. NUMISMATA.




I

CLEMENS IX. PONTIFEX MAXIMVS.



NOVENDIALIBVS Alexandro VII. de more persolutis, & Cardinalibus die 2. Junii 1667. Vaticana Comitia ingressis, die 20. Junii unanimi suffragiorum consensu creatus est Pontifex Maximus Julius Rospiliosus, qui Clementis nomen ad ingenii sui indolem profitendam elegit. Die Dominica 26. Junii coronatus de more est in Basilica Vaticana, Dominica verò sequenti tertia Julii adivit possessionem Basilicæ Lateranensis inter assiduas Populi acclamationes. Ejus virtutes, & acta enarravit P. Oldoinus tomo 4. ex quo placet verba excerpere, quibus Pontifex ipse renunciatus gratias egit Cardinalibus, cum ex Sanctissimi Pontificis Leonis documento non verecundæ, sed ingratæ mentis indicium sit beneficia tacere divina. Primum (ait) „ agimus, ac semper acturi sumus humillimas gratias Omnipotenti Deo, qui nostram humilitatem respexit supra meritum, deinde, ut Leonis Magni verbis, utamur, Vestræ quoque humanitatis arbitrium debita gratiarum actione concelebramus, qui nullis præcedentibus meritis tale de nobis judicium protulistis. Hinc inbecillitatis nostræ gemina exoritur in tanti oneris discrimina subsidii spes, altera ex præpotentis Dei patrocinio, ex consilio vestro altera. Certum enim est, nos non modo agere non posse aliquid, sed ne cogitare quidem à nobis, tamquam à nobis metipsis, sed omnem sufficientiam nostram esse à Deo, ideoque gaudemus freti hac spe fore, ut Clementissimus Dominus, qui ad ostendendas divitias Omnipotentiæ suæ vocat ea, quæ non sunt tamquàm ea, quæ sunt, Nobis abundè impertiatur eam Divini Spiritus auram, quæ felicitèr in tot Sæculi fluctibus Ecclesiæ navem regamus. At nunquam navis regitur à solo Navclero. Prævidere is potest pericula, cursum ordinare, instruere vela, sed eget consilio, atque ope multorum. Igitur vestra consilia nobis esse per quàm neccessaria intelligimus, nam ex oraculo Spiritus Sancti, ubi multa consilia ibi salus, ideoque, uti par est, vos in consortium laboris advocamus. Communis erit omnium nostrum in Cælo merces, si in Ecclesiæ rebus adiuvandis communis fuerit labor, & vestra interest, ne Christiana Respublica judicio vestro in nos eligendo inter tot sapientia, virtute, atque experientia præstantissimos Patres fraudatam se conqueratur. Nos certè non faciemus animam nostram pretiosiorem quas nos, nec refugiemus laborem aliquem, qui ad nostri ministerii partes adimplendas conferri possit. Hoc animo Divina favente clementia, vestrisque coadiuvantibus virtutibus, quas nobis nunquàm defuturas speramus, libenter humeros, quamvis longe impares, tanto oneri subiicimus.



❦ II ❦

IPSE DOMINVS POSSESSIO EIVS
1667.

SUnt verba ſigni Clementis IX. ex libro Deuteronomii accepta, numiſmati etiam inſculpta, quod die poſſeſſionis vulgatum fuit. In eo videtur Agnus Crucem tenens, quo Chriſtus Dominus Mundi Salvator ſignificatnr, juxta morem antiquorum Chriſtianorum, in antiquiſſimis muſivis expreſſum, à Conciliis probatum. Videatur Gregorius Nazianzenus orat. 42. in Paſch. ubi Chriſti, & Agni paralellum eloquentiſſimè deſcribit. Protenſo digito indice Joannes Baptiſta, & Præcurſor ab Agni nomine Chriſtum indicavit. Petrus quaſi Agnum immaculatum Chriſtum vocat epiſt.1. c.1. Andræas Egeæ Proconſuli reſpondit, ſe quotidie Deo immolare immaculatum Agnum in altari, quem poſtquam omnis credentium Populus manducavit, Agnus, qui ſacrificatus eſt integer perſeverat, & vivus. Ut habent acta paſſionis Sancti Andreæ à Presbyteri Achajæ perſcripta. Pierius Valerianus docet in Hieroglypticis Chriſtum ſignificatum per Agnum purpureum, quia ſanguine ſuo profuſo purpuratus nos redemit, ut effatur Sanctus Auguſtinus ſerm. de Cain, & Abel. Sic in labro fontis Lateranenſis Agnus ex auro puriſſimo penſans libras 30. fundebat aquam ſub Conſtantino Auguſto ex Baronio; alias authoritates percurre apud Joſephum Mariam Suareſium Epiſcopum Vaſionenſem in Corollario ſecundo de Agnis Dei cap. 9.

Ob hanc igitur rationem ſub expreſſione Agni ſignificata fuit Baſilica Lateranenſis Chriſto Salvatori dicata, ſeù Eccleſia univerſalis, cujus Caput eſt Chriſtus, ejuſque poſſeſſionem Domino, non ſibi tribui paſſus eſt ſapientiſſimus, ac piiſſimus Pontifex, à quo ſæpiſſimè verba illa uſurpabantur, *Dominus meus, & Deus meus, pars mea Deus in æternum*.

Eo die poſſeſſionis S. P. Q. R. epigraphes aliquas expoſuit, ut modeſtiſſimo regnanti Pontifici gratularetur. In media Capitolini Palatii facie expreſſa coloribus Clementis effigies hac ornabatur inſcriptione.

CLEMENS IX. P. O. M.
RELIGIONE, MVNIFICENTIA, INTEGRITATE CONSILIO,
ET QVAM NOMINE INDVIT, CLEMENTIA.
AVSPICATISSIMVM PRINCIPATVM, PAREMQVE PVBLICIS
VOTIS ÆTATEM VENERABVNDVS ADPRECATVR,
ANNONÆ AMPLIFICATÆ BENEFICIO GRATISSIMVS.
S. P. Q. R.

Deſcendentibus verò ab area Capitolii in una Septimii Severi arcus facie talis occurrebat inſcriptio.

TRIVMPHALE SEPTIMII SEVERI CÆSARIS NOMEN NE QVÆRAS HIC LECTOR, AD ORIENTEM CLEMENTIS IX. P. O. M. MAIESTATEM OBSCVRATVR, QVID PRODEAT SEVERVS, VBI CLEMENS ELVCET. LEGATIONEM ILLE GALLICAM SVA FEROCIA FVNESTAVIT. HISPANICAM ISTE MVNIFICENTIA BEAVIT SVA SIBI PVRPVRAM ILLE CRVORE TINXIT, HIC SVDORE; MANV ILLE, HIC MENTE FIRMAVIT IMPERIVM. BELLORVM ILLE FLAMMAS ACCENDIT, HIC CONATVR EXTINGVERE; TRIBVTA ILLE AVXIT, HIC LEVAVIT; VTERQVE REI FRVMENTARIÆ AMPLIFICANDÆ STVDIOSVS, SED ILLE AMBITIONIS INGENIO, HIC GENIO CHARITATIS. SVPRA CÆSAREM IN CVNCTIS PONTIFEX

SPE-

SPECTACVLA ILLE POP. ROM. DEDIT, VNVM SE GENTIBVS OMNIBVS ADORANDVM SPECTACVLVM FECIT.

In alia ad forum vergente hæc erat.

VESTRÆ FELICITATIS AVSPICIVM HABETIS POPVLI CLEMENTIS IN NOMINE, QVID CALAMITATIS TIMEANT, QVOS AMANTISSIMVS PRINCEPS IN PONTIFICIO CORDE TVETVR, ET FOVET, AD VESTRAM ILLE QVIETEM EVIGILAT, AD VESTRA COMMODA FATIGATVR, SVAMQVE MENTEM DIVINÆ PROVIDENTIÆ VICARIAM AD DELICIAS VESTRAS EXHAVRIT VVLTV, SERMONE, MORIBVS, ANIMO CLEMENTISSIMVS IN PVBLICAS TANTVM CALAMITATES AVSTERVS. EXVLTATE GENTES, PLAVDITE POPVLI, FESTINAQVE ACCLAMATIONE, VBIQVE ILLVD INSONET CLEM. IX. PRINCIPVM, PROCERVM, POPVLORVM PATER VIVAT. VIVE, ET DE NOSTRIS NVMEN TIBI CONFERAT ANNOS.

In fronte Arcus à Parmensi Duce excitati talia legebantur.

CLEMENTIAM PRÆCESSIT CHARITAS,
ISTAM EXPERTI POPVLVS RELIGIO PAVPERES
ILLAM VENERATVRI ORBIS, ET VRBS
EX VTRISQVE ADMIRANDA ORTHODOXA IVSTITIA
SVB FÆLICISSIMO PRINCIPATV.
CLEM. IX. PONT. MAX.

Titi quoque arcus duobus Clementis Elogiis inscribebatur uno Romam, & altero Lateranum spectante, primum hoc erat.

TITVM QVID ADHVC MEMORAS ROMA, BENIGNITATE, MVNIFICENTIA, FAMA, PRINCIPATV, SANCTIMONIA, PRÆSTANTIOREM HABES IN CLEMENTE, NON CÆDIBVS, ET FERRO, SED MVNERIBVS, ET AVRO POPVLORVM SIBI ANIMOS SVBIGENTE, VT IN GENTIVM AMORE TRIVMPHET, NON ALIA HIC AMAT ERIPERE SPOLIA, QVAM CALAMITATES, VTINAM QVI CLEMENTIA TITVM VINCIT, VINCAT ÆTATE.

Secundùm verò istud.

HABVIT IN TITO ROMA, QVEM AMARET, ORBIS QVEM TIMERET, IN CLEMENTE AMANDA SVNT OMNIA, TIMENDVM NIHIL. VOTA, CVRAS, MANVS AD BENEFICIA TANTVM EXPLICAT, POPVLOS OMNES CAPACISSIMO CORDE COMPLECTITVR, PRINCIPATVS PONDVS HILARIS SVBIT, VT POTENTIAM CHARITATIS EXERCENS AMET, ET AMETVR SVIS OBSEQVIIS. CLEMENTEM MVNDVS CORONAT, CLEMENTIS BENEFICIIS MVNDVS CORONATVR.

Lateranensem Basilicam ingressui Pontificis oculis hæc januæ majori super imposita exibebantur.

INGREDERE PONTIFEX MAXIME
HÆC REGIA EST A DEO TVA TIBI DESTINATA.
HIC ACCIPE CÆLI CLAVES,
TVVM ERIT RESERARE CÆLVM,
QVIA TVVM EST RECREARE TERRAM.

Ultima inscriptio in Lateranensis Tribunæ sinu visebatur.

HOC SPATIVM, QVOD VIDES, AB OCTAVO CLEMENTE ORNATVM. HVNC VERE HABET LVCEM SVAM PRÆSENTE TE CLEMENS. NON AVRO ECCLESIA ADORNATVR; ADORNATVR CHARITATE, HIC QVOQVE VISA EST SALVATORIS IMAGO, QVÆ PER TE RVRSVM APPARET POPVLO ROMANO.





III

CONSTANTIA SILVERII AD IMITANDVM PROPOSITA.

Absolutis omnibus, quæ auspicando Pontificatus Sacrorum Ritus, & Aulæ Romanæ consuetudo præscribit, totum se Clemens curandæ Reipublicę applicuit, identidem seipsum admonens, quid Deo, quid Dei Ecclesiæ deberet, in quam graves temporum difficultates incidisset, & quanto in periculo Christiana res esset. Cumque probe nosset solere Principes, ubi imperia auspicantur, multa ac præclara de se polliceri, quæ frigescente paulatim spiritu, & aliis more humano succedentibus curis, exequi postea negligunt, ne quid simile sibi accideret, excitatam in Republica expectationem magnis Fidei vinculis adstrinxit. Inter quæ illud fuit, quod pluribus viris meritò, ac dignitate pręstantibus significavit, quæ aggredi, à quibus se abstinere decreverat pro vindicanda Sedis Apostolicæ reverentia, & veteri instauranda disciplina, qua eos si Fidem fefelisset, haberet dedecoris sui testes. Numismati quoque, quod primum eo Pontifice cusum fuit post initam possessionem Lateranensem, verba emblemati consona inscripsit. CONSTANTIA SILVERII AD IMITANDVM PROPOSITA. Renunciatus Pontifex fuerat die S.Silverio Pontifici sacra, cujus viri sanctitas fortitudine, & constantia magnis calamitatibus pro authoritate Romanæ Ecclesiæ ferendis inprimis claruit. Ille enim calumnias, & exilium à Belisario Theodoræ Imperatricis jussu sibi inflictas, quia Eutychium hæresi infectum, & ideò à Sede Constantinopolitana, cujus Patriarcha erat, ejectum, in pristinam dignitatem restituere renuisset, æquo animo perpessus est.

Consonat lemmati numisma, in quo supra cubum claves Pontificiæ collocantur; cubus enim quàquà versus agitetur, omni in parte æque firmatur. Eamdem constantiam à Clemente sibi propositam adamantis imagine adumbravit Collegium Romanum inter obsequia sacræ, & prophanæ Romæ, eidem Clementi repræsentata cum Epigraphe. NEC MOLLIOR, NEC FRANGOR. Ea enim vera animi constantia est, quæ duris itèm, ac lenibus non movetur. Elogium autem erat hujusmodi.

MALVIT S. SILVERIVS EXVLARE, QVAM ERRARE
NE PLACERET HÆRESI
DISPLICVIT CÆSARI.
CONSTANTIA PONTIFICVM
ET SVPRA PRINCIPVM POTENTIAM
INVICTE CLEMENS
HANC MERITO PRO SYMBOLO SVMIS
CONSTANTIA SILVERII
EST PREROGATIVA CLEMENTIS.
HÆC EST POTENTIA PONTIFICIS.

PROTE-

IV

PROTECTOR NOSTER

UT constantiam sibi propositam validius firmaret Clemens, sibi in adversis Divum Petrum Protectorem adesse reminiscens, nihil adversum pertimescebat. Hanc sui animi magnitudinem declaravit in numismate ejusdem Divi Petri imagine insignito, quod primo sui Pontificatus anno Cardinalibus distribuit die, eidem Principi Apostolorum sacra, juxta antiquum morem, quo Pontifices solebant certis anni diebus Clero, & Populo pecuniam distribuere, quod munus *Presbyterium* vocabatur, seu *Roga*, cujus sicut nomen, ita & usus ab ineruditorum cognitione est valde remotus.

Erogabatur hoc Presbyterium (inquit Rasponus) precipuis solemnibus diebus in signum quoddam letitię, & gratulationis; Lateranense verò Patriarchium locus erat, in quo ejusmodi munus distribuimos erat, cujus mentio non semel apud Anastasium Bibliothecarium facta reperitur, namque in vita Theodori hæc habet. *De Basil. Later. lib. 4 Cap. 3.*

Pyirrhus qui fuerat Patriarcha Constantinopolitanus Romam ex Africa ad limina Apostolorum venit. Tunc Papa Theodorus fecit eum munera erogare populo.

In vita Joannis V. *hic moriens dimisit omni Clero, Monasteriis, Diaconis, & Mansionariis benedictionem in auro, sicut Prædecessor suus Benedictus Papa.*

In Zacharia disserta Presbyteri mentio. *Hic valdè Clerum suum dilexit, ac Presbyteria eis annua in duplo, & amplius tribuit omnibus.* In Leone III. & tandem in Paschali II. monumentum extat hujusmodi. *Hic rogam omni Clero suo Præsbyteria multipliciter ampliavit.*

Dies autem, quibus erogatio hujusmodi fiebat, item personę ejus emolumenti participes, ordoque, & modus, ad cujus rationem dividi Presbyterium mos erat, quia diligenter in veteri libro Rituali Cencii Cardinalis Camerarii recensentur, ipsius verba hic apponere decrevi; sunt autem hujusmodi.

„ Etiam prò initio Pontificatus novus Pontifex ad Lateranum solemni pompa „ progrediens, Presbyterium erogare solitus erat, quę cosuetudo deinceps, „ usque ad hæc nostra tempora, quamuis mutato largitionis hujus nomine, per- „ severavit, servaturque adhuc Pontifice celebri cum equitatu, veluti in triumpho „ ad Episcopatus sui Lateranensis possessionem adeundam procedente; tunc enim „ suis manibus singulis Cardinalibus numismata, alterū aureum, alterū argenteum „ distribuit, multaque similia numismata pariter Archiepiscopis, Episcopis, Ora- „ toribus Regum, Senatui Romano Magistratibus, primariis Præsulibus, qui ei „ pompę intersunt, nec non Canonicis Lateranensis Ecclesiæ distribuit. Hoc „ autem donum elargiri solet Pontifex in aula, quę prima occurrit in novo Pala- „ tio à Sixto V. extructo, antequam Populo benedictionem impertiat, ut coniici „ non immeritò possit Presbyterium olim etiam in prima veteris Patriarchii aula „ distribui à Summis Pontificibus consuevisse.

Thomas Stubbs in Act. Eboracensium Episcoporum apud du Gange in Glossario ait „ In solemnibus equitando factis, quando more Apostolico coronatus „ fuit sicut in die natalis Domini Archiepiscopus, & Cardinalis Bisanteos au- „ reos, quod Presbyterium vocant, à Domino Papa suscepit. Occurrit ceremoniale Romanum ex M. S. Vaticanis apud Raynaldum ad an. 1272. de consecrat. Papę sic. „ Venit ad aliquem locum præparatum decenter, & ibi dat cuilibet „ Cardinali, & Prelato Presbyterium, & ipse Papa sedet in sede, & quilibet „ Cardinalis, & Prælatus vadit coram eo, & flexis genibus extrahit sibimet Car- „ dinalis, sivè Prelatus mitram, & tenet apertam ante Papam, & ipse ponit illam „ pecuniam, quam dat ei in uno cypho argenteo Camerarius, & quam dicit „ liber Cameræ, qui vocatur Polycitus, & ille, qui recipit pecuniam in mitra „ osculatur genu Dom. P. P. Refert Macrus in suo Hierolexico, quod Pontifex *olim immittebat* (idest in mitra) *duo scuta aurea cum duobus grossis argenteis prò Cardinalibus* *Verb. Presbyterium.*

dinalibus, *Prælatis verò dabat unum scutum aureum, & unum grossum argenteum*. Advertendum tamen est, hanc pecuniæ quantitatem prò libito Pontificum modò auctam, modò diminutam fuisse.

Cur autem dicatur Presbyterium tale donum, affirmat du Gange in suo Glossario, ex eo quòd ratione Summi Presbyterii, seù Papalis dignitatis effundatur. Rogam verò dici, quòd proceribus, & populo, etiam ab Augustis, vel Clero à Summis Pontificibus erogari soleat, tali nomine *Roga* usus est pluries Anastasius, ità in vita Deusdedit Pont. *hic divisit per obsequia sua, & ad omnem Clerum rogam unam integram* eadem verba habet in Bonifacio V. in S. Eugenio, in Agathone, rursum in Paschali, in Leone III. *& non modicam manibus propriis præ amoris magnitudine universo Populo rogam distribuit*, & passim in aliis.



V

ALIIS NON SIBI CLEMENS.

De Pellicano volucre in numismate exculpto satis diximus in Pio II. ubi primùm ejus imaginem vidimus. Amoris Symbolum illum esse monent omnes; propterea ut Christus Dominus amoris sui prodigium quondam Divæ Gertrudi sub aliquo schemate declararet, Pellicani assumpsit figuram, illi se spectabilem obtulit, ac rostro sanguinem è pectore elicere visus est, à quo dum attonita quæreret, cur amor illius in hanc se transmutasset formam, illico respondit, ut habetur in libro 3. revelationum cap. 18. refertque P. Joannes Zimmerman Soc. Jesu in aula Dei pag. 86. Assumpsi formam Pellicani, ut contempleris vim illam amoris, illum impetum infinitæ charitatis meæ, qua impulsus sum ad largiendum hoc munus corporis, & sanguinis mei omnium munerum præstantissimum.

Eo pariter Symbolo seipsum excitabat Clemens Pontifex ad clementiam erga oues sibi creditas, quamobrem ab ea virtute, & charitate exorsus Pontificatum, levavit annonam, ac magni momenti vectigal substulit, quod olim rei frumentariæ impositum fuerat; sæpè infirmos in nosocomiis solabatur, & pœnitentibus aures in Basilica Vaticana benigne præbens incommoda sibi noxia non metuebat. Quanta insuper nomini, quod assumpsit, clementia, charitate, beneficientia accessu omnibus facili, & perhumano consentit. Unde illa unius ex Purpuratis publico excepta plausu vox fuit. *Suffectum putabamus in Sancti Petri solium successorem egregium, hominem tamen; Angelum habemus*; qui nimirum statim ac Sacrum Orbis Christiani regimen suscepit, Pontificias curas, Spiritus, Propinquorum labores, & Sanguinem Reipublicæ dedicavit. Ità Orator Collegii Romani pag. 17.



VI

B. B. PETRO DE ALCANTARA, ET MARIA MAGDALENA DE PAZZIS INTER SANCTOS RELATIS.



VII

ADDITVM ECCLESIAE MVNIMEN, ET DECVS.

IN SPLEN-

VIII

IN SPLENDORIBVS SANCTORVM.

TRia numiſmata eodem tempore vulgata, ſcilicet anno 1669. Pontificatus Clementis Tertiò, quo additum fuit *Eccleſiæ munimen, & Decus in ſplendoribus Sanctorum*, ideſt B. B. Petri de Alcantara, Ordinis Minorum, & Mariç Magdalenç de Pazzis Florentinç Ordinis Carmelitarum, quos pietate, abſtinentia, & miraculis claros Sanctorum albo adſcripſit die Dominica in albis 28. Aprilis ejuſdem Anni. Extat impreſſa relatio typis Angeli Bernabò, quç ſacram actionis pompam evulgavit; aliqua hic indicabimus ex Diariis Illuſtriſſimi Chartarii excepta. E Palatio Pontificio cum ſolemni totius Cleri Romani ſupplicatione delatus eſt Pontifex in Vaticanam Baſilicam, cujus parietes ſerica periſtromata, auro diſtincta, exornabant; ſuprà Coronicem ſexcentç cereç faces ardebant, centum, ac triginta duo primam timpani coronam, cui tholus incumbit, aliaque centum, & quadraginta Secundam ſub ipſo tholo irradiabant. In loculamentis, quæ interſunt paraſtatis, centum, & ſeptuaginta quinque, ante quatuor prçcipuas tholi pilas triginta ſex, quindecim in feneſtris, quæ in ultimo Baſilic ç pariete ſuprà januam patent; nonaginta ſex in Minoribus Sacellis, inſuper biſcentum diverſis in locis pulcherrimo ordine diſtributç, quæ in unam ſummam collectç, millenæ trecenç nonaginta quatuor numerabantur. In ſupplicatione duo magna Vexilla eminebant, in quorum altero, à Patribus Carmelitis delato, Sanctæ Mariç Magdalenç effigies depicta erat, alterum verò à Religioſis Franciſcanç Familiæ ſuſtentatum, Sanctum Petrum de Alcantara demoſtrabat; ut autem Summus Pontifex ad Pontificium ſolium conſcendit; Eminentiſſimus Cardinalis Jacobus Roſpiglioſius Pontificis Nepos, & pro Canonizatione Procurator electus, cum Illuſtriſſimo Caprara, Advocato Conſiſtoriali, à Magiſtro Cæremoniarum ſociatus, nomine Imperatoris, & Regis Hiſpaniarum preces obtulit Pontifici, ut in Sanctorum numerum Beatos Petrum, & Magdalenam adſcribere dignaretur; quamobrem invocato Divini Spiritus auxilio, poſt abſolutum hymnum. *Veni Creator Spiritus*, Pontifex ſuum decretum pronunciavit, juſſit confici diploma, quo cultus erga eoſdem Sanctos vniverſo Chriſtiano Orbi indiceretur. Gratias deinde Deo reddiderunt hymno *Te Deum* muſicis concentibus pronunciato, cæteraque celebrata ſunt, quæ à ſacris Ritibus in Sanctorum Canonizatione præſcribuntur.

Ingens fuit ea die Populi Romani frequentia ad Vaticanam Baſilicam, cujus pietatem inſignium Sanctorum Virtutes alliciebant, & ipſius Baſilicæ decor ſummoperè delectabat. Mirabatur enim pulcherrimo ordine diſtributa ornamenta, quibus certatim, tum Carmelitana, tum Franciſcana familia Baſilicam exornarunt. Emicabant ſupra maximam januam templi Summi Pontificis, Imperatoris, Regis Hiſpaniarum inſignia, ac Divorum imagines: ſu pra minores januas mulieres duæ, quarum altera Hiſpaniam, altera Etruriam referebat, hæc Magni Ducis, illa Regis Catholici inſignia ſuſtentabat, aliis duabus januis inſignia Religionum Carmelitanæ, & Franciſcanæ imminebant. In porticu Templi prætioſa peripetaſmata auro intexta cernebantur, inter quæ effigies Sanctorum, eademque ſupradicta ſtemmata gentilitia. Hæc eadem ſupra Templi paraſtatas pulcherrimo ordine diſtributa, additis Sanctorum actionibus, quas ſuo pennicillo Fabritius Chiari optimè expreſſerat. In amplo theatro, ubi Summus Pontifex aſſidebat hinc inde duo magna ſimulachra cernebantur aureis bracteolis nitentia, quibus Temperantia, & Prudentia ſignificabantur, aliaque inſuper duo in limine theatri collocata, Hiſpaniam, in qua Beatus Petrus, & Etruriam, in qua Beata Maria Magdalena de Pazzis in hanc lucem prodiderunt, ſignificabant.

DEDIT

IX

DEDIT INDICA ROSA ODOREM SVAVITATIS ANNO MDCLXVIII.

INscriptionem numismatis corolla circumdat è Rosis contexta, quibus alluditur Beatæ Rosæ Virgini, Virtutibus præclaræ, quæ Limæ Regni Peruani Urbis, nata, Dominicanæ Familiæ nomen dedit, ac suæ Vitę sanctimonia splendorem auxit. Huic Clemens Beatorum honores decrevit, diplomate dato die duodecima Februarii anni 1665. Decimaquinta verò ejusdem anni publico cultu eidem fuerunt delati in Basilica Divi Petri, Procuratore ad id designato Reu. P. Antonio Gonzalez, cujus studio, ac solertia Vaticanam Basilicam exornarunt; collocata supra januam ejus Virginis imagine in ampla tabula expressa, his carminibus adjectis.

Quæ tulerat dudum spinas America prophana,
Cælestem gaudet ferre Sacrata Rosam
Inserit hanc fastis Clemens, andè illa coruscans
Virtutum nostras replet odore plagas.

Post inscriptionem insignia Potificia, Regis Catholici, & Civitatis Limanæ cernebantur. In porticu duodecim ampla numismata, quæ Beatę Rosæ actiones proferebant ingeniosis emblematibus illustratas. Templi parietes sericis pannis undequaque circumtecti, quę aureę lineæ discriminabant; Sub tribuna theatrum, in quo Illustrissimus Phebæus, Congregationis Sacrorum Rituum Consultor, Pluviale, ac Mitra indutus coram Eminentissimis Cardinalibus ejusdem Congregationis, ac Clero obtulit diploma Pontificium Eminentissimo Cardinali Ginnetto Congregationis Præfecto, ab eo petens, ut executioni mandaretur, & facultate concessa ab Eminetissimo Carolo Cardinali Barberino Cleri Vaticani Archipresbytero, ejusdem Basilicę Mansionarius alta voce illud legit, quo absoluto Illustrissimus Phebæus Hymnum *Te Deum* pronunciavit, quem deinde musicis concentibus in sex choris distributis Cantores absolverunt, cultu interim Beatorum præstito imagini Præclarę Virginis Rosæ, & signis lętitię datis congeminato bellicorum tormentorum strepitu, & festivo Campanarum sonitu.

Hanc solemnitatem à Clemente Pontifice institutam Romanum Collegium Soc. Jesu concelebravit inter obsequia sacrę, & prophanę Romę in eodē Collegio repręsentata, & typis edita anno 1669. ubi ad elogiorum latera, quas virtutes calamus ornaverat, easdem pennicillus per insignia coloribus exprimebat. Inter ea Rosa dehiscens fuit pro insigni, à P. Carolo Bovio Societatis ejusdem excogitato, cum lemmate CLEMENTI PANDOR AB AVRA; rosam enim utramque, & illam hortorum tepentis veris, & hanc Cęli Pontificis Aura Clemens expandit.

X

CLEMENS FOEDERIS OPVS.

CLementiam, & Pacem in hoc numismate recognovit P. Molinetus mutuo amplexu fędus ineuntes, ut discordię bellum indicant, quam calcànt pedibus, teloque nituntur confodere, ut ipsa extincta, ac deleta, Pax, & Clementia feliciter regnent; dicerem potius Othomannicam invidiam reprępsentari, quę livido dente manum mordet ob rabiem, videns pacem conciliari à clementia, contra Turcas telo armata; Clemens enim Pontifex, cum videret ità jam Cretensi bello attritas Venetorum opes, ut hi pacis cum barbaris per ęqua per iniqua transigendę consilia inire cogerentur, nisi pręvalido aliquo præsidio maturè succurreretur, confugit ad cosuetum Decessoribus suis remedium excitandi ad

sacrum

ad ſacrum bellum Principes Chriſtianos ; ſed cum Gallum , Hiſpanumque Reges , quorum pręcipuè opi omnis Cretę Inſulę tuendę ſpes nitebatur , nuper exortum in Belgio bellum diſtraheret, ad eos conciliandos Clemens curam impoſuit Jacobo Cammilli Fratris ſui filio, qui tertium jam annum Internuntii Apoſtolici munere Bruxellis fungebatur , ut in ſuo ad Urbem reditu privato cultu in Galliam flectens , Ludovicum Regem Pontificio nomine adiret , & per ſuę peravitę pietatis decora precaretur, ne Chriſtianæ Reipublicę tam neceſſario tempore deeſſet & armorum curſum cohiberet. In eandem ſententiam literas manu ſua diligentiſſimè ſcripſerat, nullum apud eos, quod rei aliquo modo juvandę idoneum putabat paternę cohortationis officium omiſit , Nuntios deindè extra ordinem pacis componendę cauſa legavit Petrum Bargellinum Thebarum Archiepiſcopum ad Ludovicum, Federicum Borromæum, Patriarcham Alexandrinum ad Reginam Catholicam , Galeatium Mareſcottum Archiepiſcopum Corinthii ad Cæſarem cum paulò ante Auguſtino Franciotto Archiepiſcopo Trapezuntii Nuntio Apoſtolico mandaſſet , ut ex Colonia Agrippina Aquiſgranum peteret , atque comitiis de pace futuris nomine intereſſet Pontificio ; nam Galli , de ejus æquitate & judicio confiſi & Hiſpani convenerant, ut totius controverſię dirimendę Clemens arbiter eſſet : in medio ergo victoriarum curſu Gallus arma poſuit , & Pacis conditiones in comitiis Aquiſgrani ſcripto comprobavit .

Hac tam gravi cura Pontifex liberatus omnem operam dedit ſollicitandis Europæ Principibus , ad opem Cretæ ferendam , omiſſa tamen eſt ſacri fœderis mentio , quòd veluti magnæ molis opus , multiſque impeditum difficultatibus longiori tempore indigeret, utilius viſum eſt, unumquemque pro ſuis viribus ſuppetias ferre, inde Clementis vocibus quaſi claſſico excitati animi omnium ad hoſtem Chriſtiani nominis expugnandum occurrerunt .

Opus hoc taciti fęderis ſuggerit numiſma , cæterum nomen *Fœderis* dictum ſcribit S. Auguſtinus quòd res non fęda ſit ; alii *à fœditate porci* derivant ; fuerat enim mos apud Antiquos in fœdere ineundo porcum ſaxo percutere . Narrat Livius libro 1. cum bellum eſſet inter Romanos , Albanoſque ità fœdus ictum fuiſſe, ut de tota re per tergeminos Fratres Horatios, & Curiatios duello decerneretur , *interim ſic precatur , aut imprecatur potius M. Valerius fecialis . Audi Juppiter, audi Pater Patrate Populi Albani illis legibus P.R. prior non deficiet , ſi prior defexit publico conſilio dolo malo , tum ille Dieſpiter P. R. ſic ferito , ut ego hunc porcum hodie feriam ; tantoque magis ferito , quanto magis potes, polleſque . Id ubi dixit porcum ſaxo ſilice percuſſit* . Ità Virgilius 8. Æneid. *Apud P. Lelium Biſciolam lib. 1. c. 10.*

Jovis ante aras pateraſque tenentes
Stabant , & cæſa jungebant fœdera porca .

XI.

PACE POPVLIS SVIS A DOMINO CONCESSA.

INdicatum eſt in ſuperiori numiſmate quanto ſtudio ſuas vires Clemens impendit pro pace concilianda inter Gallum, Hiſpanumque Reges, cum paratum ſe teſtaretur Pontificiam valetudinem , vitamque devovere , ut inter Chriſtianos Principes fœdus conciliaretur, nec preces omiſit, quibus Divinam opem ad id impetraret. Itaque dum Templum Divi Petri die ſexta Junii inviſeret anno 1668. circa horam vigeſimam ſecundam , Urbem Nuncius ingreditur , qui Pacem compoſitam Pontifici retulit , eamque in Urbe Aquiſgrani ſubſcriptam ab Arbitris Regum , ſcilicet à D. Colberto nomine Regis Chriſtianiſſimi , D. Barone de Bergeisk Catholici, coram Illuſtriſſimo Franciotto à Pontifice miſſo , aliiſque Principum Legatis die ſecunda Maii ejuſdem anni. Numiſma ad manus meas devenit in hujus rei monimentum compactum . Habet illud Clementis IX. effigiem optimo modulo cuſam , in adverſa parte Conventum Aquiſgrani habi-

tum demonſtrat, ſcilicet menſam cum quatuor viris aſſidentibus, ſed rudi Minerva exculptos. Has duas nummi partes ſtamno copulatas animadverti, quamobrem ut fictitium rejeci verba inſcripta hęc ſunt.

CLEM. IX. AVCT. AVG. FRANCIOTTI OPA PAX REDIT AQVIS 1668. ideſt CLEMENTIS IX. AVCTHORITATE AVGVSTINI FRANCIOTTI OPERA PAX REDIT AQVISGRANI, quę Urbs celebris eſt pace ibi facta anno 1668. ut ſcribit Baudrandus.

Præter lętitię ſigna feſtivis ignibus, ac tormentorum exploſione data ſolemnem ſupplicationem indixit Pontifex, in qua cum vniverſo Urbis Clero Vaticanam Baſilicam Pontifex ipſe pedes adivit, ibique ſacro interfuit ſolemniter celebrato ab Eminentiſſimo Franciſco Cardinali Barberino, Sacrę Romanę Eccleſiæ Vice-Cancellario, ut Deo gratię ob pacem Populis conceſſam redderentur. Eam ſupplicationem Numiſma indicat à nobis propoſitum.

XII

TV DOMINVS ET MAGISTER.

Numiſma aliis non diſſimile, quod à ſingulis Pontificibus cudi diximus, ut pauperibus illud diſtribuant poſt lotionem pedum die 5. in Cœna Domini, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ factam.

XIII. XIV

AELIO PONTE EXORNATO.

Duplici numiſmate idem Pons, qui dicitur Ælius exprimitur, ſed diverſo proſpectu delineatus. Superſtat ille Tyberi prope molem, ſeu ſepulchrum Ælii Adriani, à quo nomen mutuatur, rectumque iter ad Vaticanam Bſilicam præbet. Illum conſtruxit Adrianus, juxta narrationem Spartiani, *Fecit & ſui nominis Pontem, & ſepulchrum juxta Tyberim.* Thriumphali quidem Ponti propi nquum, at non inutilem; ad tranſitum enim commodiorem Fluvio illum impoſuit ut trajiciendæ plebi in Vaticanam Regionem inſerviret, cum ovantes dumtaxat Pons triumphalis admitteret, longitudine ſua palmos æquaſſe quadringentos, & triginta affirmat Nardinus lib.8. cap. 2. Illum autem, ut potè architectonica arte peritus mirabili induſtria poſuit in majori aquarum declivitate, ne in errores impingeret, in quos incidere Senatorii, & Thriumphalis Pontium Architecti. Illi quippe extrà rectum angulum collocati, ob vehementiorem in unam, quam in alteram partem aquarum impetum pulſi, inæqualiter ſenſim eroſi, ſimul cum pilis corruerunt. Verùm Adrianus Pontem fabricavit profluentibus aquis obſecundantem, pręterea tribus pręcipuis inanibus laxamentis aquæ exorbendæ dilatatis, & aliis quatuor ſenſim coarctatis aqarum eluvionem ſapienter evitavit. Sic in poſterorum memoriam permanentis Pontis curavit perſeverantiam. Septenis enim arcubus inſidet, licet duobus extremis terra obrutis ut exhibet Sebaſtiani Erizi numiſma, etiam à Schotto propoſitum, in quo prominentia utrinque Podia octo magnificis ſignis marmoreis locupletata conſpiciuntur.

Illa deinde vel bellorum vi, vel temporum injuria fuere dejecta, & Pontem Clemens VIII. anno 1598. refici curavit. Urbanus deinde Octavus extremorum arcuum laxamenta, egeſta humo, aperuit. Clemens IX. excurrentes hinc indè parietes ex tiburtino lapide interjectis ferreis cancellis reſtituit, addiditque ormenta

menta decem Angelorum simulachris, Instrumenta Passionis Christi Domini præferentibus, quos è marmore Pario egregii Artifices exculpserunt, ideſt Angelum Columnam sustentantem Antonius Raggius; Angelum Velum Veronicę explicantem Cosmus Fancellus; Angelum Clavos ostendentem Eques Hieronymus Lucenti; Angelum à quo Crux regitur Hercules Ferrata; Alium Lanceam habentem Dominicus Guidus; Illum verò, qui Flagella tenet Lazzarus Morellus; Illum qui Titulum Crucis demonstrat Eques Berninus; Alios duos cum Corona Spinea, & Talis Paulus Naldinus. Ultimum cum Spongia in arudine Antonius Georgiettus.

Ut autem totius Pontis structuram, & Statuas eidem additas Lector etiam Româ procul inspiciat, sequentes undecim Tabulas adiunximus, in quibus omnia adamussim insculpta repræsentantur.

In ingressu etiam Pontis alia duo marmorea signa Divorum Petri, & Pauli Clemens VII. collocaverat: ex illis Divum Petrum Sculptor efformavit, cui nomen Lorenzettus, Divum Paulum Paulus Romanus exculpsit, in basi sub Divo Petro posita, hanc inscriptionem Bembus posuit. *Torrig. in Crypt. Vat. pag. 385.*

CLEMENS VII.
PONT. MAX.
PETRO, ET PAVLO APOSTOLIS VRBIS PATRONIS.
ANNO SALVT. HVM. MDXXXIV.
PONTIFICATVS SVI X.

In basi sub Divo Paulo hæc alia extat.

CLEMENS VII. P. M.
BINIS HOC LOCO SACELLIS BELLICA VI,
ET PARTE PONTIS IMPETV FLVMINIS
DISIECTIS AD RETINENDAM LOCI RELIGIONEM
ORNATVMQVE HAS STATVAS
SVBSTITVIT

Eisdem basibus plateam versus respicientibus hæc alia verba leguntur insculpta

HINC RETRIBVTIO SVPERBIS,
HINC HVMILIBVS VENIA.

Talia Sacella rotundę figurę fuisse posita à Nicolao V. narrat Jacobus Grimaldus in suo Codice M. S. apud Torrigium pag. 384.

Totum Clementis opus Eques Berninus delineavit; ac direxit, eisque in locis, ubi Angeli collocati fuere, memini, me vidisse ferreas virgas ex parietibus prostantes, quas reliquias fuisse mihi suadeo antiquarum statuarum, quę cæmentis compactæ ipsum Pontem exornabant, scribente Vasaro in parte 3. vol. 1. pag. 134. „ Che Raffaele figlio di Baccio da Montelupo Scultore nella venuta „ di Carlo V. à Roma per ordine di Paolo III. fece sù i Pilastri del Ponte di terra, „ e stucco quatordici statue sì belle, che furono giudicate le megliori di tutto „ l'apparato fatto per tale occasione.

Suo autem scalpro sub Clemente simulachrum adeo egregiè exculpserat Berninus, ut illud nullo pacto aeris inclementiæ, ac tempestatum iniuriis exponendum esse Pontifex judicaverit, & in ornatum Domus sui fratris addixerit. Quam-

obrem aliud statim exculpsit Berninus, titulum Crucis ferentem, quod jam indicavimus, ut sui erga Pontificem animi publicum monumentum existeret.

Expressus videbatur ornatus Ælii Pontis in apparatu, quo Collegium Romanum Principes Rospigliosæ domus excepit inter emblemata, adjecto lemmate MEDIO TVTISSIMVS IBIS. Interpetrari enim voluit orator quę mens Clementi fuerit in ornatu Angelorum, cædis Dominicę instrumenta monstrantium, simulachris eorum illi utrinq; impositis. Docere nimirum voluit Sanctus Pontifex per Christi pœnas, & mortem viam ad Cælum Christi legem profitentibus esse tutissimam. Excelsę insuper indolis argumentum fuit hęc Pontis reparatio, cui nullum, vel nominis sui, vel Rospigliosi stemmatis monimentum incidi permisit, adeo fuit gloriæ contemptor, & humana omnia infra se habuit, ut ne mortuo quidem sibi ullum erigi sepulchrum permiserit. Omnia tamen abunde supplevit Clemens X. ut publico voto, ac posteritati consuleret, inscriptio Clementis IX. nomine Statuæ basi ad exitum Pontis, quem statuis reddit nobiliorem his verbis.

CLEMENTI IX.
PONT. OPT. MAX.
AELIO PONTE AD SANCTI ANGELI
ARCEM ANGELORVM STATVIS
REDEMPTIONIS MYSTERIA PRÆFERENTIVM EXCVLPTO,
ET EXORNATO,
QVOD SINE EIVS TITVLO,
ET INSIGNIBVS OPVS ABSOLVI
EX ANIMI MODERATIONE MANDAVERIT
CLEMENS X. P. M.
VT BENEFICENTISSIMI PRINCIPIS
MEMORIA EXTARET
POSVIT ANNO M. DC. LXXII.



XV

DILIGIT DOMINVS DECOREM DOMVS GENETRICIS SVAE.

Liberianam Basilicam, seu S. Mariæ Majoris in absfide exteriori columnis Statuis, ac venustioribus ornamentis decorare meditabatur Clemens, ut patet ex numismate, quod illam prefert, juxtà delineationem Equitis Bernini, sed vix positis fundamentis, morte præveniente non potuit absolvere.

SIGNVM


PONS Æ
STA



pag. 716
A CLEMENTE IX
S EXORNATVS
Alexander Specchi incidit


1
Opus Lazzari Morelli




2
Arnold V Westerhout sculp.
OPus ANTONIJ RAGGI


3
Opus Pauli Naldini




4
Opus Cosmi Fancelli
Arnoldo Van Westerhout fec.


5
OPUS PAULI NALDINI


6
OPVS EQVI. HIERONYMI LVCINTI
Arnoldo V.W. f.


INRI
OPUS EQUITIS LAURENTII BERNINI




8
OPVS HERCVLIS FERRATA


9
OPVS ANTONII GEORGETTI
Arnoldo V. W. f.


10
OPUS DOMINICI GUIDI
Arnoldus V Westerhout fec

❀ XVI ❀

SIGNVM CLEMENTIAE MONSTRABIT.

NUmisma est à Patre Molineto expressum sine ulla explicatione, & apud P. de la Chaize nostræ Societatis Jesu Regi Christianissimo à confessionibus servatum, ut ipse author refert. Apud nullum illud Romæ reperire potui, nec Romæ vulgatum puto. Mulierem baculum regiminis in dextera habentem præfert, sinistra ramum olivarum, Clementiam regnantem in Pontifice puto indicatam, & meritò; Clementiam enim hujus Pontificis acta summoperè commendant; Bis ille in hebdomada aditum præbuit cuilibet de populo, ut ad satietatem suas exponeret querimonias, undè ipsis præsidium, vel solatium. Nosocomia sæpè invisebat, & ęgrotis ęger plerumque ministrabat. Idem officium pietatis pauperibus exhibebat peregrinantibus, quos duodecim numero in palatio convivio excipiebat quotidiano, idque singulis diebus, ubi per valetudinem liceret, ea pietate, ut nonnulli hæretici simulata paupertate inter eos duodecim, quo propius rem cognoscerent discubuissent, veritate victi hæresim eiurarunt; confessiones etiam publicè Vaticano excipiebat in templo. *Oll. in. in col. 787.*

In molestissima occupatione, qua ad se adeuntes quoslibet de Populo audiebat adeò benignissimum, & clementem se præbuit, ut quadam die cum plures horas audiendis, qui aderant fessus, exhaustusque ad interius cubiculum se reciperet, ad vocem quærentis, se fuisse præteritum, pedem illicò reflexerit, & iterum sellam ingressus, ac si tum primùm audiendum accederet, hominem benignè invitatum quæcumque liberet effari jusserit, & quantum licuit lætum dimiserit.

❀ XVII ❀

TV DOMINVS, ET MAGISTER EXEMPL. DEDI VOBIS.

❀ XVIII ❀

ILLVXIT ILLVCESCAT ADHVC ROMA.

❀ XIX ❀

SEDE VACANTE M DC LXIX.



ASSA-

✿ XX ✿

ASSAGGIVM GENERALE
MDC LXIX.

TRia ſequuntur numiſmata, quæ ſatis alibi explicata ſunt. Primum pertinet ad lotionem pedum. Secundum poſt Pontificis mortem emanavit ab Eminentiſſimo Cardinali Antonio Barbarino Vice-Camerario. Tertium formatum fuit vivente Clemente anno 1669. ex particulis monetę probatæ juxta morem, quem expoſuimus.




I
II
III
IV
CLEMENS·X·PONT·MAX·AN·II
SPIRITU·ORIS·EIUS OMNIS VIRTUS EORUM
CUM ME LAUDAPENT SIMUL ASTRA MATUTINA
AN. MDCLXXII
V
VI
VII
VIII
THESAURUM TUUM
MDCLXXV
MDCLXXV
OSTIUM
IX
X
XI
XII
MDCLXXV
SOLEM·NOVA·SIDERA·NOPUNT·
XIII
XIV
XV
XVI
DECOR EIUS GLORIA SANCTORUM
MDCLXXI
COLLES FLUENT
XVII
XVIII
XIX
XX
EXEMPLUM DEDI VOBIS
TU DOMINUS ET MAGISTER
EXEMPLUM DEDI VOBIS
MDCLXXVI

CLEMENTIS X. NUMISMATA.



I

CLEMENS X. PONTIFEX MAXIMVS.



MAGO Clementis X. qui ante Pontificatum Æmilius vocabatur ex Nobili Familia Alteria Romana. Vir morum probitate, ac modestia eximius cum Annum ageret octuagesimum Pontifex electus die 29. Aprilis anni 1670. eam dignitatem recusavit, tandem validissimis rationibus inductus tanto oneri se submisit, Roma universa plaudente, ob civem suum ad Pontificium Solium evectum. Die vndecima Maii Sacra Tiara, tribus coronis exornata, fuit insignitus à Cardinali Lantgravio de Hassia, primo Diacono. Die octava Mensis Junii Lateranam Basilicam solemni pompa comitatus adivit. In Capitolio arcu triumphali illum excepit Populus Romanus, quem Eques Raynaldus delineavit, exornavitque duobus simulachris, Nobilitatem, & Justitiam referentibus, alia duo in summitate erant amplum numisma sustinentia, in quo sex Sydera nitebant cum Epigraphe DE FLVMINE MAGNO, quam Prophetico Spiritu à B. Malachia olim pronunciatam, vulgus credit, ut Pontificem Clementem significaret Romæ natum quam magnum flumen Tyberis irrigat. Supra coronicem aliud numisma cum his verbis auro expressis.

CLEMENTI X.
ROMANO
PONT. OPT: MAX.
S. P. Q. R.

Columnis, quæ parastatis adhærebant, insignia Populi Romani imminebant, juxta quæ duo simulachra, quorum alterum Atlantem, globum Cœlestem, alterum Herculem globum terrestrem sustinentem referebat. Verticem totius molis exornabant Pontificis insignia, quæ Charitas, & Religio tuebantur, ex opposito aliç duæ Virtutes, Clementia, & Prudentia.

In arcu Septimii Capitolio proximo hanc insciptionem posuerunt.

CÆSAREI LVCEM THRIVMPHI PONTIFICIVS TVVS ISTE TRIVMPHVS OBSCVRAT CLEMENS DECIME, ROMANE PONTIFEX, OPTIME MAXIME, PER OMNIVM EXPERIMENTA DIGNITATVM ANTE IMPERIVM DIGNVS IMPERIO, SACRI FASTIGIVM PRINCIPATVS, DEO DVCE, POPVLIS PLAVDENTIBVS ASCENDISTI, TEMPORIS TARDITATEM MAGNITVDINE BENEFICII COMPENSANTE. TANTI MAIESTATEM TRIVMPHI TIBI GLORIOSAM NOBIS SALVTAREM TVÆ ROMÆ DEBEMVS

SCILICET HANC TIBI PVRPVRAM COLLOCAVIT IN SANGVINE, VT MVNDVM DARET IN CORONAM
MVNDI PATRIA TVI SE PATRIAM FECIT IVRE, NON ARMIS, VT BENEFICIIS, NON FORTITVDINE, SED CLEMENTIA.

In averſa ejuſdem arcus parte hæc alia erat inſcriptio

FORTIA SIMVL, ET TRIVMPHOS AGERE ROMANVM FVIT. VTRVMQVE TVVM EST CLEMENS DECIME ROMANE PONTIFEX, SPLENDORE SANGVINIS, MORVM CANDORE; MENTIS PRÆSTANTIA PRÆSTANTISSIME FORTIA, FECISTI, QVI LABORIBVS ANIMVM OBDVRASTI, PERFECISTI VIRTVTIBVS, ET IPSVM PRINCIPATVM SPONTE TIBI SE DANTEM IRATIS LACHRIMIS REPVLISTI, MERITO IGITVR LATERANVM TRIVMPHANS ACCEDIS, TVIS STELLIS CORONATVS. DOMESTICA TIBI CORONA HÆC EST, QVIA TIBI DOMESTICAM FECISTI VIRTVTEM. TAM ALTA IN ALTERIO PONTIFICE MAXIMO VIRTVS EST, VT NON ALIO, QVAM SYDERE DECEAT CORONARI
PLAVDITE POPVLI, PRINCIPIS CORONA VESTRÆ FELICITATIS HOROSCOPVS EST.

Ante Arcum Titi alium Arcum triumphalem excitavit juſſu Sereniſſimi Ducis Parmenſis Eques Raynaldus, quatuor ſimulachris exornatum, ideſt Juſtitiæ, Charitatis, Virtutis, & Prudentiæ in ejus ſummitate hæc verba erant.

C L E M E N T I X.

R O M A N O

P O N T. O P T. M A X.

P. P.

Sub ſtemate gentilitio Pontificis hæc alia legebantur.

ASPECTV TAM BENIGNO
RECREATA MORTALITAS
TIMERE SIBI NESCIT
QVÆ A TE NOSCIT AMARI,
PVBLICA FECITAS TVO RIDET IN VVLTV,
ARGENTEA TVA SYDERA ÆTATEM AVREAM
D A B V N T.



In oppo-

In opposita arcus parte alia nitebat Inscriptio, quam P. Carolus Bovius Societatis Jesu eleganter exaravit his verbis.


FAVSTE AC BEATE
ALTERIAE DOMVS ASTRA CVM IAM PENE DEFICERENT,
SOL EX IIS ECCLESIÆ PRODIIT.
CLEMENS X. PONT. MAX.
SIC, ET MVNDO SOL ORITVR
CVM IN CÆLO SYDERA DESINVNT APPARERE
SED ASTRA SOL FVGAT,
EXORTV CLEMENS ADOPTAT
SOLE BENEFICENTIOR
NVMEROSIVS VT POSSIT ORBI PRODESSE PER STELLAS
SOLVS IN ORBE CLEMENS
NON VVLT PRÆESSE CEV SOL.
OCTOGENARIVS SERO EVEHI PER VIM DEBVIT
TAM MERITVS QVAM INVITVS
VT IN ALTERIO CLEMENTE
SPEM HOMINVM ELECTIO VINCERET
MODVS FIDEM.
DE FLVMINE CÆLI MAGNO
DABVNT ASTRA CLEMENTIA FLVMEN PACIS
IO TRIVMPHE ROMA
E CÆLO CVM STELLIS PONTIFEX HIC NOBIS CECIDIT
RESVRGAMVS.

In arcu verò Titi inscriptio sequens fuerat apposita

QVAS OLIM DELICIAS IN TITO HABEBAS ROMA
HABES IN CLEMENTE DECIMO PONT. MAX. LARGIORES
SVAM IPSE FORTVNAM SVO MEDITATVR IMPERIO,
TVÆ FELICITATI SYDERIBVS SVIS EVIGILAT
ROMAM MVNDI COR AMORE ANIMAT SVO
VT IN ROMANA FIDE MVNDI ANIMAM SERVET
ID VNVM ROMANÆ FELICITATI SVPEREST
VT TITO LONGEVIOR VIVAT QVEM SVPERAT PIETATE

In opposita parte, quæ Amphiteatrum respicit erat hæc alia.

NON ROMÆ TANTVM VISITVR,
SED MVNDI TOTIVS DELICIVM.
ET CLEMENS DECIMVS ROMANVS
PONT. OPT. MAX.
ORBEM, QVEM FAMA VIRTVTIS IMPLEVIT,
SVO IMPLET AMORE.



II

SPIRITV ORIS EIVS OMNIS VIRTVS EORVM.

EX numismatis à Clemente cusis pleraque unius Divinitatis cultui, non Principis famæ sunt consecrata. Primo Imperii anno duo numismata excudit, in eoque Divinum Spiritum, sexque supra terrę globum sydera, hoc addito lemmate ex psalmo trigesimo secundo accepto SPIRITV ORIS EIVS OMNIS VIRTVS EORVM. Sicut enim verbo Domini Cęli firmati sunt, teste ipso Psalmista, nullam sine Cęlesti præsidio sibi vim ac gentilitiis syderibus inesse contestabatur.

Quandoquidem sydera in numismate contemplamur, quæ stemmata Alteriæ gentis coponunt, aliquid de ipsa indicandum hic est. Quod si maximos eruditione, ac Purpura viros sequi scribendo velim, antiquissimę huic familiæ claritati decus additum fuisse fateri necesse est ante annos septingentos. Et licet non omnia sint publicis literis consignata, & publica tabularia sæpè absunta igne fuerint, quod Barbari in Urbe excitarunt; constat tamen, Marcum de Alteriis Othoni Tertio Cæsari Dapipherum fuisse, & à Corradutio de Alteriis Patritio Romano Helenam ex primaria Ursinorum Procerum domo ductam vxorem anno 1255. quod satis indicat ea ætate inclytum fuisse Alterium genus, cum in ea familia insignes Romani Principes filias collocarent. Illustribus etiam sago, togaque viris fæcunda fuit, quorum virtus semper in commune commodum ac Divinitatis cultum collata fuit, excitatis templis, ędibus publicis, & contra inopiam, cęteraque incommoda, allato Civibus præsidio. Neque Roma tantùm, sed alię quoque nobiles Urbes liberalem Alterium indolem expertę sunt. Laurentius enim de Alteriis publico plausu earumdem Pater appellatus est, atque Patronus.

III

CVM ME LAVDARENT SIMVL ASTRA MATVTINA.

TYpus est Immaculatæ Conceptionis Deiparę, cujus cultum Sixtus IV. ad pestilentiæ calamitatem avertendam, quæ Romam post Tyberis inundationem affligebat, propagavit; tertio enim Kalendas Martii constitutio-
Oldoin. col. 27.
nem ædidit, qua omnibus, qui Immaculatæ Virginis Conceptionem devotè celebrarent, & missæ, atque officio ejus à Magistro Leonardo de Nogarolis, Clerico Veronensi, & Sedis Apostolicę Notario, seù ut alii volunt à Bustio dispositо, & ab ipso Sixto instituto, interessent, aut officium privatim recitarent, easdem impertiit indulgentias, quę vel ab Urbano IV. & aliis Pontificibus concessæ fuerunt in Corporis Christi solemnitate. Jussit insuper, ut Conceptionis festum, quod Ecclesia Romana celebrat in tota Ecclesia in laudem Beatæ Virginis cum octava celebraretur. Romæ in templo Vaticano extruxit Sacellum in Virginis Immaculatę honorem &c. De his vide P. Maraccium in Pontificibus Marianis. Clemens verò X. ut exprimeret devotionem, qua erga Deiparam à teneris annis ejus laudibus concinendis addictus fuerat, nummum percussit, in quo Deipara Stellis coronata Lunam calcat. Illæ, ut diximus, gentilitiæ sunt domus Alteriæ. Verba, quæ pronunciari à Deipara supponuntur ex trigesimo octavo capite Jobi sunt accepta, quibus optimi Clementis consuetudinem significatur laudandi matutino tempore Deum, & Deiparam, circa quam præstat recensere horarum seriem, quibus diem, noctem que pius Senex partiebatur. Quavis anni tempestate duabus, ac plerumque tribus horis ante auroram surgere consuevit è strato, suis ipse manibus induens se, rigentibus quamvis hieme frigore vestibus; nihil enim eorum, quibus assueverat, immutavit in Pontificatu; cumque familiariter de hac severitate secum adhibita Præsul aliquis conquereretur, hoc inquit perpetuò præstitimus

ſtitimus, & belle nobiſcum à frigore, ac nocte eſt actum. Horas deindè plures trahebat cum Divinitate colloquia, poſtea ſummo mane ſacra operatus clementiſſimè aures adeuntibus prȩſtabat. Verſpertinas etiam preces ſolvebat Superis, & poſt breviſſimam cænam actȩ diei rationes à ſeipſo exigebat, quod profectò non tantùm religioſum, ſed & Pontificium eſſe dicendum eſt: ſunt qui eas tantùm prærogativas in ſacro Principe deſiderant, quæ magnum illius Heroem effingerent, ſi prophana tantùm dominatione potiretur, non expendentes primas jis tribuendas eſſe, quȩ decent Chriſti vices agentem, & ad Cȩlum mortalibus Ducem. Cujuſlibet quidem, ſed prȩſertim ſacrȩ potentiȩ firmamentum religio eſt, per quam imbuitur indole Divinitatis humani generis Rector.

Fontem inde detegimus felicium rerum eventarum ſub Imperio Clementis, dum eximiæ ejuſdem Religionis argumenta indicamus. Inita igitur ratione temporis, quod contemplationi ſacrarum rerum, & prolatis ore precationibus inter diu noctuque quotidie tribuebat, ſex confici horas invenimus, ſi ſacrum complectamur, quod in ultimo etiam Senio, dummodò pedibus valeret inſiſtere, nunquam prætermiſit offerre Divinitati, uberrimis ſæpe lachrimis mandens.

Harum precum ſolutio, quæ Deiparæ prȩſertim, tum matutino, tum meridiano, & ueſpertino tempore quotidiè fiebat à Clemente Pontifice cupidinem ingeſſit inquirendi inſtitutionis originem, qua ſono tripartito dietim veſpere, mane & meridie fit pulſus campanȩ, quo Fideles ad laudes Deiparæ excitantur. Inſtituens hanc indaginem Arnoldus Wion, Caſſinenſibus monachis arridens, ità proſequitur. „ Inſtitutionem pulſus Campanȩ, qui fit veſpere, manè, & meri- *Apud Pacichelium de ſint.nol.cap 9.pag. 245.*
„ diè, vocaturque *Ave Maria*, ex Schola Benedictina manaſſe indicat campanula
„ illa, quæ ſub brachio dextro ejuſdem Pontificis viſitur, Urbani ſcilicet II. qui ex Ciacconii hiſtoria circa annum 1090. florvit. Ubi nam hȩc campanula ſub brachio dextro Urbani II. videatur non dicit. Æquivocum tamen illud eſſe ſymbolum putat Abbas Joannes Baptiſta Pacichellius, atque ab aliis authoribus hunc morem à Gregorio IX. derivare, & à Ludovico XI. Gallorum Rege, fide Roberti Gaguini hiſt. franc. 10. Nonnulli ab Honorio III. de quo Genebrardus Chronic: 4. anni 1227. Plures meridianum ſignum à Caliſto III. anno 1455. & à Joanne XII. veſpertinum, in qua ſententia eſt P. Caniſius lib. 5. de B. M. cap. 27. de his plura præfatus Pacichellius.

✠ IV ✠

IPSE FVNDAVIT EAM ALTISSIMVS.

ANNO M.DC.LXXII.

LIberianam Baſilicam ab Altiſſimo, ideſt Deo fundatam aſſerit inſcriptio, cui numeri annorum haud quidem copulandi ſunt, ſed de numiſmate ipſo intelligendi, ideſt vulgatum illud fuiſſe anno 1672. Baſilicam autem fundatam fuiſſe ſub Liberio Pontifice circa annum 360. pro comperto habuimus in monte Eſquilino, ubi æſtatis tempore nive è Cælo emiſſa Deus ipſe locum Templo ædificando deſignavit. Cum autem ſub Clemente IX. decretum fuiſſet evertere abſidem hujus Baſilicæ; eòquod majeſtatem, ac decus ex recentis Architecturæ legibus ſpiràre non videretur, jamque duæ muſivi operis Imagines fuiſſent ablatæ, ingratum id accidebat vetuſtæ ſacræque eruditionis peritis Viris. Ex illa enim Abſide, quam à Joanne Patritio ſub Liberio excitatam Sixtus poſtea III. anno 432. refecerat, & ex majori ejuſdem arcu teſſellatis operibus exornato anno 434. liquido conſtat, contra impios Romanæ Fidei perduelles, ante annos mille, & ducentos floruiſſe Cultum ſacrarum Imaginum, quibus in Concilio Epheſino Beatæ Virginis hoſtes devicti ſunt, ut teſtatur Elogium Sixti III. in Sacrario Baſilicæ, relatum ab Auguſtino Faſcina Opuſculo de memorabilibus ejuſdem Baſilicæ.

S. SIXTVS III. PONT. MAX.
BASILICAM RESTITVIT,
ARCVMQVE COLVMNIS IMPOSITVM
QVASI TRIVMPHALEM EX DEVICTO
IN EPHESINO CONCILIO
VIRGINIS HOSTE NESTORIO
ARGVMENTIS, AC PICTVRIS
FECIT INSIGNEM.

Absidem verò musivo opere exornavit Nicolaus IV. & Jacobus Cardinalis Columna, ut patet in Inscriptione posita in eodem Sacrario his verbis.

IACOBVS OPERE, SVMPTVQVE COLLATO
CVM NICOLAO PONTIFICE
EX INSTAVRATIONE BASILICÆ
DECESSIT ILLVSTRIVS.

Hisce de causis inhibita vetustissimæ molis ruina fuit à Clemente X. & suis iterum in locis collocatæ Imagines, & novis in profundum jactis fundamentis stabilitum ædificium, qua parte vergens in declive Esquilinus præcipitium Absidi minabatur. Extima ejusdem facies Tiburtino lapide splendidè munita Statuis, opere nobili, graduum serie, ac balaustris ornatus additus. Ut aliquod egregii hujusce operis monumentum extaret, à modestia Principis extorserunt Basilicæ Præsides, quod his verbis innuitur.

CLEMENS X. PONT. MAX.
LIBERIANÆ BASILICÆ SEPTENTRIONALEM FRONTEM
SVA IN VIRGINEM MAGNA PIETATE
MAGNIFICENTIVS EXTRVXIT, ET EXORNAVIT.
ANNO SALVTIS M.DC.LXXXIII.
PONTIF. III.

V

APERIES THESAVRVM TVVM.

VI

APERVIT DOMINVS THESAVRVM SVVM.

VII

DOMVS DEI, ET PORTA CAELI.

VIII

DEDI CORAM TE OSTIVM APERTVM.

HÆc quatuor numismata Clementem Pontificem Summum referunt Portam auream aperientem ad celebrandum Jubilæum, quod anno 1675. pontificia designatione post quinque lustra præscriptum recurrebat. Summa illum religione, suique cordis in publico pietatis ardore mirificè gestientis lætitia

lętitia celebravit. Qua die in Cælum ascendentis humanæ salutis Reparatoris triumphus recurrit, imminens anni sanctioris gaudium in Vaticanæ Basilicæ porticu indixit, & exaratis ad Cęsarem, Reges, & Primarios Regnorum Antistites literis pontificiis hortatus illos fuit, ut subiectas sibi gentes sollicitarent ad confluendum in sacram hanc Urbem, Cælestibus Thesauris divites in patriam redituras. Major plurimis Templis nitor fuit inductus, & maiori præsertim fulgore quatuor Principes Basilicæ sunt ornatæ, ut augustiorem, & faciliorem ad Basilicam Vaticanam accessum redderet, amplissimam aream inter Alexandri VII. porticus quaternis Columnarum ordinibus complanavit, & novo Fonte, alteri à Paulo V. ibidem excitato omninò conformi, splendidiùs illustravit. Atrii pavimentum varii generis marmoribus elegantissimè stravit. Cumque tempus instaret evulgandi literas indictionis ejusdem, provida solicitudine quidam Præsules delecti sunt, qui coram Cardinalibus Alterio, Ludovisio majori Pœnitentiario, & Carpineo, Urbis Vicario, re maturè discussa, decernerent quidquid excitandis Fidelium animis, & ad ritum ejusdem celebritatis pro dignitate explendum conducibile videretur: die Ascensionis Dominicæ sacro literæ indictionis traditæ sunt Illustrissimo Slusio tunc Brevium à Secretis, qui Cappa suprà Rochettum indutus cum Sanctissimus ad Basilicam Vaticanam Sella veheretur, & è conspectu Portæ majoris in atrio substitisset, easdem literas Sanctitati Suæ exhibuit. Pontifice autem signo Crucis producto, eo publicationem annuente, Sanctes Pilastrius Curiæ Abbreviator illas à Slusio acceptas ex ambone ante fores Basilicæ ad id parato, clara voce perlegit; lectionem præcesserunt, & subsequuti sunt tubarum, & tympanorum sonitus, & bombardarum strepitus, deindè Cursores Pontificii ad Basilicæ valvas, ceterasque Basilicarum portas de more affixerunt earumdem exemplaria impressa.

Deinde Dominica quarta Adventus indictionis Jubilęi evulgatio in Quirinali repetita est, Lectores fuere Illustrissimi Jacobus Emerix, & Marcellus Rondininus Præsules, ambo doctrina, & morum honestate insignes. Hi, accepta à Sanctissimo Domino Nostro easdem literas publicandi facultate, ad portam Palatii descenderunt, tum ibi Vice-Camerario, Thesaurario Præsidentibus, Clericis, & Officialibus Cameræ Apostolicæ in Subselliis ibi paratis considentibus, ex Cathedris hinc indè ad ejusdem portæ ingressum erectis, pręvio, & subsequenti tubarum, & tympanorum sonitu, ac bombardarum explosione publicationem complevere.

Quatriduo, quod Divinæ Nativitatis diem prejvit, omnes Templorum turres æris campani sonitu instantem maximæ solemnitatis diem indixerunt, deinde in pervigilio Nativitatis Sellula gestatoria vectus, postquam tres Cardinales, Barberinum, Chisium, & Jacobum Rospigliosium Legatos ad referandas Portas aureas renunciaverat, Mitra redimitus ad Porticum Vaticanam deductus est sub umbella ab Oratoribus Galliarum Regis, & Venetorum, Nepotibus suis, ac Principibus, quos vocant *Solii* clata. Descripsit Illustrissimus Phebęus pompam Sacri Cætus, & ordinem, quo Clerus, tùm Regularis, tum Sęcularis Pontificem prejvit. Illum adeat curiosus Lector, at ubi Pontifex ad Portam pervenit auream, accepto malleo è manibus Cardinalis Alterii ter percussit, dicens ad quemlibet ictum *Aperite portas*, deinde recessit, & Porta rotarum beneficio statim sublata est, & absolutis precibus, primus omnium per Portam auream Basilicam ingressus est. Interea tubarum sonus, & tympanorum, ac strepitus tormentorum ex Arce Molis Adriani cum festivo Campanarum pulsu Urbem totam jucunditate replevere. Illud pręceteris memoratu dignum contigit, quod Christina Suecorum Regina unà cum Vidua Mutinensis Ducis ex adverso Sacræ Portæ suggestu venerabunda procumbens ante Regalem Sacerdotem, Anglos quosdam Dynastas intuita, nullum eidem Venerationis signum exibentes, ipsos provolvi jussit in genua, secus etiam vi inde accedere cogendos. Tanta religio perstrinxit Augustissimæ Reginę animum magnanimiter deposito imperio, dum spirantem ore divinitatem, & religionis lachrymis sacras inter cęremonias perfusum suspiceret Sanctissimum Hominum Patrem. *Ne quid deesset nobis* (ut Phebęus scripsit) *quod ante actis sæculis invideremus*, neque vel Caroli Magni Imperatoris religionem, qua ille singulis Vaticanæ Basilicæ gradibus devota fixit oscula, vel Ludovici Hungariæ Regis in eamdem Basilicam venerationem.

Cap. 15.

FLVENT

✣ IX ✣

FLVENT AD EVM OMNES GENTES.

AD ejusdem Anni Sancti celebritatem pertinet numisma, in quo Templum Divi Petri repręsentatur cum Inscriptione FLVENT AD EVM OMNES GENTES, tanquam ad Ecclesię Moderatorem, omniumque Christi fidelium beneficentissimum Principem. Ne verò recenseam quę Sanctiorem hunc Annum honestarunt, tantummodò delibare pręstat aliqua, quæ Sanctissimus Clemens in bonum suarum Ovium peregit. Vidit illum Roma in Sanctissimæ Trinitatis Ædibus, ubi Peregrini excipiuntur duodecim egentium pedibus infusa tepenti aqua pulverem detergere, ac sordes, promicantibus ex ore paterni amoris, & demissionis argumentis, aureo singulos, argenteoque numismate quindecim aureorum pondere muneratus illos deinde fuit, mensam autem cęterorum præludio sacrarum precum lustravit, tributo singulis alio numismate, ex ductili in spiras argento, & multiplici nexu composito; sex aureorum millia Hospitio illi largitus, pretium præterea, quod in Bacchanalibus ludis eo anno vetitis impensum non fuit, jussit Hebręos mille quingentos aureos in Hospitum subsidium conferre. Æstuabat Sanctissimus Pontifex supplicum Populorum agminibus interesse, sed frequenter implicitus podagræ vinculis aliquando conquestus est cum familiari Pręsule, tunc maximè pedibus impeditum se latitare, cum Aquilæ pennas induere anhelasset, ut suos ad volandum pullos provocaret, quinquies tamen quatuor Basilicas religiosissimè invisit. Solemni præterea ritu bene Christiano Populo precatus est, septies ex alta Vaticani Templi, & Palatii Quirinalis porticu, & frequentissimè singulis Peregrinorum cętibus, in atrium ejusdem Palatii receptis, ducta in crucis formam dextera à Deo fausta deprecatus fuit.

✣ X ✣

BENEDIXIT FILIIS SVIS IN TE.

✣ XI ✣

LAVDENT IN PORTIS OPERA EIVS.

DEmùm festo exorti numinis die sacram Portam occlusit Clemens quinquaginta advenarum millibus iterum benè, ac feliciter ominatus. Hinc occludendi ritum, quem Pontifex celebravit duo numismata ostentant, de quibus nihil aliud præter ea, quæ dicta sunt, in præsentiarum accurrit.

✣ XII ✣

SOLEM NOVA SYDERA NORVNT.

✣ XIII ✣

DECOR EIVS GLORIA SANCTORVM.

PLENA

XIV. XV.

PLENA EST OMNIS TERRA GLORIA EORVM.

Quatuor numiſmata parùm inter ſe diſſimilia quinque Beatos exprimunt, quibus Sanctorum honores Clemens Decimus ſolemni pompa decrevit. Quò enim vehementiùs Chriſtiani populi animos ad virtutem ille accenderet, regnantium in patria felicitatis heroum cultum decrevit augere, ut dum eorum honoribus applauderent, dotes eorumdem amplecterentur: ſummoperè etiam opportunum duxit ad inſolita preſidia in maximis diſcriminibus Cæli Proceres invocare. Religioſi ergo animi ſui indolem ſequutus præter plurimos, quos laurea Beatorum illuſtravit, una, eademque die in Sanctorum album retulit Cajetanum Thieneum, Franciſcum Borgiam, Philippum Benizium, Ludovicum Bertrandum, & Roſam à Sancta Maria. Poſt decretam ſupplicationem ad Cæleſte lumen hauriendum, & ſuſceptum ab ipſo etiam Pontifice Sacrum iter à Templo Divæ Franciſcæ Romanæ in Foro Bovario ad Lateranenſem Baſilicam, menſe Aprili in Baſilica Vaticana magnificentiſſimè exornata, auditis Sanctorum prærogativis, quas Joannes Baptiſta Bottinius, & Marcellus Severolus Sacri Conſiſtorii Advocati expoſuerunt; exceptiſque precibus Eminentiſſimi Cardinalis Alterii pro Cæſare, Cardinalis Portocarrerii pro Hiſpaniarum Rege, & Veneti Legati pro ſua Republica ſupplicantium, ſententiam tulit, qua Beatiſſimos Cæli Cives ut Sanctos colendos Pontificia authoritate palàm edixit. Collata quinque his Divis ſuprema gloria ſacri triumphi, inſigni etiam alios honore affecit. Pio V. contulit lauream Beatorum. Ferdinando Tertio Caſtellæ Regi Anniverſaria ſacra decrevit, Beato Alberto Magno, Beato Bernardo Ptolomęo, qui Montis Oliveti Familiam fundavit, Beato Joanni Cantio Polono Sacerdoti, Beato Staniſlao Koſtkę Societatis Jeſu, Beatæ Ludovicæ Albertonæ Palutiæ, Beato Joanni à Cruce Hiſpano, & Franciſco Solaro ſolemni authoritate vel Sacrificia tribuit, vel inſtauravit. Novemdecim inſuper Gorcomienſes Martyres anno ſalutis 1572. Brilę in Hollandia in odium Catholicę Religionis peremptos, Beatorum corona illuſtravit. Auxit etiam gloriam novis precibus indictis in aliorum honorem, ut Sancti Franciſci Xaverii, Sancti Joſephi Beatæ Virginis Sponſi, Vinciſlai Regis, Henrici Imperatoris, Euſtachii, ac Ceciliæ, Petri Martyris, & Catherinæ Senenſis, Antonii Patavini, & Claræ, Nicolai Myrenſis Epiſcopi, Nicolai Tolentinatis, Joannis Gualberti, Cajetani, ac demùm Sancti Venantii gloriæ Camertium. His artibus ſibi demeruit Superos, & præcipuè ipſis addictas urbes, & regna eorum gloria illuſtravit, de quibus jure dictum eſt in numiſmate PLENA EST TERRA GLORIA EORVM, atque de ipſo Clemente dicendum ſemper erit aliud lemma DECOR EIVS GLORIA SANCTORVM.

Poſt decretos quinque Beatis Sanctorum honores quinque Religioſorum Cætus, ad quem aliquis ex illis pertinebat, publica pompa eos celebrare non omiſit. Cętera aliis relinquam enarranda, veniamque conſecuturum me ſpero, ſi ea tantùm exponam, quæ in honorem Divi Franciſci Borgiæ Societatis Jeſu tertii Præpoſiti Generalis ipſa Societas Romæ peregit, reſcribendo Relationem Italicam eo anno 1671. typis editam, hiſque verbis exaratam.

Uno degl' Iſtituti, per cui la vera Fede ſi diſtingue dalle falſe ſi è la Canonizatione de'Santi, detta da'Gentili Apoteoſi. Poiche non ſeppe la ſuperſtitione de' Greci, e de' Romani riporre nel Cielo, ſaluo che huomini ambitioſi, e che con le ſtragi haueuano domate ò per meglio dire diſtrutte le più belle Prouincie del Mondo; la doue la Religione Chriſtiana non eſpone adorabili ſe non perſone per elettione humili, e che con le virtù, co'prodigii, e co'gli eſempi hanno recato notabile giouamento al genere humano. In oltre ſi come quegli non celebrauano le loro Canonizationi, ſe non con pompe ſuperbe e militari, con giuochi ſanguinolenti di Gladiatori, e con diſoneſte ſcene di deliranti Teatri; così all' incontro noi le celebriamo con pompe ſacre, e tanto più venerabili, quanto meno ſtrepitoſe.

Hor

Hor le feste à tal Idea celebrate da'Padri della Compagnia cominciarono Domenica passata à 4. di Ottobre. Diede à tutto principio la Processione da S. Pietro al Giesù per la strada dell'Orso, e del Corso. L'ordine fù in questa forma. Precedeva un drappelletto di Suizzeri retto da due de'loro Officiali co' Trombetti di Palazzo. Facevano fronte à tutta la Processione cinque de' più riguardevoli Titolati e Cavalieri. Seguivano in gran numero i Palafrenieri degli Eminentissimi Sig. Cardinali, & Eccellentissimi Sig. Principi, & Ambasciatori tutti con torcie, e con buon ordine. Veniva parimente con torcie la Compagnia della Santissima Trinità, il cui Crocefisso era corteggiato da' Paggi del' Eccellentissimo Sig. Duca di Gravina. Si compiacquero molti Cavalieri, e Titolati vestire in quel giorno il sacco di questa nobile Confraternità, comparire à faccia scoperta, come anche fecero nel fine di essa i Sig. Guardiani, chiudendo la sopradetta Compagnia un numeroso Choro di Musica. Fecero, come nuova fronte alla Processione cinque altri Cavalieri di sceltissime qualità trà quali vi furono due Priori Gerosolimitani, ò vogliamo dire Gran Croci di Malta. Dopo di questi si sollevava un picciolo Stendardo bianco fregiato col nome Santissimo di Giesù portato à vicenda da nobili Giovanetti, ed appunto faceva testa ad un considerabile drappello di nobile Gioventù eletta à minute parti dalle scuole del Collegio Romano, per non rendere colla lunghezza, tediosa la funzione. Seguivano i Nobili Convittori del Seminario Romano, tutto questo corpo veniva terminato da un'altro Choro di scelti Musici. Succedeva la Congregatione de'Nobili dell'Assunta, à quali s'incorporò la Nobiltà de'Cavalieri, e Titolati così Romani, come forestieri in tal numero, che furono sopra 400. tutti con torcie, e da venti altri, i quali con le mazze scorrevano pe' loro posti, ordinando le fila à loro cura commesse. Qui s'alzava la Croce, dietro la quale seguivà tutto il Clero con cotte e torcie. Precedeva il Collegio de' Maroniti, appresso il Collegio de Greci, poi quello degl'Inglesi, indi quello del Germanico al quale faceva spalla un numerosissimo Choro de' più perfetti Musici della Corte, e retto in persona dal più celebre Maestro in questa facoltà. Dopo questi si vedevano i Padri della Compagnia al numero di 260. con torcie e cotte e tanto meglio ordinati, quanto meno erano distribuiti con ordine di precedenza ò d'età ò di grado, salvo i soli Superiori. In questo luogo si ergeva lo Stendardo del Santo circondato dalla Guardia, e da Palafrenieri di N. Signore con torcie, e da Paggi pur con torcie de'Sig.Ambasciadori di Spagna,e di Portogallo,e d'altri Grandi. I fiocchi si reggevano da' PP.Assistenti, dal P. Generale della Compagnia,che non ostante i prieghi di moltissimi Personaggi,che procurarono toglierlo da quel disagio, non confacevole alla sua età,pur volle intervenirvi. E finalmente dava nobilissimo termine à tutta la pōpa la corona di sopra 80.Prelati,Patriarchi, Arcivescovi, Vescovi, Protonotarii participanti, Auditori di Rota, Chierici di Camera, & in una parola tutta la Prelatura. Ma il più nobile di questa funtione fù l'ordine, il silentio, la modestia, non pur ne Padri, e negli Alunni de'Collegii, ma in tutti gli ordini, à segno che la trasfuse nel popolo affollato per le strade, il quale non come in altre occasioni, si vedeua garrulo festeggiante, ma taciturno, e come compunto. Onde i più sensati hebbero à dire, che considerate tutte le singolari circostanze di questa funtione non ne haveva veduta Roma una eguale. E perciò non si fà qui mentione delle salve della soldatesca Suizzera ne del Castel Sant' Angelo, ne dello squadrone schierato nella piazza del Giesù ne de'fuochi, ne de'lumi, che arderono per due sole sere; ma che furono compensati da grosse limosine distribuite nel cortile del Collegio Romano à tutti i poveri della Città. Lo Stendardo nella Chiesa del Giesù fù ricevuto, e benedetto con le solite cerimonie in assenza dell'Eminentissimo Signor Cardinale Chigi ponente della causa dall' Eminentiss. Sig. Cardinal Santa Croce, il quale divotissimo del Santo, per beneficii di gran rilievo ricevuti, ed accetissimo al Santo per ossequii di molta consideratione da S. E. prestatigli, con sensi di somma pietà terminò la funtione di quel giorno. Nel Lunedì volle subito N. S. Clemente X. onorare la solennità con la sua presenza, e con mostrare verso il Santo l'ereditaria divotione della sua Casa.Commendò sopramodo la magnificenza, la suntuosità,

sità,

sità, e la simetria dell'Apparato, ed in estremo gradì la breve iscrittione nella quale si fà memoria della corrispondenza de' suoi Maggiori con S. Francesco, che à suo luogo si metterà.

Partitosi N. Signore sopragiunse poco dopo tutto il Sacro Collegio, il quale si compiacque di tenervi Cappella, e di udire il Sermone fatto dal P. Procuratore Gener. de' Servi. Il dopo pranso vi fù il concorso de' principali Personaggi della Città, e de' Ministri de' Principi, chiudendo gloriosamente quella giornata la Maestà della Sreniffima Regina di Suetia, la quale hebbe la bontà di ornare con somme lodi la magnificenza dell'Apparato.

Questo non può descriversi, consistendo la sua bellezza maggiore nella perfetta simetria di esso, onde è che quanto più si mira, tanto più piace. La maggior parte degl' addobbi sono Damaschi tutti nuovi, tutti fregiati con larghissima trina d'oro: l'altre parti sono di tela d'oro, che distinguendo col loro splendore il cremesino de' damaschi, fanno à gli occhi una muta armonia. E si è riputata singolare inventione il pingere non sopra carte, ne sopra cànavacci, ma sopra tele d'oro le attioni, ed i Miracoli del Santo, spiegati con Cartelloni tutti lumeggiati ancor essi d'oro, ed in forma di gran vaghezza pendenti da gli archi delle Cappelle, d'onde parimente pendevano sei Lampade d'argento, splendidissimo dono dell' Eccellentiss. Sig. Principe Giustiniani. Ha dato animo à tutto vn fregio, che corre sotto il cornicione, anch'esso di tela d'oro con sopraporto di ricamo di velluto cremesino con cordon d'oro. In fine vedendosi dall'vltima estremità della volta, che pur era in molte parti illuminata da rose d'oro rilevate, tutto il Tempio da sopradetti addobbi abbigliato; è stata voce comune, che parato di maggiore Maestà, sodezza, simetria, magnificenza, e ricchezza non si sia più così facilmente veduto. Non si parla della sontuosità degli altari, che per tutti i riguardi eccitavano maraviglia, non della musica, à cui non è mancata imaginabile perfettione, non del concorso, essendosi in ogni hora veduta folla, e non della bellezza de' Panegirici detti da più notabili soggetti di diversi Religioni, havendo voluto i Padri della Compagnia, che le Glorie tanto grandi del Santo ardessero nell'altrui bocca, e non s'infreddassero nella propria.

Le Iscrittioni poste sotto le attioni, ed i Miracoli del Santo furono lette con grande approvatione. Fù però commendata sopra tutte le altre quella, che si leggeva al di dentro sopra la porta maggiore trà le figure poste in oro di N. Signore Clemente X. che à S. Francesco hà imposto il diadema di Santo, e di Urbano VIII. che gli diede il titolo di Beato ed è la seguente, lasciandosi le altre à racconto più diffuso.

TIBI CLEMENS X.
QVOD LOCVM HVNC ALTERIORVM OLIM
FORVM AC DOMVM, TOT MAIORVM PIETATE
CONSECRATAM, LAVRENTIVS PARENS TVVS,
DEPRECATORE BORGIA,
IN TEMPLVM SACRARI MVLVERIT:
TV VERO, BORGIA IPSO INTER CÆLITES RELATO.
ALTERIAM IN SOCIETATEM IESV BENEFICENTIAM,
QVA TERRIS, QVA CAELO PROPAGAVERIS:
VRBANO QVOQVE VIII.
QVOD EVMDEM PRIMVS AD ARAS EXTVLERIT,
SOCIETAS PROFESSA P.P. BENEFICENTISSIMIS
POSVIT.

Diede nobile, divoto e fruttvoso compimento alla Festa Domenica mattina undeci di Ottobre vna Comunione generale numerosissima di sopra venticinque mila persone, alle cui reconciliationi assisterono sopra quaranta Padri.

XVI

COLLES FLVENT MEL DE PETRA.

CUM die 29. Aprilis 1670, quo Clemens renunciatus fuit Summus Pontifex memoria recurreret Beati Petri Martyris, ejus effigiem in numiſmate exculpta fuit ſub lemmate COLLES FLVENT MEL DE PETRA, alludente Divo Petro, ac ſeptem Collibus Romæ, à quibus mel Clementiæ in Orbem prædicitur manaturum. Magnam illi peperit gloriam rejectum imperium, penitùs ille alienum exhibuit animum ab jis, quibus plurimi Mortalium mirificè rapiuntur; imò cum ad illum gratulabundus Cardinalium Cætus accederet, miratus primò fuit, & Sacri Senatus in eo decreto prudentiam deſiderari à ſe profeſſus, mox cum propoſiti tenaces illos vidit, ſerioque ſupplicantes, ut preeſſe dignaretur, veri doloris teſtes in lachrymas effuſus fuit. Non modò venienti fortunæ non occurrit, cujus ſpe inanes animi facilè implentur, ſed illam ardentiſſimo ſtudio fuit averſatus: ſummis contendit precibus, ut ſe curis publicis abſolvi ſinerent; nam negotiorum vacuum proludere immortalitati cupiebat, cui inhiabat. Nonniſi æternę felicitatis diſcrimina ſibi adſtrui poſſe à maxima apud Mortales fortuna; ſubiici ſuis oculis recluſa Tartara, in quæ prolapſurus eſſet, ſi annis obrutus, nec munitus dotibus ad tantum onus ferendum idoneis, auderet illud ſubire. Deteſtabatur cæcam illorum ſuperbiam, qui per ambitum honoribus inclareſcere amant. Hanc animi moderationem percuſſo deinde numiſmate conteſtatus fuit, in quo perituri Regni pertęſus optimus Princeps, provolutus in genua ante Dominum ità ſuo funeri pręludebat: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; aſſenſu tandem gemebundo pręſtito, Clementis nomen elegit, ut ſuaviſſimam indolem, ac populorum amantiſſimum animum repręſentaret, utque Optimi Pontificis Clementis IX. à quo ſummis fuerat beneficiis affectus, memoriæ conſuleret. In Apoſtolorum Principis Baſilicam delatus omnes ſpes paſcebat eumdem humanum, mitem, ac beneficum experiendi in regimine, ut antè Regnum fuerant experti.

XVII. XVIII

EXEMPLVM DEDI VOBIS.

DUO numiſmata ad lotionem pedum ſpectantia, de qua ſatis dictum eſt alibi.

XIX

VT ABVNDANTIVS HABEANT.

PUella Spicis redimita, & Cornucopiæ gerens dextera, læva verò Spicarum manipulos Cererem indicat, quam Deam frugum eſſe Ethnici finxerunt, dixeruntque à verbo antiquo *Cereo*, quod idem eſt ac *Creo*, quòd cunctarum frugum creatrix ſit, & altrix. Eam fuiſſe (ajunt) quæ colendi terram, ferendique legumina, (excepta faba) & frumenta, & ex iis conficiendi panem invenit artem, docuitque homines, cum antea glande veſcerentur, de qua Poëta.

Scalig. & Serv. in 1. Georg.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris
Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Ovid. Metamorph. 5.

Cum

Cum enim antea ſquallerent agri ab omni cultu derelicti, & ſentibus inhorreſcerent, nulla erat cuique propria fundorum poſſeſſio. At verò ſimul ac beneficio Cereris agricultura invecta eſt, cęptum eſt de agrorum finibus litigari, eamque primam volunt fuiſſe legum, ac juris originem, indeque dicta Ceres *legifica*.

Eleganti ſpecie corporis inſignem fecerunt, quia terra, quam Ceres refert, pulcherrimum exhibet amœniſſimumque ſpectaculum intuentibus, tum pręcipuè cum veſtita plantis, arboribus diſtincta, ornata floribus, locupletata frugibus, herbeſcenti viriditate nitens, ſpecioſos veris honores explicat, autumnique munera liberali manu profundit.

In numiſmate Clementis videtur, quòd Anno Jubilęi, pręſertim illud etiam contulit, ut inter anguſtias rei frumentariæ, quibus finitimi urgebantur, abundè ab Urbe Annona perpetuò eſſet, illamque omnes abundantiùs haberent, ut dicitur in lemmate accepto ex verbis Divi Joannis. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

XX

TVRCARVM SIGNA A POLONIS RELATA

M.DC.LXXVI.

Quamvis amantiſſimus Pacis eſſet optimus Clemens, tamen ſtrenuiſſimo in animo bellica indoles inerat, cum illam reipublicæ ſalus poſtulabat, ob id cum in Poloniam Turcarum furor irrupiſſet, graviſſimè hoc tulit Clemens, quia prima juventute illius ampliſſimi Regni, & Chriſtianæ Fidei Valli amores hauſerat, dum ibi Pontificis Maximi negotia curavit, omni ſtudio contra Barbaros niti decrevit. Placare primùm Superos adorſus fortiſſimo illi Regno, pręter perpetuas, & privatas preces publicas ad Templa Divorum ſupplicationes indixit. Criminum veniam, illa per ſacram Confeſſionem accuſantibus, Divinoque Pane refectis indulſit, ſi ad placandam iram Divinitatis, pręſcripta Urbis Templa ſupplicabundi adirent, idemque deindè Indultum ſparſit per omnes Chriſtiani Orbis partes. Et ipſe quidem exemplo pręcedens à Templo Divæ Mariæ Suprà Minervam pedibus ſupplex iter inſtituit cum Sacro Cardinalium Collegio, Romanoque Clero ad Ædem Sancti Staniſlai, Cracovienſis Epiſcopi, aliudque in Quirinali inivit Templum, ut à Beati Staniſlai Koſtkæ, ſplendidiore à ſe Cultu donati, tumulo fiduciam referret, ſuſcipiendæ iterum à Beato Adoleſcente Polonorum tutelæ.

Neque precibus ſolùm in Turcarum acies pugnavit Clemens, ſed aureis etiam armis munivit Poloniam, cui magna pecuniæ vis deerat ad Exercitus conſcribendos, exhauſto per annos viginti perpetuis ferè bellis opulentiſſimo Regno, licèt in maximis ærarii Pontificii anguſtiis triginta primùm, ac deindè quinquaginta aureorum millia Regi ſuppeditavit, terque Decimam Sacrorum omnium proventuum partem eidem perſolvi juſſit, ex quibus opportunum pręſidium hauſit. Annuit Clementis Votis Deus; Primùm enim attulerunt laureatæ literæ incendium illatum propè Leopolim Caſtris Turcarum, qui relictis impedimentis ſub tutela Camenęci effuſo curſu ſe receperant. Arces deinde à noſtris plurimas occupatas, captum Bialogrodum deletis quadraginta Turcarum, ac Tartarorum millibus. Aliam deindè à noſtris relatam pręclariſſimam de Turcis Victoriam apud Cocinum. Sex omninò ſupra viginti Turcarum millia eo in certamine, & ſtrage ceciderunt. Ingenti pręda locupletatus eſt Miles, ac Imperator ex Vexillis innumeris pulcherrimum, quod Kodkevicius egregius, & nobiliſſimus juvenis in ipſo ardore pugnæ à Signiferi manibus per vim rapuerat, ſepoſuit Sanctiſſimo Principi conſecrandum, ut frueretur argumentis Victoriæ, ipſi meritò tribuendæ. Allatum ad Urbem à Nobili Nuncio, cum Hìc ſolemni gratiarum Hymno decantato in Pontificio Sacello, feſtoque plauſu dato ab Ælia Mole, diploſis tormentis, exultans excepit, plurima ſcitari dignatus, & auguſta manu tangere, ſupra fores dein-

dè Vaticanæ Basilicæ, in parte quæ Templum interiùs respicit, jussit affigi.

De hac Victoria hæc notavi ex Diariis Pontificiis. „ Die 15. Decembris feria sexta. Ex literis Poloniæ habuimus nuncium de insigni Victoria habita ab „ Exercitu Polono Joanne Sobiesko supremo Regni Marescialło, & Exercitus „ Duce contra Turcas apud Cocinum, arcem munitissimam debellatos die 11. „ elapsi mensis in festo Sancti Martini.

„ Die 17. Decembris Dominica tertia Adventus Missam cantavit in Sacello „ majori Palatii Quirinalis Eminentissimus Cardinalis Nerlius, cui interfuit Sanctissimus Dominus Papa, quæ Missa canenda erat de more, & post hanc voluit „ Sanctissimus Dominus dare signum lętitiæ, Hymno *Te Deum* cantato; in Arce „ Sancti Angeli circa horam prandii occasione dictæ Victoriæ explosa sunt multa „ tormenta &c.

XXI

CVNCTIS PATET INGRESSVS.

CEntumcellarum Portus cum Epigraphe CVNCTIS PATET INGRESSVS scilicet tributo quodam, Navibus antiquitùs imposito, à Clemente remisso. Sic liberior cunctis Nationibus patuit, qui antea quodam modo clausus fuerat. Hujus beneficentiæ ultimo anni Regno ostensæ testis est nummus propositus.

XXII

VT ABVNDETIS MAGIS.

NUmmus hìc in usum pecuniæ cusus anno 1672. argenteus fuit ejus generis, quod decem juliis cum dimidio æquivalet, non differt à numismate XIX. à quo Ceres cum eodem lemmate, nisi quod hic Navim demonstrat in Portu Centumcellarum Annona refertam, qua providus Pontifex Romano Populo providit.

XXIII

VIVIFICAT, ET BEAT.

SEnem captivum in carcere lac sugentem è nudato mulieris ubere videmus in numismate, quo pietatem Clemens erga Populum sibi subditum exercebat. Picturam plerisque in tabulis coloribus expressam non infrequenter vidimus, eamque narrat Valerius Maximus libro 5. memorabilium cap. 4. agens de pietate in parentes his verbis: *Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud Tribunal suum capitali crimine damnatam triumviro in carcere necandam tradidit. Quo receptam is qui custodiæ præerat misericordia motus non protinùs strangulavit. Aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret, dedit, existimans futurum, ut inedia consumaretur. Cum autem jam dies plures intercederent secum ipse quærens quidnam esset, quod tamdiù substentaretur, curiosiùs observata filia animadvertit illam exerto ubere famem matris lactis sui subsidio lenientem. Quæ tàm admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad triumvirum, à triumviro ad Prætorem, à Prætore ad Concilium Judicum perlata, remissionem pœnæ mulieri impetravit. Quò non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ in carcere servandæ genitricis novam rationem invenit. Quid enim tàm inusitatum, quid tàm inauditum, quàm matrem natæ uberibus alitam? putaret aliquis hoc contra rerum naturam factum, & si diligere parentes prima naturæ lex esset.*

Idem de Pietate Perus existimetur, quæ patrem suum Cimona consimili fortuna affectum,

XXI



XXII



XXIII



XXIV



XXV



XXVI



XXVII



XXVIII





affectum, parique custodiæ traditum jam ultimæ senectutis, velut infantem pectori suo admotum aluit. Herent, ac stupent hominum oculi cum hujus facti pictam imaginem vident, casusque antiqui conditionem præsentis spectaculi admiratione renovant in illis mutis membrorum lineamentis viva, ac spirantia corpora intueri credentes, quod necesse est animo quoque evenire, aliquanto efficaciori pictura literarum, vetera pro recentibus admonitos recordari. Nos in pietate Clementis recentia pro veteribus intuemur. Ille enim cum Italia terræ motu contremuisset, plurium Civitatum passa esset excidium, Ariminum Templorum ruinam, ædium multarum solutionem, Civium stragem, quibus jacuit penè in seipso sepultum, omnia tamen brevi, & ad meliorem formam restituit auro Pontificio ex ærario liberalitèr erogato.

✠ XXIV ✠

PER ME VITA, EXTRA ME MORS.

Religionis Christianæ typus, seu Ecclesiæ Romanæ symbolum intuemur; huic qui nomen suum tribuit, & mores conformas, vitam consequitur æternam, mortem verò qui longè ab ea vagatur. Christus enim ejus Caput *Via, Veritas, & Vita* est. Ideò Ecclesia dicitur Navis, (ut in pluribus numismatis observavimus) quia sicut extra Navim, sivè Arcam Noe regnante Diluvio nullus vitam obtinuit, ità nullus extra Ecclesiam Salutem consequitur, undè Divus Hieronymus in cap. *quoniam vetus* dicit. *Si quis in Arca Noe non fuerit peribit regnante diluvio*, & Beatus Gregorius in Moralibus. *Sola Ecclesia est, quæ intra se positos valida charitatis compage custodit, unde aqua Diluvii Arcam quidem ad sublimia sustulit, omnes autem quos extrà Arcam invenit extinxit*. Bonorum animos confirmare hoc numismate studuit Clemens in fide, malos autem à via perditionis revocare.

✠ XXV ✠

TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM.

Verba hæc olim Christus protulit Divo Petro apud Sanctum Matthæum cap. 16. vers. 18. eadem pro lemmate exculpta sunt in circuitu numismatis, in quo Divus Petrus claves habet, à Christo receptas. Primatum ejusdem Apostoli in Ecclesia hoc facto, ipsisque verbis significari omnes Scriptores docent, quod autem ille non solum aliorum Apostolorum Princeps fuerit, sed in totum Christianorum Orbem Principatum habuerit, tam scripturarum sacrarum testimoniis quam rationibus facile ostenditur. In cap. vltimo Joannis Christus Petro ait. *Simon Joannis pasces oves meas*, inter has & illas non distinguendo sed universas ejus curæ commendat.

Quamvis ex Apocalypsi 21. dicatur murus Civitatis, idest Ecclesiæ *habens fundamenta duodecim*, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum, & hoc quia omnes Apostoli fundaverunt Ecclesiam in fide, & doctrina Christi; nihilominus singulari quadam prærogativa Beatus Petrus post Christum fuit, & dictus est *Ecclesiæ fundamentum*, unde Matthæi 16. ità Christus singulariter Petro loquitur, *Ego tibi dico Petre, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, multas rationes exponit Turrecremata lib. 2. cap. 46. quibus Patres probant fundamentalis petræ nomen tribui Petro. Inter alias est, *quia primus in nationibus fidei*

fidei jecit fundamenta, ut inquit Ambrosius in cap. fidelior, sivè ut inquit Beatus Anacletus in cap.in novo distinct.21.*Primus ad fidem Virtute suæ prædicationis adduxit, verboque instituit. Ipse enim Apostolus Petrus primos Judæos, primos Gentiles post Christi Ascensionem ad Christi fidem convertit*.

Item Leo Papa in serm. 3. ordinationis suę pertractans illud Matthęi 16. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus*, ità pulchrè ad propositum loquitur, ego dico tibi, *hoc est sicut Pater meus manifestavit divinitatem meam, ità & ego notam facio tibi excellentiam tuam, quia tu es Petrus, idest cum, ego sim inviolabilis petra ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo potest ponere aliud tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria sint tibi mecum participatione communia*, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non pręvalebunt adversus eam, *super hanc* (inquit) *fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ Cælo inserenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget*. Hæc, & similia suo numismate Clemens Decimus confirmavit.


XXVI

ROMA RESVRGENS.

IN alio numismate Apostolorum Princeps exhibetur matronam humi dejectam erigens cum antiqui Vespasiani Epigraphe: ROMA RESVRGENS in argumentum studii, quo flagrabat Clemens, ut Urbem Divi Præsides felici sorte donarent.

In nummo Galbę Roma est Amazonis forma cum victoriola, & hasta, cui aquila insidet, apposito lemmate ROMA RENASCENS. Talis dicitur, quia Neronis tirannide oppressa renasci, & resurgere sub Galba videbatur.

Hoc etiam de Clemente Decimo possumus interpetrari; si ad memoriam revocemus qualis, ineunte Pontificatu Clemente, status Urbis fuerit. Nemini aures non occupavit, dum sacra Comitia peragerentur, videlicet non exoptandum ea tempestate regimen Christianæ rei, eo præsertim nomine, quia cum ob Cretense bellum, aliasque causas summa inopia coflictaretur ærarium, necessario novis obruendus vectigalibus populus esset à Principe, aut ipse quotidie si novum es alienum contraharet, fraudare cogendus esset plurimos parte fœnoris, qui pecunię caput in publicam gazam contulerant. His adde summa rei frumentariæ inopiam, qua laboravit Italia. Ipse tamen his modis generose occurrit, & primò quidem novis non obrutum, antiquis ex parte oneribus Populum liberavit. In summma inopia Urbi & Ditioni Pontificiæ copiam Annonę servavit, & vix illo renunciato Pontifice, visa sunt illicò ità prospera rerum evenire, perinde ac si Principi plauderent Superi, & pulcherrima spe Mortales erigerent.



ARTE

XXVII

ARTE MEA BIS IVSTVS.

SImile numiſma proferens P. Molinetus his verbis illud explicat „ Hęc mulier monetam ſignificat , quæ ſtatera manu dextera ſuſtinet , læva „ autem cornucopię geſtat. Certum eſt quidem lemma hic appoſitum „ ARTE MEA BIS IVSTVS , ipſumque typum à nummo Ludovici XIII. Galliarum „ Regis eſſe deſumptum , qui ideò bis juſtus in ſua moneta dictus eſt , & quod „ juſti titulus illi fuerit adſcriptus, & quia nummi ejus auri juſti fuerint vulgò „ appellati gallicè *des juſtes* ; ſed quo ſenſu Clementi Pontifici id conveniat, & qua arte monetę bis juſtus prædicari poſſit me omninò latere fateor . Pag. 202.

Dominus verò Joannes Baptiſta Palatius prò ejuſdem numiſmatis elucubratione hęc protulit . „ Anno 1673. Romam venit miſſus à Duce Moſcovię pro „ ineundo fœdere cum Chriſtianis adverſus Turcas , qui Sarmatas bello vexa- „ bant,verùm cum Moſchus tumidus titulo Cęſaris ſalutari exigeret Dominum „ ſuum , præter munera , quæ generoſe Pontifex contulit, vacuus rediit , etiam „ reſponſo SIC ARTE MEA BIS IVSTVS , juſtus negando Moſcho titulum , juſtus tribuendo Cęſaris titulum Imperatoris , hactenus ſuprà laudatus auctor . Hanc tamen non eſſe genvinam interpetrationem numiſma ipſum docet . Hoc enim anno 1670.ſcilicet primo Pontificatus Clementis percuſſum fuit,Moſchus autem , ut ipſe Dominus Palatius fatetur Romam venit anno 1673. quo igitur pacto bis juſtus circà Moſchum celebratur in numiſmate, biennio ante vulgato ? Alias rationes cur talis epigraphes inſcribi potuerit in numiſmate curioſus Lector excogitet .



INTER-

XXVIII

INTERCEDITE PRO NOBIS.

IN explicatione numismatis vigesimi victoriam diximus à Polonis relatam contra Turcas, & Cocimi munitissimæ arcis expugnationem, cui Clemens aurum, & preces contulit plurimas. Ejusdem victoriæ aliud monumentum habemus in præsenti numismate, imaginibus Sanctorum Petri, & Pauli insignito, cum inscriptione INTERCEDITE PRO NOBIS. His Ecclesię, & Romanæ Urbis patronos assiduè exorabat Clemens, ut eorum intercessione de tirannica perfidia triumphum referrent Catholici milites, quo obtento eorum sepulchro Turcaum signa sibi oblata tamquam trophęum sacravit.

Alia numisma reperiuntur à Clemente X. percussa, sed in usum pecuniæ, quę ferè omnia ejus pietatem, ac Religionem explicant, inter cætera præcipua illa sunt in quibus Regium Psaltem effinxit, alteri eorum lemmate apposito NE PROIICIAS ME IN TEMPORE SENECTUTIS alteri verò SATIABOR CUM APPARUERIT GLORIA TUA. Inhians enim immortalitati, ac perituri Regni pertæsus optimus senex provolutus in genua ante Deum ita tuo funeri præludebat. Quamobrem numismatum Clementis seriem typo christianæ Spei Cælum anhelantis clausimus, ne paginam aliquid otiosum, vel vacuitatis turpitudo occuparet.



INNOCEN-

I



II



III



IV



V




VI



VII



VIII



IX



X



XI



XII



XIII



XIV



XV



XVI



XVII



XVIII



XIX



XX



INNOCENTII XI. NUMISMATA.

I

INNOCENTIVS XI. PONTIFEX MAXIMVS.



Nte explicationem numiſmatum, quæ regnante Innocentio XI. in lucem prodiere ejus effigiem de more præmittimus ex uno illorum acceptam.

Antequam Pontifex eligeretur vocabatur Benedictus Odeſcalchus, qui ob inſignes ejus virtutes tali dignitate digniſſimus à Purpuratorum Senatu judicatus fuit antequam Clemens X. eligeretur Pontifex, demum renunciatus die 21. Septembris anno 1676. die 4. Octobris Divo Franciſco Aſſiſiati Sacra, triplici Diademate exornatus fuit, & die octava ejuſdem Menſis Solemni comitatu Baſilicam Lateranenſem adivit, in qua minoribus portis, majori januę proximis duæ inſcriptiones imminebant à P. Carolo Bovio in Romano Collegio Rhetoricæ facultatis Profeſſore eximio concinnatæ, ſcilicet propè Portam, quæ Sancta dicitur hæc legebatur.

ADES E CÆLO MAGNE CONSTANTINE
ET IN HOC BASILICÆ TVÆ VESTIBVLO
INNOCENTIO XI.
INTRANTI LÆTVS OCCVRRE
REDDITVM ECCLESIÆ LIBERATOREM TVVM
GAVDEBIS ESSE SILVESTRVM
QVI VACVIS TELLVRE MANIBVS.
CLAVES CÆLI SANCTISSIMAS
MVNDE TRACTANS
EX HONORE TERRARVM SVMMO
SVMMVM MODO CVRARVM ONVS ASSVMENS
ARDORE IN DEVM,
STVDIO IN POPVLVM
DECRETIS, MONITIS, EXEMPLIS
AQVIS SANE CÆLESTI E FONTE LVSRALIBVS
NON VNVM MORBO CORPORIS
ELEPHANTIA IMPERATOREM,
SED TOTVM ANIMI LABE, VITIIS
CHRISTI PVRGET
IMPERIVM.



Supra aliam.

NOVVM A DEO SPONSVM
E VETERVM TYPO INCORRVPTO PONTIFICVM
DATVM TE SIBI INNOCENTI XI.
VERO EXCITA GAVDIO
ECCLESIA EXCIPIT, ET ADORAT.
SEDENS ENIM IN DEI THRONO VICARIVS
RELIGIONE, IVSTITIA, CHARITATE,
NASCENTIS OLIM ECCLESIÆ
VETERA NVNC FACIS OMNIA
ET SIC OMNIA FACIS NOVA
HOC ECCLESIAE VERVM EST GAVDIVM.

Maximæ januæ hæc imminebat.

INGREDERE INNOCENTI XI.
VNIVERSÆ PASTOR ECCLESIÆ, VERE BONE
QVIA TESSERA CHARITATIS, ET MVNERE
DVM TANTO IN OVILI
QVÆ TVA SVNT NON QVÆRIS, AT EROGAS
NON TVIS PASCI OVIBVS
SED OVES PASCERE TVAS VENIS
ET CVRIS ADHVC OMNIBVS
IMPENSVS VSQVE REGIMINI
TVAM PLANE ANIMAM PRO TVIS OVIBVS PONIS
HAC SI NVLLA MAIOR EST CHARITAS
NEC TE PASTOR INNOCENTI SIT MELIOR.

Heroica etiam ſymbola, & inſcriptiones ejuſdem Authoris Sacroſanctam Lateranenſem Baſilicam exornabant. Typis vulgata in libro cui titulus Rhetoricę Suburbanum Auctor ipſe recenſuit. Defuerunt in via triumphales arcus, quos erigi juxta conſuetudinem à Populo Romano modeſtiſſimus Princeps non permiſit, ſed Urbs tota feſtivas voces ingeminavit, quibus Sanctiſſimo Pontifici plaudebat, ſibique gratulabatur.

II

INNOCENS MANIBVS, ET MVNDO CORDE.

INſcriptionem huic numiſmati inſculptam à Pontificis modeſtia improbatam fuiſſe narrat Pater Molinettus, verùm quam appoſitè addita fuerit ejuſdem Pontificis virtutes enarrant; Innocens enim non ſolum nomine, ſed manibus, ac mundo corde, aſcendit in montem Domini (ideſt in Vaticanum,) *Stetitque in loco Sancto ejus*, ideſt in Cathedra, quam Deus Petro, ejuſdemque Succeſſoribus addixit, tamquàm primam ſedem, & Eccleſiæ fundamentum.

Antequam eam ſedem conſcenderet ſui Cenſor acerrimus nomen aſſumere voluit, non ſolum ut Innocentii X. à quo ſacra Purpura fuerat inſignitus memoriam gratus revocaret, ſed ut cum honore nominis oneris recordaretur impoſiti quamobrem Innocentiam morum ubique promovens, ne honeſtas periret in templis, priſcum Sancti Lini Pontificis decretum renouavit inhibuitque fœminis nudo pectore Eccleſiam ingredi. In Xenedochio etiam Sanctiſſimæ Trinitatis, ubi Mendicantes hoſpitio recipiuntur, cum plures ob anguſtiam cogerentur in eodem lecto cubare ob inopiam puluinarium, Charitatem volens pudicam, tantam auri copiam erogavit ad ea comparanda, ut ſinguli honeſte cubarent, & commode:

Cum

Cum illum in Basilicam Vaticanam post electionem, seù in Lateranensem die possessionis humeris hominum evectum numisma repręsentet talem ritum perscrutandi se se præbet occasio. Palatius pag. 9. & 11

De sella gestatoria, supra quam aliquis sedens humeris aliorum defertur, quæ etiam *Sellare*, seù *Sellarium* dicitur, passim mentio fit apud priscos authores, nempè apud Plinium lib. 7. cap. 48. Livium libro 10. Dionysium Halicarnasseum, lib. 3. & 5. Suetonium lib. 2. & Plutarchum lib. 2. plurimosque alios, & licet Sellę, de quibus loquuntur curribus imponi mos esset, interdùm tamen à Sellariis humeris sublimes portabantur, ut scribit Procopius loquens de Belisario triumphum agente. *Belisarius* (inquit) *Curuli Sella humeris Captivorum inuectus est*. Lib. de Bell. Vandal. 2.
Apud Romanos etiam Ethnicos Pontifices Maximi eo Sellæ genere utebantur perindè ac divinum quid repræsentaret, unde Pierius Valerianus scripsit; *Nullum umquam Sella sublimiùs, neque augustius, neque venerabiliùs est habitum, reliqua enim ad humanæ tantùm amplitudinis decus facere videntur, hoc ad Diuinæ propemodùm majestatis honores proximum accedit*. Lib. 43. Sed hæc levi tantum calamo perstringimus, quia parum conferunt ad nostrum institutum, qui ritum gestandi supra humeros Romanum Pontificem inquirimus. Sunt, qui referunt ad tempora Stephani Pontificis III. qui Secundus dicitur, vixitque Sæculo octavo. Ita Polidorus Virgilius de rer. invent. ait „ Romanus Pontifex humeris hominum circum„ fertur, hoc inde natum quidam arbitrantur, quòd Stephanus II. ut Populo Ro„ mano ob insignes animi virtutes, vitæque integritatem charissimus, statim fa„ ctus Pontifex, humeris omnium præ gaudio exultantium fuerit sublatus, at„ que in ædem Servatoris ad Lateranum deportatus. Fulcitur hæc opinio auctoritate Anastasii, asserentis *Cunctum Dei Populum congregatum intrà Venerabilem Basilicam Sanctæ Mariæ ad Præsepe, misericordia Dei Genitricis Mariæ petita, bono animo, & consona voce Stephanum Pontificem elegisse, eumque omnes cum laudis præconiis in Basilicam Salvatoris deportasse*, quod optimè intelligens cum Platina Ciacconius in vita ejusdem Stephani his verbis clarius expressit. „ Stephanum „ Diaconum Pontificem acclamarunt, humerisque omnium in Basilicam Salvato„ ris, quæ etiam Constantiniana dicitur, deportarunt. Majorem Antiquitatem „ indicare conatur Macrus in suo Hierolexico, exprimendo Imaginem S. Julii Papæ hujus nominis Primi in curuli Sella ad similitudinem antiquorum Præfectorum Urbis, quas Pancirolus typice affert in notitia Imperii. Pag. 558. Vivebat enim Julius anno 350. verùm cum Sella illa rotis instructa sit, in eo genere haud fuisse judico, in quo Sellæ gestatoriæ numerabantur. Eam tamen mentionem facit Ordo Romanus antiquissimus, qui à P. Mabillonio inter omnes à se publica luce donatos primo loco ponitur, asseriturque, Sęculo nono esse superior. In eo sub numero quinto hæc verba leguntur. *Cum verò Ecclesiam introierit Pontifex, non ascendit continuò ad altare, sed prius intrat in secretarium sustentatus à Diaconibus qui cum susceperint de Sellario descendentem*. Imò ad tempora Divi Petri Apostolorum Principis, primi Pontificis referendum talem morem existimat gravissimus Scriptor Ennodius Episcopus Ticiensis, qui unus multorum instar esse potest. Vixit Ennodius temporibus Symmachi, & Hormisdę Pontificum, scilicet in fine quarti, & initio quinti Sæculi. Is in Apologetico libro, quem composuit anno 503. adversus eos, qui contra quartam Synodum Romæ habitam à Simmacho Papa scribere usi sunt hæc prope finem adiecit. *Ecce nunc ad gestatoriam Sellam Apostolicæ Confessionis uda mittunt limina candidatos, & uberibus gaudio exactore collato Dei beneficio dona geminantur*. Quæ verba sic eruditè explicat Illustrissimus Phebæus, quid enim per *uda limina*, nisi extrema Sacri Baptisterii madida labra, vel supremos gradus Vaticani Fontis, in quo tunc regenerandos immergere, ritus Baptismi ferebat, Ennodius intelligit, *candidatos* verò quos, nisi nuper ablutos aqua Baptismatis appellat, quos Christo renatos illico ad venerandam Petri Cathedram flentes præ gaudio mittere consueverat, ut præstita ab illis humili subiectione Magistræ veritatis, Deique Arcanorum interpetri dona in Baptismate nuper ipsi collata Dei ipsius beneficio geminarentur.

Nec sanè potuisset Ennodius elegantius cethedram Vaticanam paucis delineare, quàm eam appellando *Sellam gestatoriam*. Illa enim ad usum gestatorię Sellę

procul dubio affabre facta cernitur, habens in utroque latere duplicia manubria ferrea hastis portatilibus immittendis apposita; fuit præterea lignea, ideoque portatilis.

Eumdem morem indicat Ambrosius Novidius in fastis à se carmine descriptis, ubi hec habet loquens de Divo Petro.

Sedeque suscepta collumque, & pectora lassant
Illa fera, ingreditur tectaque celsa subit.
Excipitur plausu, & velata frondibus ara
Ponitur & summo cum patre sella loco
Oscula dant pedibus, spectant, adeuntque sedentem
Et sancta accipiunt prospera signa manu.

Ritus autem hic sustollendi supra humeros Pontificem non est quidem fastus vel superbiæ nota, ut temere novatores inficere conantur, sed ad Mysterium Pastoralis vigilantiæ hoc agi affirmat supracitatus Macrus; nam quid aliud nomen *Episcopi*, quam superinspectorem, ac invigilantem curæ græcè sonat. Hac de ratione adhùc habemus in Gallia plures Episcopos, & Archiepiscopos in eorum ingressu à quatuor insignioribus Dinastis deferri, nempè Bourgensem, Pictaviensem, Turonensem, Augensem, & alios. Ergo dum Papa, tamquam Episcoporum Episcopus ab universo Christiano grege colitur, consonum equidem est, ut eminentiori Sella deferatur, & à nobis ejus subditis, tamquam fidei Pharus videatur. Eamdem sententiam confirmat Joseph Stevanus Valentinus Doctor in disputatione de portatione Romani Pontificis Gregorio XIII. oblata, qui hoc fieri arbitratur, ut Populum, ovesque Christi sibi creditas circumspicere possit, eisque fausta precatione benedicere, & Populus rursus illum sublimi loco præsidentem commode spectare, & ex vultu suum pastorem queat agnoscere, ut indè protestationem Fidei concipiat maximam, quoties aspicit Christi Vicarium, & Petri in eo Throno gloriæ Successorem.

Pag. 119.

Nec mirùm, si Pontifex, qui caput est Catholicorum Fidelium deferatur, non per Dynastas, sed ab infimis de sua familia, & hoc tantùm in solemnioribus diebus, cum ipse solemniter celebrat maxime onustus Pontificalibus ornamentis, nec in Ecclesia posset sic equitare, nec pedibus incedere intra populi multitudinem, nec ab eodem populo, quem benedicit, posset conspici, accedente etiam gravi senecta, in qua fere Papa ad Pontificatum promovetur.

III

DE CAELO PROSPEXIT.

Typus est Justitiæ, quæ regnante Innocentio XI. DE CAELO PROSPEXIT; Innocentius enim etiam ante Pontificatum Congregationibus adscriptus justitiam tanta religione coluit, ut tribunalia veluti altaria conscenderet. Pro Causa Civili commendationes nunquam legit oblatas, nec suscepit, cæcam esse justitiam affirmans, quæ non considerat personam pauperis, nec honorat vultum potentis, merita respiciens, non personas, ignotas sæpè suffragante virtute promovit nomina audiens ambientium canonicatus cum literis commendatitiis, cum aliud audiret nomen sine illis, interrogabat quinam illud commendaret, respondente à secretis *nemo, licet idoneum*, subjungebat *hunc nos commendamus*. Contra ambientes frequens etiam erat ejus excusatio. Quòd Deum præ oculis habens respicere non posset commendationes hominum. Hæc alia sæpè dicere solitus. *Judex æquitatem respiciat, discrimina non timeat, ex his enim Deus humanæ consulit saluti. Quid magis sacrilegum, & horrendum spectari poterat, quam Filius Dei Crucifixus? Et tamen inde Salus generis humani. Magnates semper quidem audiendi, sed non semper exaudiendi, si à disciplina deficiant Ecclesiastica, ne insolescant tumidi, & Hæreticis odiosos faciant Ecclesiasticos.* Pluribus hæc dicta factis comprobavit Innocentius, quæ uberem scribendi materiem historicorum calamis suppeditabunt.

VNDE

IV

VNDE PENDET.

RAriſſimum hoc numiſma ab incerto auctore vix in lucem editum Romæ vidi: mulierem corona redimitam oſtentat, digitum bilanci admoventem, quam aliger ſuſtinet, & lemma his verbis conſtat VNDE PENDET. Quid author hac pictura, & tali lemmate indicare voluerit, quod ad Innocentium XI. referri meritò poſſit, fateormea conjectura aſſequi non potuiſſe. Quamobrem perſpicaciori perſcrutandum propoſui.

V

CLAVES REGNI CAELORVM.

NIhil peculiare continet numiſma, quod uberiori elucubratione indigeat, quàm in ſuperioribus numiſmatis expoſuimus circa claves Divo Petro traditas à Redemptore, in quibus Pontificia poteſtas ſignificatur, quamobrem ad alia pergimus.

VI

EGO SVM PASTOR BONVS.

VII

NON QVAERIT QVAE SVA SVNT.

PAſtoris Symbolo ovem humeris deferentis, & typo mulieris binis infantibus ubera præbentis charitatem ſibi ipſi inculcabat Innocentius, quam erga oves ſuas exercere tenebatur, ut enim illa ſcribente Divo Paulo I. ad Corinthios cap.13. NON QVAERIT QVAE SVA SVNT, ſed aliorum, ità Innocentius etiam antequam in Summum Pontificem eligeretur ſummo ſtudio illam exercuit. Venerat ille Legatus Ferrariam eo tempore, quo frumenti inopia magnopere vexabat Provinciam. Quantùm in eo confideret Pontifex, ejus elogium abunde probat, cum diceret: *mittimus Patrem Pauperum*, ibi cum navis appuliſſet frumento onuſta, ære ſuo pauperibus alimenta largè ſubminiſtravit. Epiſcopus Novarienſis anno 1650. cum paſtor eſſet, non mercenarius, ſed liberalis, pauperibus non ſolùm redditus diſtribuebat Epiſcopatus, ſed patrimonium fraternum, quod erga Chriſtum, & pauperes non eſſe diviſa hæreditas videretur: ſunt in Cathedrali Novarienſi aurei calices, candelabra argentea, pretioſa ſupellex ad ſacra peragenda, ornatus templi, picturæ, quibus tholum, & chorum templi exornavit, omnia abſque nomine, & inſignibus, ut jactantiàm declinaret. Reſignato Epiſcopatu Novarienſi, quatuor millium coronatorum ſibi penſionem reſervavit, ſed pauperibus diſtribuendam illius diœceſis, cui elemoſynam æqualem adjecit. *Jo:Bap. Palat. tom. 5. pag.6.*

Pontifex Summus creatus, aulæ reformatione ſuſcepta, primò voluit, ut Excellentiſſimus Dominus Livius Odeſchalcus ex fratre nepos viveret more privati, & ſi ſolis bonis patrimonialibus vivere more Principum poſſet, illum die ſuæ electionis ad ſe evocatum monuit, ut inpoſterum jis contentus quæ illi paterna hæreditate Deus abundè contulerat, non dignitates ambiret: viro gratias agenti pro dignitate collata nomine cujuſdam Magni Principis, ac tutelam ejus offerenti perpe-

perpetuam Domus Odeſchalchæ reſpondit *ſibi domum non eſſe, nec tectum*. Dignitatem contuliſſe, ut juſtitię ſatisfaceret. Menſę ſuę pompam ſubtraxit, cupiens vivere, non more Principis, ſed modeſtia Sacerdotis, menſam frugalem voluit ut perſimonia ſua Sanctorum Pontificum renovaret exempla

Idem pag. 13.

Cum vectigalia auferre non poſſet ob debita Cameræ Apoſtolicæ ingemuit ope tamen fretus ſuperna, multis nummorum millibus ſolutis, exoneravit Populos impoſitionibus ob milites conſcribendos, & vectigali carnium, aliiſque gravaminibus Urbes tenebantur, & ad Cenſus extinguendos exhauſtis Urbium, & Oppidorum ęrariis pari munificentia pecuniam ſubministravit, & imminuta, à ſe centum, & amplius aureorum millibus, Vectigalia nova detractione leviora reddidiſſet, niſi vis morbi, temporum conditio, & humanæ glorię, ac laudis contemptus ejus charitati obſtitiſſet, ut non obſcurè ex ultimis illius verbis, quę morti proximus protulit licuit colligere.

D. Schelestrat. in orat. funebri

Civitates, que motu terræ concuſſę in Æmilia, ac Regno Neapolitano penè dirutæ jacebant, reſtituit, datis centum, & quinquaginta millibus nummorum in ſubſidium diſtribuendis, onera indè omnia Flaminiæ remiſſa ad decennium, quare meritò feretro hęc inſcriptio appicta fuit.


AMANTISSIMVS PVBLICI BONI,
ET PROPRII CONTEMPTOR
OPTIMVS INNOCENTIVS CHARITATEM ANNONÆ,
QVA CÆTERI CIRCVM POPVLI PRÆMVNTVR,
SENTIRE SVA PROVIDENTIA SINGVLARI NON SINIT.
GRAVATVM MAGNIS ONERIBVS PRINCIPATVM,
VT RELEVET DE PVBLICIS PROVENTIBVS
AVLICIS PARVM ATTRIBVIT
MINIMVM SIBI,
NIHIL SVIS.
QVAM TAMEN CÆTERI AMANT
FAMAM NOMINIS ADVERSATVS
IMMINVTORVM VECTIGALIVM GLORIAM NOLVIT
IPSE SIBI.
VT HABERE POSSENT
OPTIMI SVCCESSORES.



VIII

OPTIMO PRINCIPI ANNO VIII.

NUmiſma in honorem Innocentii XI. cuſum cum titulo OPTIMO PRINCIPI. Quàm bene illum ſibi demeruit Innocentius ſuperiora numiſmata probant. Ille enim optimus Princeps dicendus eſt, qui Paſtor, & Pater omnium exiſtit.



IX

NON DEFICIET FIDES TVA.

DIvum Petrum ſedentem in numiſmate expreſſit Pontifex, poſito pro lemmate Chriſti Vaticinio à Sancto Luca relato NON DEFICIET FIDES TVA. Voluit fortaſſe ſuam fiduciam confirmare, qua Deo fidens ab ejus immenſa bonitate omnia ſe obtenturum ſperabat, ac præcipue fidem Catholicam ſuo ſtudio incorruptam ſervandam eſſe. Quantum prę cibus Innocentii indulſerit

Deus

Deus, abundè dignosci potest, quòd fama ejus excitati Schismatici Orientales, & Basilius Archiepiscopus Samacensis ad mare Caspium obedientiam professus Sedi Romanæ, die 20. Aprilis 1682. operarios mitti rogavit ad instructionem Christianorum, qui sub dominio Turcarum jacent. Machdrinus Episcopus Samoutrensis prædicatores transmitti, & doctores ad docendos rudes, & ignaros Armenos veram, & sinceram Catholicæ, Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ fidem, quam cupiunt, & volunt profiteri, abjurato Schismate, & erroribus Armenorum, Euthimius Archiepiscopus Tyri abjuratis Græcorum erroribus Sacrosanctam, & Catholicam fidem profitetur, Romanam, promittens fidelitatem, obedientiam Summo Pontifici Innocentio XI. ejusque Successoribus canonicè electis, sedem confitetur Apostolicam Romanam, Pontificem gaudere primatu in universo mundo, Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, Christi Vicarium, Ecclesiæ caput, cui data est potestas, regendi, pascendi, docendi Ecclesiam Vniversalem, propterea rogavit Pontificem, ut eum in sua confirmaret Ecclesia. Joseph Patriarcha Caldæorum professus est fidem Catholicam Romanam, obedientiam solvens Innocentio cum subscriptione *Dei Omnipotentis gratia pauper Joseph Patriacha Chaldæorum*.

Cum multi abuterentur oratione mentali,&sub prætextu orationis quietis prava dogmata tum verbo,tum scritpo inveherentur contra doctrinam SS. Patrum, &Fideles à vera Religione,&Christianæ pietatis puritate in noxios, &turpes errores inducerentur duce quodam Michaele de Molinos,hujus insanam doctrinam hereticam, scandalosam, erroneam, blasphemam, in sexaginta octo propositionibus damnavit die 28. Augusti anni 1687. ex assistentium Cardinalium Sanctæ Inquisitionis consilio, Confessione accedente ejusdem Molinos, rei convicti, & quamvis pœnitentis ad carceres pro salutari pœnitentia damnati; lectæ sunt illæ publicè Romæ in Templo Sanctæ Mariæ suprà Minervam præsentibus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Romanæ Curiæ Prælatis, universoque Populo per concessionem Indulgentiarum convocato, coram eodem Molinos, qui in habitu pœnitentis aderat in sugestu die 3. Septembris 1687. Die Jovis etiam damnati sunt Antonius Maria de Leonibus, ejusque Socii.

Cæterum patet, quamvis Sectarii audeant asserere, Ecclesiam hisce nostris temporibus contaminatam esse, ac corruptam, eò quod Christifideles non pauci mores corruptos habeant illibatam tamen sit Ecclesia in sua fide; ut enim habetur in Evangelio Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Quamobrem Cardinalis Peronius lib.2. Replicat. ad Regem Britanniæ observat.4. cap. 7. sic inquit, *quòd vita, & depravationes, de quibus Sancti conqueruntur, fuerint illa vitia morum, & humanæ conversationis, & nunquam prædicti depravationem Ecclesiasticæ doctrinæ repræhenderint, quoniam purificatio Ecclesiæ circà doctrinam non fuit unquam opportuna, si uti necessaria est respectu morum. Hinc usque ad extremum omnium sæculorum canit Ecclesia, nigra sum, sed formosa. Nigra siquidem quoad mores, formosa in doctrina. Diversa sanè ratio morum, & disciplinæ Ecclesiasticæ, quam multis modis lapsam esse diffiteri non possumus. Alia autem ratio est doctrinæ,& fidei Orthodoxæ, quæ sanè integerrima&, incorrupta mansit, & manet etiam in moribus corruptis,de qua Christus rogaui pro te Petre,ut non deficiet fides tua.*

✤ X ✤

ECCE HAEREDITAS DOMINI.

NUdos infantes dum mulier amplexatur in nummo, misericordiam, ac pietatem Innocentii XI. intellige. Semper ille cum virgines ditaret, familias pauperes aleret, peregrinos reficeret, publici beneficii occultum noluit Auctorem. Plura significari posset Cænobia, Templa, Domusque piæ quas suo reparavit ære, nisi eorum nomina taceri voluisset. Sileri tamen non debet hospitium, quod sanctæ Gallæ dicitur de qua hæc scripsit Sanctus Gregorius. *Mox ergo ut ejus maritus defunctus est,abiecto sæculari habitu, ad omnipotentis Dei ser-*

Dei servitium se se apud Divi Petri Apostoli Ecclesiam Monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis, atque orationi dedita, larga indigentibus elemosynarum opera impendit.

Eo igitur in loco, ubi nobilissima hæc mulier Simmaci Consulis filia ædes paternas incolebat, hospitium celebre est, (cui Rector præerat regnante Innocentio XI. Marcus Antonius Odescalchus genere conjunctus Pontifici, Sacerdos, morum sanctimonia egregius, quem sibi eleemosynarium delegerat) in quod recollecti pauperes omni genere juvabantur humanitatis, ac frequenti subsidio, & jam ad lautitias sæpissime erogato reficiebantur ab Innocentio semper in pauperes liberali.

Illæ moriturus Excellentissimo Nepotis Livio Odeschalco onus imposuit solvendi centum millia scutorum ad pias causas, quas ipse designaverat. Mandavit etiam, ut ex ærario Pontificio restituerentur Monti Pietatis centum, & decem septem millia scutorum, quæ ipse in pauperes distribuerat, decreto reposito in actis publicis per Protonotarium Apostolicum. *Hæreditatem Domini*, atque optimi Pontifici pro certo habens, esse *Misericordiam*.

Palat pag. 79.

✠ XI ✠

OMNIVM PATER OMNIVM VOTIS DATVS. ANNO DOMINI 1676.

ADeò clara est inscriptio, ut nulla indigeat explicatione, electionem Pontificis memorat, quam post quinquaginta dies omnium Patrum votis factam fuisse diximus, illum tanto munere dignum judicantium etiam antequam Clemens X. eligeretur.

✠ XII ✠

AQuilam alis expansis in aere ab aligeris circumdatam, qui insignia Pontificia manibus gerunt, sub eis Leonem cernis in numismate, quod nihil aliud significat nisi Innocentii XI. gentilitia stemmata, à privato viro eo ordine delineata, ut fortasse Cęli plausus ob ejus electionem in aligeris ludibundis exprimeret.

✠ XIII ✠

FIAT PAX IN VIRTVTE TVA.

Psal. 121.

VErba Psalmistæ usurpans Innocentius desiderium ostendit, quo flagrabat; ut inter Reges Christianissimum Ludovicum XIV. & Carolum II. Catholicum pax conciliaretur, ad eum finem misso Aloysio Bevilacqua, Patriarcha Alexandriæ Nimegam Urbem, in qua de re tota disceptandum erat, Pontificias literas addidit, quibus pacem suadere conatus est, Divinum Spiritum interim exorans, ut potenti sua virtute opus perficere dignaretur. Exprimitur ille in nummo sub columbæ specie, sicuti ipsa arcæ Nœmicę columba Sancti Spiritus fuit Symbolum. De illa Divus Hieronymus hæc ait. *Emittitur de Arca corvus, & non rediit, & postea pacem terræ Columba nunciat. Ita & in Baptismate Ecclesiæ teterrimo alite expulso, (idest Diabolo) pacem terræ nostræ Columba Spiritus Sancti nunciat*, & Sanctus Ambrosius libro de jis, qui misteriis initiantur. *Columba est in cujus specie descendit Spiritus Sanctus, sicut didicisti in novo testamento, qui sibi pacem Animæ tranquillitatemque mentis inspirat.*

Adversus Luciferianos.

DIVINÆ

XIV

DIVINAE NVNCIA MENTIS.

AQuila,Leo,&Crater, ſtemma gentilitium Pontificis Innocentii componunt Qui illud in numiſmate expreſſit Syderibus exornavit, eò quod inter Sydera ipſum ſtemma collocatum obſervaverit. In cælo enim ſtellifero aquilæ ſignum certo numero Stellarum compoſitum inter ſigna Septentrionalia numeratur, Leo in Zodiaco, Crater verò inter ſydera auſtralia.

Notum quippe eſt eruditis, cum Ægiptii ordinatiſſimos Aſtrorum exercitus aſſiduè contemplarentur, ſtupore quodam impulſos fieri non poſſe ſibi perſuaſiſſe, aut otioſum eſſe illud, quod tantis nuntiaretur oſtentis,aut infructuoſum,quod tam mirificis effectibus hic in inferiori mundo cuncta irradiatione ſua compleret. Hinc premiſſis multorum annorum obſervationibus cælum ſtelliferum univerſum in certas quaſdam claſſes diviſerunt,quasDeorum manſiones primò Ægyptii,deinde Græci *Aſteriſmos* ſeù *Iconiſmos* nuncuparunt, primò quidem duodecim Deorum principalium Choros Zodiaco incluſos, tamquam univerſi moderatores, utpote à quorum arbitrio, & diſpoſitione omnes inferiores mundi bonæ, malęve fortunæ ſortes dependerent, ut ipſi ſtulte opinabantur, unice coluerunt. His utrinque, tam in Boreali quàm auſtrali hemiſpherio, veluti ſubſidiarias quaſdam Deorum cohortes in varia officia diſtributas adjunxerunt; in Boreali quidem Typhonis Regno auſteras quaſdam, & ut cum Zoroaſtro loquar, implacabiles potentias, in auſtrali verò Oſiridis Regno humano generi benevolos, & ſummè faventes, veluti Borealium inclementiæ, & auſteritati oppoſitas collocarunt; hinc ut ad malorum averruncationem Boreales ſummo ſtudio placare contendebant, ita auſtrinas, quà ſacrificiis, quà ceremoniis, ſingulari induſtria inſtitutis, in ſuam cuſtodiam attrahere conati ſunt, quæ omnia fusè explicat Pater Athanaſius Kircherus in Obeliſco Pamphilio, atque hoc modo procedebant, non tantùm circa nati fortunam, ſed in jis, quę ſterilitatem, & fertilitatem agrorum, incrementum, & decrementum Nili, medicas electiones, itinerum, negotiorumque auſpicia concernebant. Totam ſiquidem fælicitatem, & infælicitatem humanam ex geniorum arbitrio dependere apprimè ſe noſſe ſomniabant. His Ægyptiorum veſtigiis inſiſtente ſydera expreſſa ab Authore numiſmatis dicta fuiſſe DIVINA NVNCIA MENTIS nullo pacto credere debemus, cum omnia hujuſmodi Ægyptiorum deliramenta jamdudum ab Eccleſia Orthodoxa, tamquam animarum perniciem, & exitium proſcripta ſint. Cur autem talia dixerit, peto à te Lector erudite, ut mihi ingnoranti aperias; quod ſi meam conjecturam afferre liceat potuiſſe dicam tali nomine vocari ſtemmata gentilitia Innocentii XI. ſyderibus exornata, ut ſcilicet Pontificis Summi munus exprimeretur, cujus eſt Divinæ mentis oracula enunciare, atque interpetrari. Suggerit hoc Beatus Petrus Damiani, qui in ſermone vigeſimo ſexto *linguam Cælorum* vocat Summum Pontificem, quorum verborum ſenſus eſt(ait PaterTheophilus Raynaudus) *hanc eſſe cortinā,è qua funduntur mortalibus Cæleſtia oracula de fide, & religione*. „Quamvis enim habeamus in Ca-„ nonicis ſcripturis, & in traditione Patrum Divina ſenſa, tamen in emortuis „ apicibus multa occurrere poſſunt implexa, & ambigua, quæ regulam fidei vi-„ vam, & terreſtrem divinorum Conciliorum internucium nobiſcum colloquen-„ tem depoſcunt, & hujuſmodi eſt Romanus Pontifex, & meritò proindè dictus „ *lingua Cælorum, & lingua Dei*, quo ad nos; affine eſt, quod Petrus Bleſenſis epiſtola 151. ſcribens ad Innocentium III. ſic pręter cætera eum affatur. *Lingua veſtra clavis Cæli facta eſt. Interpres Chriſti* etiam dicitur, & duplici quidem de cauſa, nam interpres dicitur qui voces unius idiomatis aliis incogniti transfert in vulgare idioma, notum jis, cum quibus agitur, & interpres etiam dicitur, qui rem implexam tametſi verbis vulgaribus expreſſam aperit, & manifeſtam facit de qua re plene ſupracitatus Raynaudus. An tale elogium tribuat propoſitum numiſma Innocentio XI. ſyderibus indicato Lector diudicet.

Kircherus tom. 2. Ædipi pag. 195.

Pag. 206.

✠ XV ✠

FECIT PACEM SVPER TERRAM

Num. 11. VErba hujus lemmatis leguntur in capite 14. libri primi Machabæorum, ubi dicitur, postquam Demetrius jussu Arsacis Regis Persidis captus, & in custodiam positus fuisset, *fecit pacem super terram, & lætatus est Isdrael lætitia magna, & sedit unusquisque sub vite sua, & non erat qui eos terreret*. Eisdem verbis paci proluditur, quę inter Cęsarem, & Regem Christianissimum firmata fuit Noviomagi in numismate indicata, Olivę ramusculo, quem aliger in nubibus ostendit viro, suas preces effundenti, ut eam impetret, quas preces fumo, è vase incensi egrediente, Auctor numismatis significavit, juxtà illud Psalmi 140. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*, quas preces assidue ad eum finem Innocentius cum lachrimis effundebat.

Ejus pacis tractatus conclusus, & signatus fuit die decima septima Julii anni 1679. promovente Pontificio Nuncio Illustrissimo Pręsule Bevilacqua Patriarcha Alexandrino, & quidem nomine Cęsareę Majestatis illum subscripsere Illustrissimus & Excellentissimus Joannes Episcopus Gurcensis Sacri Romani Imperii Princeps & consiliarius Imperatoris, & Dominus Theodorus Althetus, Henricus à Stratman Sacræ Cæsareæ Majestatis consiliarius, nomine autem Regis Chistianissimi Illustrissimus Excellentissimus Dominus Carolus Colbert, Eques, Marchio de Croissy Majestatis Christianissimi à consiliis. Continebat ejus Instrumentum sex articulos, quos relatos invenies in tomo secundo Theatri pacis in Germania impressi.

✠ XVI ✠

HABETO NOS FOEDERATOS, ET SERVIEMVS TIBI.

POntificem Summum Innocentium XI. Leopoldum Imperatorem Augustum, Joannem III. Polonorum Regem & Marcum Antonium Justinianum Venetorum Ducem quadruplex coronamenti genus in ara positum indicat, quam Spiritus Sancti sub Columbę specie fulgor irradiat. Eorum omnium vota refert inscriptio HABETO NOS FOEDERATOS, ET SERVIEMVS TIBI. In circuitu autem numismatis hæc alia leguntur verba AD MAIOREM DEI GLORIAM, ET ECCLESIAE SVAE INCREMENTVM. Cusum est, ut perenne monumentum existeret mutui fœderis, quod anno 1684. sancitum fuit coram Summo Pontifice inter eos Principes, ut contrà Turcas Christiani nominis hostes arma moverent, Innocentio Pontifice auxilia ferente, sicuti anno antecedenti fœdus initum fuit inter Cæsarem, & Regem Poloniæ, hortante ipso Summo Pontifice, cujus fœderis capitula, & Conventiones hic accipe.



Copia

Copia Capitulorum Sac. Fœderis &c.

Nos Leopoldus Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ Carinthiæ, Garniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Silesię, Wittembergæ, & Tecke, Princeps Suevie, Comes Hasburgi, Tyrolis, Terretis, Kyburgi, & Goritiæ Landgraviatus Alsatiæ Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac Superioris, & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavoniæ Portus Naonis, & Salinarum &c.

NOTUM testatumque facimus tenore pręsentium: quod cum quotidiana experientia compertum habeatur, potentiam Othomanicam, vel ideò Christianitati gravem atque in dies proficere quòd in commune minime consultum nec ullis ad propulsandum commune periculum armorum societatibus, & Fœderibus provisum sit: In pręsens quoque ea per universas in Europa Turcicas ditiones, ipsamque Asiam belli fiant præparamenta, quæ non nisi Populis Christianis, potissimum autem Nostro Hungariæ vicinoque Polonię Regnis possunt esse nociva, unde nec aliter eorum securitas consequenda videatur, quam si ad invicem ab immanissimi hostis aggressione prospiciatur, ablataque totis viribus recuperentur, stimulante pręsertim ad id paterna universalis Pastoris Innocentii XI. sollicitudine, qua jam aliquot ab annis pro Sacrosanctæ Fidei, & Religionis Zelo pro tot Populorum salute, Christiani nominis gloria Sacrum Fœdus ineundum efficacissimis institit adhortationibus. Quapropter perpendentes simul ipsam Turcarum perfidiam, quę nec dum elapso induciarum decursu, suscepta subditorum nostrorum tumultuantium protectione Regno nostro inhiat. Polonia quoque pacis paulò ante conclusę infractionem sentiat, & denique successive omnibus universale discrimen immineat, ordinavimus, & constituimus Plenipotentiaros Nostros Illustres, & Magnificos Nostros Sacrique Imperii Fideles Dilectos Carolum Ferdinandum Comitem à Waldestein Baronem in Swigan, Munchengraz Leutschin, & majore Augez Nostrum Consiliarium arcanum, Camerarium, & Augustissimę Imperatricis Viduę Eleonorę Dominæ Matris Nostræ amantissimę supremum Aulę Præfectum, Aurei velleris Equitem Legatum, & Joannem Christophorum Zierowskii liberum Baronem de Zierowa in Hennerstorff Geltenllorff, & minore Schottkau Consiliarium Ablegatum nostrum pridem in Polonia versantem, quibus vigore literarum nostrarum Plenipotentiarium secunda Mensis Januarii pręsentis Millessimi sexcentesimi octogesimi tertii Anni datarum plenam, & integram facultatem, ac potestatem concessimus, dedimus, & tribuimus, ut nostro, & Successorum nostrorum Regum Hungarię, & Bohemię, ac Archiducum Austrię nomine cum Serenissimo, & Potentissimo Principe Domino Joanne Tertio Rege Polonię Magno Duce Lithuanię Russię Prussię Massovię Samogitię Kiiouię, Wolhinię, Liuonię, Podolię Podlachię, Smolensciæ, Severiæ Czemiechoviæque, Ordinibusque Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ Deputatis ad id Commissariis Varsaviæ in loco Comitiorum Regni Generalium habitas conferentias post invocatum Divini nominis auxilium, pręviaque matura deliberatione in mutuas fœderum leges convenerunt eo quo sequitur modo, videlicet. Notum sit universis, & singulis quorum interest, & interesse quomodolibet poterit, quòd cum inter Serenissimum, ac Potentissimum Principem, ac Dominum Dominum Leopoldum electum Romanorum Imperatorem semper Augustum Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regem, Archiducem Austriæ, Ducem Burgundię Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ March. Moraviæ Ducem Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Silesiæ Wirtembergæ & Tecklæ Principem Sueviæ Comitem Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, &

Goritiæ, Landgravium Alſatiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac Superioris, & Inferioris Luſatiæ Dominum Marchię Sclavonię Portus Nahonis, & Salinarum ex una, & Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Principem, & Dominum Dominum Joannem Tertium Poloniæ Regem, Magnum Ducem Lithuaniæ Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſſoviæ, Samogitię, Wolhinię, Livoniæ, Kyovię, Podolię, Podalchię, Smolenſcię, Severiæ, Czerniechoviæque, Regnum, ac Rempublicam Polonam, Magnumque Ducatum Lithuaniæ ex altera parte de arctiore amicitia correſpondentia, & fœdere inter sè permutua Regnorum Provinciarum, ac ditionum ſuarum defenſione, ac ſecuritate ineundo ab aliquot retro annis actum, nunc verò metuendum ſit, ne vicina in Hungaria mala longius ſerpant, & cum primis altiſſime memoratarum ſuarum Majeſtatum Regna, & Ditiones corripiant. Idcircò utrinque placuit incœptum tam ſalutare opus per certos ad id concludendum ſpeciali Deputatos Miniſtros redordiri, maturare, ac perficere. Congreſſi itaque utrinque legitime conſtituti Plenipotentiarii nempe ex parte Sacrę Cæſareæ Majeſtatis Illuſtriſſimus, & Eccellentiſſimus Dominus Carolus Ferdinandus Comes à Waldſtein Baro in Swigan Munchengranz Leutſchin, & Majore Augez Sacrę Cęſareę Majeſtatis Conſiliarius, arcanus Camerarius, & Auguſtiſſimæ Imperatricis Viduæ Eleonoræ Supremus Aulę Præfectus, Aurei velleris Eques Legatus, & Dominus Joannes Chriſtophorus Zierowsky liber Baro Zierowa in Henverſdorff, & Minore Schottkau Sacræ Ceſareæ Majeſtatis Conſiliarius, & Ablegatus. Ex parte verò Sacræ Regiæ Majeſtatis Magni Ducis Lithuanię Regni, ac Reipublicę Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ Deputati Reverendiſſimi Excellentiſſimi; & Illuſtriſſimi Illuſtres Magnif. & generoſi Domini Domini.

Joannes Malachouski Epiſcopus Cracovienſis.
Andreas Potocki Caſtellanus Cracovień.
Staniſlaus Lubomiski Suprem. Regni Mareſchalcus.
Nicolaus Stephanus Pac Epiſcopus Vilnenſis.
Michael Padziecowski Epiſcopus Princeps Valmienſis, & Sabienſis Sacri Romani Imperii Princeps.
Staniſlaus Witnicki Epiſcopus Luvorienſis, & Breſtenſis.
Caſimirus Opalinski Epiſcopus Culmenſis, & Pomeraniæ.
Staniſlaus Wojenski Epiſcopus Camenacenſis.
Albertus Conſtantinus Breza Caſtellanus Poſnanienſis.
Georgeus Vielohurski Caſtellanus Volhyniæ.
Wadiſlaus Loi Caſtellanus Culmenſis.
Felicianus Potochi Caſtellanus Craccoujenſis.
Chriſtophorus Grzymultouski Palatinus Poſnanienſis.
Caſimirus Sapicha Palatinus Vilnenſis Supremus Exercituum Mag. Ducatus Lithuaniæ Dux.
Michael Dux Czartoryski Palatinus Saudomirienſis.
Martinus de Hozielsko Oginski Palatinus Trozenſis.
Staniſlaus Jo: Jablonouski Palatinus, & Generalis Terrarum Ruſſiæ Exercituum Regni Poloniæ Supremus Dux.
Nicolaus à Granovu Sienauski Palatinus Volhiniæ Campi Dux Exercitum Regni.
Martinus in Tamoſciezamoyski Palatinus Lublinenſis.
Jo: de Hozielesko Oginski Palatinus Poloceń Campi Dux Magni Ducatus Lithuanię.
Jo: Antonius Chrapowiscki Palatinus Vitepcenſis.
Franciſcus Bielinski Palatinus Mariæburgenſis.
Wadiſlavus Denhoff Palatinus Romeraniæ.
Martinus Katski Caſtellanus Leopolień Generalis Artelleriæ Regni Præfectus.
Staniſlaus Carolus Luzecki Ceſtellanus Pollachiæ.
Otto Felkerſamb Caſtellanus Livonię.
Joannes Viclopolski Supremus Regni Cancellarius.
Joannes Guinski Pro-Cancellarius Regni.
Dominicus Nicolaus Dux Radzivil Pro Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniæ.
Benedictus Sapicha Theſaurarius Supremus Magni Ducatus Lithuanię.

Lubomir-

Lubomirski Eques Melitensis Mareschalcus Curiæ Regni.

Andreas Taluski Magnus Secretarius nominatus Episcopus Kisoviensis Sac. Regiæ Majest. Cancellarius.

Christophorus Gniski Regni Referendarius Abbas Wagrovecensis.

Raphael Comes in Leszno Vexillifer Regni comitiorum, Regni Generalium Marescalcus.

Franciscus in Takliozin Jordan Pincerna Regni Capitaneus Dobczycensis ex Provincia Minoris Poloniæ Deputatus.

Joannes Krasoniski in Krasne Referendarius Regni Capitaneus Varsaviensis ex Provincia Majoris Poloniȩ Deputatus.

Franciscus Sapicka Supremus Præfectus Stabuli Magni Ducatus Lithuaniæ ex Magno Ducatu Lithuaniæ Deputatus.

Josephus Slufzko Vexillifer Magni Ducatus Lithuaniæ Deputatus ex Equestri Ordine.

Andreas Joannes à Zyndou Zyndouski Vice-Capitaneus, & Judex Castrensis Cracoviensis.

Martinus Olszouski Capitaneus Vieluniensis Martianus Czaplic de Szpanouu Succamerarius Kyoviensis Deputatus de minori Polonia.

Alexander Przyjenski Vexillifer Calissiensis.

Hieronymus Kuropatnicki Judex Terrȩ Leopoliensis Deputatus ex Majori Polonia.

Melchior Gurouski Pocillator Posnanień.

Hyacinthus Rostuorouski Vexillifer Livensis.

Jacobus Vilkotarski Judex surrogatus Castrensis Wschovensis.

Seraphinus Glembocki Venator Juniuladislaviensis.

Eustacchius Grotus Capitaneus Raggrodensis.

Post plenipotentiarum tabulas utrinque ritè commutatas in mutuas fœderis arctioris offensivi, & defensivi conditiones, leges, & articulos ut sequitur convenit.

In Nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis.

SIT inter Serenissimos, & Potentissimos Principes Dominum Leopoldum Divina favente Clementia Imperatorem semper Augustum ejusque Regnorum Hungariæ, ac Bohemiȩ, nec non Archiducatus Austriȩ, & cȩterarum Suæ Majestatis Provinciarum hæreditariarum Succȩssores ab una, & Dominum Joannem Tertium Dei gratia Poloniȩ Regem Magnum Ducem Lithuaniȩ, Regnum Poloniæ, Magnumque Ducatum Lithuaniȩ parte ab altera, illa animorum & armorum societas, quæ utriusque Majestatis Regna, & Provincias, ut vicinitate mutua, ita communione periculorum belli Othomanici conjunctas, & in eis Sacrosanctæ Fidei cultum tot Populorum salutem non solum ab ulteriori immanissimi hostiș agressione in tuto conservare, verùm etiam recuperatis ab utrinque ablatis firma, stabili pace valeat beare.

Et hȩc vera erant motiva, quem Sacram Regiam Poloniȩ Majestatem, & Rempublicam ad fœderis hujus necessitatem induxere, utpotè eam, qua vicina, ut propria considerans pericula, conclusam ante aliquot annos cum Turcis pacem, multis infractionibus læsam, nec diu duraturam bene præviderat, maxime verò dum paterna Universalis Pastoris Innocentii XI. sollicitudo aliquot ab annis, Regiȩ Majestatis magnanimitatem Statuumque Regni pietatem ad sacrum hocce bellum ferventissimis, ardentissimis, & creberrimis adhortationibus, ac favoribus subsidiorum promissis sollicitare non destiterit.

Sit ergo inter alte memoratas Majestates, eorumque in Throno Successores Regna, & Provincias offensivi, deffensivi belli societas, prima ad gloriosam, & stabilem cum hoste communi utriusque partis pacificationem duratura. Altera ad ejusdem pacis perennem conservationem perpetuum permansura.

Quo autem majori robore, & indissociabili vinculo solidetur tam sacrum, piumque

piumque opus, utraque pars communem Patrem Pontificem Maximum Sacrę hujus societatis Protectorem Manutentorem, *ac in virtute Guarantiæ Evictorem* suis cum Successoribus maximis Pontificibus venerabunda assumit minime dubia Sanctitatem Suam id facturam, ut neutram partem pœniteat, paternis ardentissimisque Suæ Sanctitatis adhortationibus pronas dedisse aures, filialem submisisse promptitudinem.

Nō lecta in actu Juramenti noluit enim P.P. approbare ista verba.

Obligant se identidem tam Sacra Cęsarea Majestas, quam Sacra Regia Majestas Polonię una cum Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ Ordinibus sub onere Juramenti propriarum manuum præsentis tractatus subscriptione, omnique alio vinculo, quod firma, & indissolubilia Principum, & Populorum solet reddere fœdera, initam ad præsentem belli societatem Sacrosanctæ inviolabiliter in omnibus punctis clausulis articulis per se, & Successores suos conservaturos.

Quod ut majorem habeat vigorem, ac Religionem, ipsum Juramenti Sacramentum Eminentissimi Cardinales nominatim Eminentissimus Pio, & Eminentissimus Barberini uti earundem gentium Protectores, & repręsentantes intra decursum binorum Mensium in manibus Suæ Sanctitatis in eam Juramenti formam, quę seorsim articulo pacta est, & in hoc tractatu ab utrinque subscripta habeatur, nomine suarum Majestatum tanquam principalium suorum corporaliter præstabunt.

Itidem sua Majestas Cæsarea prætensiones ex tractatu tempore belli Svetici occasione subsidiorum facto resultantes annihilat, de hisque Sacram Regiam Majestatem, & Rempublicam totaliter quietat, nominatim vero diploma ex Senatus Consilio emanatum de electione nullum declarat, eidem renuntiat, Regnoque Poloniæ, & liberis ejus suffragiis restituit, & hypothecam, si quæ est, inscriptiones, & prętensiones ad Salis fodinas Vielicenses integre remittit in perpetuum, & annihilat.

Vicissim Sacra Regia Majestas, & Respublica Poloniæ ex supradicto tractatu resultantes obligationes omnes vel prętensiones in perpetuum solvit, & annihilat; ut his ab utrinque sublatis in perpetuum prætensionibus omnes, præsens conjunctio excludat scrupolos, & confidentiæ obices.

In Societate itaque belli offensivi permanentes partes, nullo modo, & prætextu seorsive, etiam si optima, votiva, & maxime favorabilis alterutri illarum esset oblata acceptabunt pacem, nisi simul, & semel in eandem utraque pars consenserit eandemque aceptaverit.

Hæc belli societas erit inter Serenissimum, & Potentissimum Imperatorem qua est Hungariæ, Bohemiæ Rex Archidux Austriæ, tum aliarum Provinciarum Dominus, ac hæres, itaut Suæ Majestatis in hæreditaria Regna, & Provincias Successores teneantur ad hoc fœdus, jisdem punctis, clausulis ligamentis obligentur, ad quod Sacra Regia Majestas Poloniæ, ejusque in Throno-Successores, Regnum Poloniæ, Magnusque Ducatus Lithuaniæ viceversa obligantur.

Eadem belli societas limitatur solius belli Turcici necessitate, nec ad aliud quoduis bellum ullo prorsus colore, & prætextu extendi unquam poterit.

Declarat itaque Sacra Cæsarea Majestas vigore præsentis societatis, sexaginta millia hominum ad bellum in Hungaria gerendum, quo numero comprehenduntur viginti millia subsidiorum Cæsareę Majestatis Amicorum Principum, & Legiones in præsidiis Fortalitiorum in Hungaria permanentes.

Declarat vicissim Sacra Regia Majestas Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ bello gerendo competentes quadraginta millium Exercitus vires durante eodem bello alitura.

Casu verò quo Viennensi vel Cracoviensi Urbi obsidio immineret, eo tempore utraque Cæsarea, & Regia Majestas actualem armorum suorum conjunctionem mutuo, & ad invicem sibi adpromittunt Exercitibusque integris pars partem pro liberanda illa Urbe, quę Caput, & Metropolis est, juvabit, & propulsandam obsidionem curabit. Idem utraque pars factura, quoties bellico consilio assistendi sibi mutuò integris viribus, vel earum parte necessitas postulaverit. Quo fine intimiorisque communicationis erga Residentes, ab utrinque Officiales belli gnari specialiter ad id selecti circa partes ad invicem manebunt.

Alias

Alias per diverſionem bellum geri debet, videlicet Sac. Cæſarea Majeſtas Regno Hungariç Fortalitiiſque ejus vindicandis. Sacra verò Regia Majeſtas Poloniç Cameneco, & Podoliç ac Ukrainç vindicandis incumbent bello acquiſita, ſierehabita ex ablatis pro jure quibus antea pertinebant, partibus cedent.

Quoniam verò bellum prç foribus jam adeſt; executio autem Comitiorum in contributionibus præſtandis tam citò haberi nequit tum Sacra Cçſarea Majeſtas duodecim centenis millibus Florenorum Polonicalium currentis in Regno monetç primis & prçſentaneis belli expenſis, idque incontinenti poſt ſubſcriptionem prçſentis Tractatus, cujus ſummæ refuſionem nunquam à Republica prætendet, à Sanctiſſimo nihilominus Pontifice ejuſdem omnimodam ſibi fieri compenſationem curare liberum erit.

Promittit inſuper Sacra Cçſarea Majeſtas prçſentis Tractatus vigore, quàm efficaciſſima apud Regem Catholicum ſine mora interponenda officia pro extrahendis Decimis per Ditiones ſuç Majeſtatis Italicas, videlicet tam in Regno Neapolitano, quam in ſtatu Mediolanenſi, quam primùm eas Sanctitas Sua impoſuerit. Quarum Decimarum ſubſidium uſque ad honeſtam pacem duraturum ſoli Regno Poloniç applicabitur, nullatenus Sacra Cçſarea Majeſtate pro ſuis impenſis eaſdem dividi prçtendente vel impediente.

Cum autem ad hanc ſocietatem non ſolùm inuitandi ſint Chriſtiani Principes, ſed & ultro ſe offerentes admittendi, ideò utraque pars ſe obligat pro poſſe inuitaturam ad eam amicos, & fœderatos Principes, ita tamen ut utriuſque partis conſonus accedat aſſenſus, quoties aliquis Principum admittendus erit, nominatim utraque pars Sereniſſimos Moſchorum Czaros omni cura ad hanc Societatem invitabunt, flectentque.

In quantùm verò utriuſque partis conſenſu contingeret alterutram Majeſtatem in Caſtris fore prçſentem, eo caſu Generalis gubernatio penès prçſentem foret.

Quod quidem fœdus antiquis inter eoſdem Sereniſſimos Principes Regnaque, ac Dominia eorum compactis, & limitaneis granicierum Commiſſionibus nullum prçiudicium adferre debet, imò perpetuum illis robur addit, & præſtat.

Iuramenti verò ſupranominati ab utraque parte in manibus Summi Pontificis per Eminentiſſimos Cardinales Protectores & Reprçſentantes prçſtandi talis debet eſſe tenor.

Ego N.N. Sereniſs. & Potentiſs. Principis Leopoldi I. Imperatoris ſemper Auguſti, qua eſt Hungariç, & Bohemiç Rex, & Archidux Auſtriç aliarumque Provinciarum hçres, uti principalis mei, ſpeciali mandato ad id inſtructus, ejuſque Majeſtatis in Regna, & Provincias hçreditarias Succeſſorum nomine ſanctè juro. Vel Ego N. N. Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis Domini Joannis Tertii Regis Poloniç, & Magni Ducis Lithuaniæ principalis mei, ejuſque in Throno Succeſſorum Regum Poloniç, & Magnorum Ducum Lithuaniç, quorum ſpecialibus mandatis ad id inſtructus ſum, nomine ſanctè iuro.

Quia fœdus offenſivum, & defenſivum contra immaniſſimum Chriſtiani nominis hoſtem inter alte memoratas Majeſtates initum & Varſaviç die 31. Menſis Martii Anno currenti milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio per earundem Majeſtatum Plenipotentiarios concluſum, & manuum ſubſcriptionem munitum & ab jiſdem altè memoratis Majeſtatibus ratum, gratum, acceptatum, ac propriarum manuum ſubſcriptione firmatũ in omnibus ejus punctis, pactis, clauſulis, articulis, ac ligamentis bona fide juxta tenorem verborum, & genuinam eorum ſignificationem Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Leopoldus Primus Imperator ſemper Auguſtus, & Hungariç, & Bohemiç Reges, Archiduces Auſtriç obſervabunt tenebunt, & adimplebunt.

Vel Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Joannes Tertius Poloniç Rex, Magnus Dux Lithuaniç, ejuſque Majeſtatis in Throno Succeſſores Reges Poloniç & Magni Duces Lithuaniæ Univerſi Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ Status, ac Ordines, obſervabnnt tenebunt, & adimplebunt.

Neque de hoc abſolutionem petent, nec oblatam ſuſcipient. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

In quo-

In quorum Fidem Nomine Sereniſſimorum ſuorum principialium eorundem literis plenipotentiarum mediantibus. Nos Legatus, & Ablegatus, Auguſtiſſimæ Cæſareæ Majeſtatis Extraordinarii, ac Sacræ Regiæ Majeſtatis Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ, ex Senatorio, & Equeſtri Ordine Deputati Commiſſarii, manibus propriis ſubſcribimus, & Sigillis munimus, quod, & Sacræ, & Sereniſſimæ alte memoratæ Majeſtates Domini Noſtri Clementiſſimi uti principales in ſpatio unius Menſis præſtabunt. Actum Varſaviæ ſub celebratione Generalium Comitiorum Regni die trigeſima prima Menſis Martii Anno Domini milleſſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio.

Carolus Comes de Valdſtein.

Joannes Chriſtophorus liber Baro de Zicrova Zicrouski.

Quem quidem tractatum Nobis relectum cum omnibus ſuis articulis punctis, & clauſulis confirmavimus, ratihabuimus, & approbavimus: quemadmodum illum per præſentes confirmamus ratihabemus, & approbamus, promittentes in verbo Imperiali, Regio, & Archiducali, ac pro Nobis Hæredibus, & Succeſſoribus Noſtris Regibus Hungariæ, & Bohemiæ, ac Archiducibus Auſtriæ firmiter ſpondentes, omnia, & ſingula juxta conventionem præinſertam per plenipotentiarios Noſtros tractata, & concluſa integrè ſtrictè, & inviolabiliter obſervanda. Harum Fide, & teſtimonio literarum, ſubſcriptione manus noſtræ, ac Sigilli Noſtri Cæſarei appenſione expeditarum. Quæ dabantur in Arce noſtra Laxiburgi die ſecundo Menſe Majo Anno Milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio Regnorum Noſtrorum Romani vigeſſimo quinto, Hungarici vigeſimo octavo, Bohemici vero vigeſimo ſeptimo.

LEOPOLDUS

Leopoldus Gulielmus Comes in Kinigſegg


Locus ✠ Sigilli
pendentis

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ
Majeſtatis proprium.

Exemplar hoc cum authentico fœderis inſtrumento combinatum eidem per omnia de verbo ad verbum conſonum inveni, quod manus meæ ſubſcriptione, & conſueto ſigillo adpoſito profiteor atteſtorque. Ego Poſonii die 8. Maii 1683.

Loco ✠ Sigilli

Joannes Probſt Sac. Cæſareæ Majeſtatis
Imperialis Cancellariæ Aulicæ Secretarius.



Mandatum

Mandatum Procuræ ad præſtandum Juramenti.

Nos Leopoldus divina favente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wittembergæ, Tecke Princeps Sueviæ Comes Haſpurgi, Tyrolis, Terretis Kyburgi, & Goritiæ, Langraviatus, Alſatiæ, Marchio; Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac Superioris, & Inferioris Luſatiæ Dominus Marchiæ Sclavonicæ Portus Nahonis, & Salinarum.

AGNOSCIMUS & tenore præſentium notum, teſtatumque facimus univerſis quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poterit. Quod cum per Legatum, & Ablegatum Noſtros Illuſtres Magnificos, ſacrique Imperii fideles dilectos Carolum Ferdinandum Comitem à Waldſtein Baronem in Sivigan Munchengratz Leutſchin, & Majore Augetz Conſiliarium Noſtrum Arcanum Camerarium, & Auguſtiſſimę Imperatricis Viduę Eleonorę D. Matris Noſtrę amantiſſimę Supremum Aulę Prefectum, Aurei Velleris Equitem, & Joannem Chriſtophorum Zierowsky Liberum Baronem de Zierowa in Hennerſdorff Geldendorff, & minore Schottkau Conſiliarum Noſtrum plena, & omnimoda facultate inſtructos anno currente milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo tertio, durantibus Varſavię Regni Polonię, & Magni Ducatus Lithuanię univerſalibus Comitiis cum Sereniſſimo & Poteutiffimo Principe Domino Joanne Tertio Rege Polonię, Magno Duce Lithuanię, ac Ruſſię, Pruſſię, Maſſovię, Samogitięque, & Inclytę illius Reipublicę, & Magni Ducatus Lithuanię Statibus, & Ordinibus eorundemque Plenipotentiariis delegatis, ad tuendam Eccleſię, ac Reipublicę ſalutem tum Regnorum & Provinciarum mutuam incolumitatem fœdus offenſivum, & defenſivum adverſus Chriſtiani nominis perpetuum, & communem hoſtem Turcam ritè pertractatum, & Diuino accedente auxilio communi utriuſque partis unanimi conſenſu concluſum, ac die trigeſima prima Menſis Martii ſubſcriptum, ac reciproca contrahentium confirmatione abſolutum fuerit. Nos ad implendum omnia & ſingula in ſancto hoc fœdere compræhenſa promptos paratoſque, nunc ſpeciatim in ulterius fœderis robur Juramentum per utriuſque Inclytę Nationis Germanicę ac Polonicę apud Sanctam Sedem Apoſtolicam ad manus Beatiſſimi in Chriſto Patris divina providentia Sanctę Romanæ, ac univerſalis Eccleſię Summi Pontificis Innocentii XI. utpote Sacrę hujus armorum Societatis Protectorem, *ac in virtute Guarantiæ Evictorem*. Deponendum per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Carolum S. R. E. Epiſcopum Sabinenſem Cardinalem Pium Nationis Germanicæ, Regnorumque ac Dominiorum noſtrorum hæreditatorium apud Sedem Apoſtolicam Protectorem præſtare nos velle ac debere impręſentiarum profiteri, ac declarare, & quod fidem hanc in fœdere ſancito datam atque jurejurando firmandam & firmata Sanctę & inviolabiliter obſcrvaturi, ac cuſtodituri ſimus. Quapropter Nos tanquam Hungariæ, ac Bohemiæ Rex, Archidux Auſtrię pro Nobis & Noſtris in Regna ac Provincias Noſtras hæreditarias Succeſſoribus prædicto Reverendiſs. D. Cardinali Pio ſpeciali hoc mandato plenam poteſtatem omnimodamq; facultatem largimur, & tribuimus, ut memoratũ fœdus offenſivum, & defenſivum adverſus internecinum Turcam per Noſtros Plenipotentiarios concluſum & ſubſcriptum à Nobis etiam pro grato, & rato acceptatum propriaque pariter ſubſcriptione firmatum in omnibus ejus punctis, articulis, clauſulis, & obligationibus juxta pactorum tenorem, ac verborum genuinam ſignificationem ſolemni Nobis incumbente Juramento ad manus ſuæ Sanctitatis Pontificiæ Noſtro nomine & in animam Noſtram propriam realiter, ac ritè præſtito ſecundum formulam in pactis expreſſam confirmet roboretque quod Nos, noſtrique Succeſſores

Hoc Mandatum Procuræ non fuit lectũ in actu Juramenti. noluit enim PP. app obare hęc verba.

Tom. II. Pp Hun-

Hungariç, ac Bohemiç Reges, Archiduces Auſtriç obſervabimus, tenebimus, & ad implebimus eadem vi, & ratione, ac ſi hoc iuſiurandum præſentet, & corporaliter ipſimet præſtitiſſemus, ac depoſuiſſemus. In quorum fidem, roburque præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillo Noſtro Cæſareo firmari juſſimus quæ dabantur in Arce noſtra Laxiburgi die ſecunda Menſis Maii Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo tertio, Regnorum Noſtrorum Romani vigeſimo quinto, Hungarici vigeſimo octauo, Bohemici verò vigeſimo ſeptimo.

LEOPOLDUS

V. Leopoldus Gulielmus Comes in Kinigſeg

Locus ✠ Sigilli

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.
Joannes Probſt

Tale fœdus juramento deinde firmarunt nomine Imperatoris Eminetiſſimus Cardinalis Pius, & nomine Regis Poloniç Eminentiſſimus Carolus Cardinalis Barberinus. Extat formula juramenti in muſæo Illuſtriſs. Ciampini, eſtque, ut ſequitur.

„ In nomine Domini amen, præſenti publico inſtrumento cunctis ubique „ pateat evidenter, & notum ſit, quod anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chri- „ ſti milleſimo ſexcenteſimo, octuageſimo tertio, indictione ſexta die verò 16. Aug. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Innocentii Divina providentia Papæ XI. anni ſui Pontificatus VII. comparuerunt coram eodem Sanctiſſimo, intervenientibus Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Sacræ Congregationis Conſiſtorialis Cardinalibus in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis Sacrç Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Pius Germanicç Nationis Regnorumque, & Dominorum hæreditariorum Cçſareæ Majeſtatis apud hanc Sanctam Sedem Apoſtolicam Protector ac uti in hac parte procurator ſpecialiter ad id inferius peragendum à Sereniſſimo Potentiſſimoque Principe Domino Leopoldo Divina favente clementia Romanorum Imperatore electo, nec non.

Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Carolus Sanctæ Romanæ Eccleſiç Cardinalis Barberinus, Regni Poloniç Protector ac uti Procurator ad infraſcripta peragenda ſpecialiter conſtitutus à Seriniſſimo, atque Potentiſſimo Principe Domino Joanne Tertio dicti Regni Poloniæ Rege, antedictiſque nominibus ad effectum præſtandi juramentum pro executione eorum omnium, quç conventa fuerunt in fœdere offenſivo, & defenſivo adverſus Chriſtiani nominis perpetuum, & communem hoſtem Turcam inter dictos Sereniſſimos, Potentiſſimoſque Principes inito, juramentum ſuper plenaria obſervatione omnium punctorum, articulorum, clauſularum, obligationum, aliorumque in dicto fœdere Conventorum, juxtà pactorum in illo initorum tenorem, ac verborum genuinam ſignificationem ſolemniter in manibus ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii Divina providentia Papæ XI. intervenientibus ſupradictis Eminentiſſimis Dominis Sacræ Romanç Eccleſiæ Cardinalibus, tactis pectoribus more Sacerdotali antedictis nominibus reſpectivè juramentum inquam juxta formulam ad hunc effectum à Dominis Sereniſſimis, Potentiſſimiſque Principibus Leopoldo Romanorum Imperatore electo, & Joanne III. Poloniç Rege Eminentiis ſuis reſpectivè tranſmiſſam, & mihi hic inſerendam conſignatam tenoris &c. ut infrà prçſtiterunt, videlicet.

„ Ego Carolus, Epiſcopus Sabinen. Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Pius „ Sereniſſimi, & Potentiſſimi Principis Leopoldi I. Imperatoris ſemper Auguſti, „ qui eſt Hungariç, & Boemiæ Rex, & Archidux Auſtriç, aliorumque Provin- „ ciarum hæres, ut Principalis mei ſpeciali mandato ad id inſtructus, ejuſque Maje- „ ſtatis in Regna, & Provincias hæreditarias ſucceſſorum nomine Sancte juro, quia „ fœdus offenſivum, & defenſivum cōtra immaniſſimum Chriſtiani nominis hoſtem „ inter memoratas Majeſtates initum, & Varſaviç die trigeſima prima menſis Martii anno

anno currenti 1683. per earumdem Majestatum plenipotentiarios conclusum, & manum subscriptione munitum, & ab jisdem memoratis Majestatibus ratum, gratum, acceptum, & propriarum manuum subscriptione firmatum in omnibus ejus punctis, pactis, clausulis, articulis, ac ligamentis bona fide juxtà tenorem verborum, & genuinam eorum significationem Serenissimus, & Pontissimus Princeps Leopoldus I. Imperator semper Augustus, & Hungariæ Rex, & Archidux Austriæ observavit, tenebit, & adimplebit, ejusque Majestatis Successores Hungariæ, & Bohemiæ Reges Archiduces Austriæ observabunt, tenebunt, & adimplebunt, neque de hoc absolutionem petent, nec oblatam suscipient. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Ego Carolus Sacræ Romanę Ecclesię Cardinalis Barberinus, Serenissimi, ac Potentissimi Principis Domini Joannis III. Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lithuanię Principalis mei, ejusque in throno Successorum Regum Poloniæ, & Majorum Ducum Lithuaniæ, universeque Reipublicæ Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, quorum speciali mandato ad id instructus sum nomine, sanctè juro, quòd fœdus offensiuum contra immanissimum Christiani nominis hostem inter altè memoratas Majestates initum, Varsaviæ die 31. mensis Martii anno currenti 1683. per earumdem Majestatum plenipotentiarios conclusum, & manuum subscriprione munitum, & jisdem altè memoratis Majestatibus ratum, gratum, acceptatum, & propriarum manuum subscriptione firmatum in omnibus ejus punctis, pactis, clausulis, articulis, & ligamentis bona fide, juxtà tenorem verborum, & genuinam significationem D. Serenissimus, Potentissimus Princeps Joannes III. Poloniæ Rex Magnus Dux Lithuaniæ, ejusque Majestatis in throno Successores Reges Poloniæ Magni Duces Lithuanię, & universi Regni, & Magni Decatus Lithuaniæ Status, & ordines observabant, tenebunt, & adimplebunt, neque de hoc absolutionem petent, nec oblatam suscipient. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

His sicut suprà peractis Sanctissimus D. N. Christi nomine humiliter, & devote invocato personis D. D. Serenissimorum, eorumqne Successoribus Regnis, & Dominiis, Ducibus, & Militibus benedictionem à summo omnium bonorum Largitore precatus, & impartitus fuit, exoptans insuper summopere Sanctitas Sua ut omnia inter prędictos Serenissimos Principes in dicto fœdere conventa debitę executioni pro Christianę Reipublicę bono demandentur, promisit se paternis officiis, omnique studio, & opera acturũ, ut dictum fœdus, & in eo cuncta religiosè sanctè, & inviolatè ab utraque parte serventur, atque adimpleantur omni &c.

Actum Romæ in prædicto Palatio Apostolico Montis Quirinalis, præsentibus, audientibus, & intelligentibus Illustrissimis D. D. Jacobo Altovito, Patriarcha Antiocheno, Petro Bargellino Aichiep. Teben., & Odoardo Cybo Archiepiscopo Seleuciensi testibus ad prædicta omnia adhibitis vocatis specialiter, atquè rogatis.

Ita est Franciscus Judice Prothonotarius Decanus.
Ita est Maffeus Farsettus Prothonotarius rog.

Loco ✣ Sigilli

Hoc fœdere firmato anno subsequenti novum fœdus inierunt, tum Serenissimus Leopoldus I. Imperator, Joannes III. Poloniæ Rex ac Marcus Antonius Justinianus Venetiarum Dux, firmatumque fuit Romæ ea ratione, qua exponitur in sequenti, instrumento.

„ In nomine Domini Amen. Pręsenti publico instrumento cunctis ubique
„ pateat evidenter, & sit notum, quòd anno à Nativitate Domini Nostri Jesu
„ Christi millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto, indictione septima, die
„ verò vigesima quarta Maii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, &
„ Domini Nostri Domini Innocentii Divina providentia Papę Undecimi anno
„ VIII. in mei Protonotarii Apostolici, ac infrascriptorum testium prę-
sentia comparverunt coram eodem Sanctissimo in Sacra Generali Congregatione Consistoriali Eminentissimorum, & Reverendissimorum D. D. Sanctæ Romanæ

Ecclesiæ Cardinalium in Palatio Apostolico in Vaticano habita Eminentissimus, & Reverendissimus D. Carolus Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis Pius Germanicę Nationis Regnorumque, & Dominiorum hæreditariorum Cesareæ Majestatis apud hanc Sanctam Sedem Apostolicam Protector ac uti in hanc parte ad infrascripta peragenda specialiter constitutus à Serenissimo Potentissimoque Principe D. Leopoldo I. divina favente clementia Romanorum Imperatore electo, prout de hujusmodi procuræ mandato docuit per Chirographum propria manu dictæ Cæsareę Majestatis subscriptum in arce Lincii die 23. Aprilis currentis anni 1684. quod facto mihi &c. dedit ad effectum hic inserendi tenoris sequentis videlicet foris Reverendissimo in Christo Patri Domino Carolo S. R. E. Episcopo Sabinensi Cardinali Pio Nationis Germanicę, Regnorum, & Dominiorum Nostrorum hęreditariorum apud Sedem Apostolicam protectori amico Nostro carissimo. Intus Leopoldus Divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus Germanię, Hungarię, Bohemię, Dalmatię, Croatię, Sclavonię, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundię, Styriæ, Carinthię, Carniolę, & Wertembergę, Comes Tyrolis, & Goritię Reverendissimo in Christo Patri D. Carolo S. R. E. Episcopo Sabinensi Cardinali Pio Nationis Germanicę Regnorumque, & Dominiorum Nostrorum hęreditariorum apud Sedem Apostolicam protectori, amico Nostro carissimo salutem, & benevolentiæ Nostræ affectum. Reverendissime in Christo Pater amice carissime. Ex adjunctis patet, quatenus ad majus robur, infirmitatem fœderis inter nos, & Serenissimum Regem Poloniæ, atque Illustrissimum Dominum Venetum nuper initi cętera provisum, cautumque fuerit, ut quævis pars compaciscens in animam suam, & suorum successorum per certos Dominos Cardinales, & nos singulatim per Reverendissimam Vestram Paternitatem solenne Juramentum ad manus Summi Pontificis deponi curaret. Nos igitur volentes, & cupientes implere à parte nostra omnia ea, ad quæ ex conventione hujus fœderis tenemur, Reverendissime Vestræ Paternitati per hasce Nostras in mandatis damus, eamque omnimoda, qua ad hunc actum opus esse potest authoritate, & plenipotentia instruimus, ut Juramentum in formula, quæ fœderis tabulis inserta est Nostro Nomine in animam Nostram ritè, & solemniter præstare possit debeat valeat, illudque totum, quod Reverendissimam Vestram Paternitas hoc modo uti præmittitur executa fuerit, habebimus gratum, & ratum præsentium literarum Nostarum manu, & sigillo Nostro Cæsareo munitarum. Quod reliquum est eidem benevolentiam Nostram vberrimam deferimus. Datum in arce Nostra Lincii die vigesima tertia Aprilis anno Millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto, Regnorum Nostrorum Romani vigesimo sexto, Hungarici vigesimo nono, Bohemici verò vigesimo octavo. Leopoldus B. Destratman Joannes Georgius Nosh. Eminentiss. & Reverendiss. D. Carolus S. R. E. Card. Barberinus Regni Poloniæ Protector, ac uti Procurator ad infrascripta peragenda specialiter constitutus à Serenissimo Potentissimoque Principi Domino Joanne Tertio dicti Regni Poloniæ Rege, ac Magno Lithuanię Duce prout de hujusmodi procuræ mandato docuit per Chirographum propria manu Majestatis suę subscriptum Javornię die 27. Mensis Martii currentis anni 1684. quod facto mihi &c. dedit hic inserendum tenoris sequentis videlicet: Joannes Tertius Dei gratia Rex Poloniæ, Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussię, Masovię, Samogitiæ, Livoniæ, Hiovię, Volliniæ Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ, Scueriæ, & Czermiæ. Notum, testatumque facimus tenore præsentium universis. Cum in executionem sacri fœderis initi anno 1683. inter nos & Sacram Cæsaream Majestatem tanquam Regem Hungariæ, & aliorum Dominiorum hęreditariorum Principem, & Dominum, quod fœdus Sanctissimus Dominus Noster Innocentius XI. indefessa cura, & paterna sollicitudine, & vigilantia promovit, & Nos pro bono Ecclesię, & Christiana Reipublica ardentissimè semper desideravimus; invitata fuerit ad armorum associationem, & in hujusmodi sacri fœderis partem consenserit Serenissima Venetorum Reipublica, conventumque sit inter Cęsareos, Regios Nostros, & pręfatæ Reipublicę plenipotentiarios, ut idem fœdus, & observantia omnium, & singulorum pactorum in eo contentorum solemniter jurari debeat in manibus Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XI. Pontificis Maximi juxta formam tenoris videlicet

licet talis: Ego Carolus S. R. E. Cardinalis Barberinus Sereniſſimi Poloniæ, & Magni Ducis Lithuaniç principalis mei,ejuſque in Throno Succeſſorum Regnum Poloniæ, & Magnum Ducum Lithuaniç, univerſçque Reipublicç Poloniç, & Magni Ducatus Lithuaniç, quorum ſpecialibus mandatis ad id inſtructus ſum nomine, ſanctè juro, quod fœdus offenſiuum, & defenſiuum contra immaniſſimum Chriſtiani nominis hoſtem inter altè memoratas partes initum, & Lincii die quinta Menſis Martii anno currenti 1684. per earundem partium plenipotentiarios concluſum, manuum ſubſcriptione munitum, & ab jiſdem altè memoratis partibus ratum, gratum, acceptatum, ac propriarum manuum ſubſcriptione firmatum in omnibus ejus punctis, pactis, clauſulis, articulis, ac ligamentis bona fide juxta tenorem verborum, & genuinam eorum ſignificationem Sereniſſimus, & Potentiſſimus Princeps Joannes Tertius Poloniç Rex Magnus Dux Lithuaniç,ejuſque Majeſtatis in Throno Succeſſores Reges Poloniç, & Magni Duces Lithuaniç Status, & Ordines obſervabunt, tenebunt, & adimplebunt, neque de hoc abſolutionem petent, nec oblatam ſuſcipient. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Hinc eſt, quod nos volentes plenè, & promptè adimplere ea omnia ad quç vigore ejuſdem tractatus tenemur, conſtituimus, facimus, & creamus omni meliori modo, & forma Plenipotentiarium Noſtrum, Ordinumque Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ ad præſtandum Iuramentum ſupraſcriptum Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimnm Dominum Carolum S. R. E. Cardinalem Barberinum Regni Noſtri, & Magni Ducatus Lithuaniç in Romana Curia protectorem dantes eidem liberam facultatem, poteſtatem præſtandi in manibus Sanctitatis Suæ hujuſmodi Iuramentum. Volentes Iuramentum ab eo ſic præſtitum haberi, ac ſi à nobis ipſis, & prout utilius validiuſque fieri poſſet; factum fuiſſet, habentes nunc pro tunc ratum, gratum, & firmum quidquid per præfatum Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dom. Cardinalem Carolum Barberinum, ut ſupra geſtum fuerit. In quorum fidem præſentes manu Noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo Regni Noſtri muniri juſſimus. Datum Javoroniç die vigeſima ſeptima Menſis Martii anno Domini 1684. Regni Noſtri decimo anno.

Joannes Rex.

Eminentiſs.& Reverendiſs. D.Petrus Epiſc.Tuſculanus S.R.E. Card. Othobonus uti procurator ad infraſcripta peragenda ſpecialiter conſtitutus à Sereniſs. D. Marco Antonio Juſtiniano Venetiarum Duce prout de hujuſmodi procurç mandato docuit per Chirographum propria manu dicti Sereniſſimi Ducis ſubſcriptum in Ducali Palatio die 29. Aprilis currentis anni 1684. quod pariter facto mihi &c. dedit ad effectum hic inſerendi tenoris ſequentis videlicet. Foris Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Petro miſeratione Divina S. R. E. Cardinalis Othobono digniſſimo. Intus. Illuſtriſſime, & Reverendiſſime in Chriſto Pater. Concluſa col favor del Sig. Dio Lega offenſiva contro il Turco, e difenſiva perpetua trà la Maeſtà dell' Imperatore, Rè di Polonia, e la Republica Noſtra, rimane trà gl'altri Capitoli convenuto, che ſia preſtato Giuramento della lega ſteſſa in mano del Pontefice, il di cui zelo Santiſſimo tant'è infervorato nel bene del Chriſtianeſimo, e con eſſempio ſempre memorabile tanto và operando per la depreſſione dell' inimico maggiore della Cattolica Religione. Per queſta funtione eſſendo deputati di Sua Maeſtà Ceſarea il Sig. Cardinale Pio, e dalla Maeſtà del Rè di Polonia il Sig. Cardinal Barberino, habbiamo noi preſcelta la perſona di V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima per la ſtima, che meritamente facciamo di ſue degne conditioni. Con le preſenti però, che doveranno ſervirle in queſto di ſpeciale mandato diamo à V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima la facoltà di ſolennemente giurare nelle mani della Santità Sua in nome Noſtro, e della Noſtra Republica, e Succeſſori l'oſſervanza della lega ſteſſa, all' ultimo ſigillo della quale contribuendo V. S. Illuſtriſſima, e Revendiſſima l'aſſiſtenza e l'opera ſua ſarà à parte della gloria di quelli proſperi auvenimenti, che piacerà al Sig. Dio donare all'intentioni del Pontefice, & à gli sforzi dell' armi de Prencipi collegati per la depreſſione degl' Infedeli, e per l'ampliatione maggiore della Cattolica Religione; le preghiamo in fine anni lunghi, e felici. Dato in Noſtro Ducal Palazzo die 29. Aprilis Ind. 7. 1684. Marcus Antonius Juſtinianus Dei gratia Dux

Dux Venetus. Angelo Bon Segretario Formola del Giuramento. Nec non Eminentissimus, & Reverndissimus Dominus Petrus Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Othobonus Venetorum Cardinalium senior, ac uti procurator ad infrascripta peragenda à Serenissimo Dominio Veneto Deputatus. Ego Petrus Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Othobonus Serenissimi Domini Marci Antonii Justiniani Ducis Venetiarum &c. uti principalis mei, ejusque successorum Ducum, & Serenissimæ Venetę Reipublicæ, quorum speciali mandato ad id instructus sum nomine Sanctè Juro, quòd fœdus offensiuum, & defensiuum contra immanissimum Christiani nominis hostem inter altè memoratus Majestates, & Serenissimam Rempublicam Venetam initum, & in Arce Lincensi die quinta Martii anno currenti 1684. per earundem Majestatum, & Serenissimę Reipublicæ Venetæ Plenipotentiarios conclusum, & manuum subscriptione munitum, & ab jisdem altè memoratis Majestatibus, Serenissimoque Duce ratum, gratum, acceptatum, ac propriarum manuum subscriptione firmatum, in omnibus ejus punctis clausulis, articulis, ac ligamentis bonà fide juxta tenorem verborum, & genuinam eorum significationem Serenissimus Marcus Antonius Justinianus Dux Venetiarum &c. successores Duces, & Serenissima Republica obsevabunt, tenebunt, & adimplebunt, neque de hoc absolutionem petent, nec oblatam suscipient. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Angelus Bonus Secretarius. Qui quidem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales ad effectum præstandi antedictis nominibus Juramentum pro executione eorum omnium, quæ conventa fuerunt in fœdere offensivo, & defensivo adversus Christiani nominis perpetuum hostem Turcarum inter dictos Serenissimos, Potentissimosque Principes Leopoldum Primum Imperatorem, ac Joannem III. Poloniæ Regem necnon serenissimam Venetiarum Rempublicam inito Juramentnm super plenaria observatione omnium punctorum, articulorum, clausularum, obligationem, aliorumque in dicto fœdere conventorum juxta pactorum in illo initorum tenorem, & genuinam verborum significationem solemniter in manibus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Domini Innocentii Divina prouidentia Papæ Vndecimi coram supradictis Eminetissimis Dominis S. R. E. & Sacrę Consistorialis Coregregationis Generalis Cardinalibus Iuramentum tactis pectoribus more Sacerdotali nominibus antedictis respectivè, ut infra pręstiterunt. Ego Carolus Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis Pius Serenissimi, & Potentissimi Principis Leopoldi Primi Imperatoris semper Augusti, qui est Hungariæ, & Bohemiæ Rex, & Archidux Austriæ aliquarum Provinciarum hæres, uti principalis mei speciali mandato ad id instructus ejusque Majestatis in Regna, & Provincias hæreditarias Successorum nomine Sanctè Juro, quod fœdus offensivum, & defensivum contra immanissimum Christiani nominis hostem inter pręfatum Serenissimum Imperatorem, ac Serenissimum Regem Poloniæ, atque Serenissimam Rempublicam Venetam in Arce Lincensi die quinta Martii currentis anni 1684. per earundem Majestatum, & Serenissimæ Reipublicę Plenipotetiarios conclusum, & manuum subscriptione munitum, & ab jisdem altè memoratis Majestatibus, serenissimoque Duce Venetiarum ratum, gratum, acceptatum, ac propriarum manuum subscriptione firmatum in omnibus ejus punctis, pactis, clausulis, articulis, ac ligamentis bona fide, juxta tenorem, ac verborum genuinam significationem dictus Serenissimus, ac Potentissimus Princeps Leopoldus Primus Imperator semper Augustus, & Hungariæ, & Bohemiæ Rex, & Archidux Austriæ observabit, tenebit, & adimplebit, ejusque Majestatis Successores Hungariæ, & Bohemiæ Reges Archiduces Austriæ observabunt, tenebunt, & adimplebunt, neque, de hoc absolutionem petent, nec oblatam suscipient. Sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Dei Evangelia Ego Carolus S. R. E. Cardinalis Barberinus Serenissimi, & Potentissimi Principis Domini Joannis III. Regis Polonię, & Magni Ducis Lithuanię principalis mei, ejusque in Throno Successorum Regnum Poloniæ, & Magnorum Ducum Lithuanię, uniuersęque Reipublicæ Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, quorum specialibus mandatis ad id instructus sum nomine, Sanctè Juro, quod fœdus offensiuum, & defensivum contra immanissimum Christiani nominis hostem inter altè memoratas partes initum & Lincii die quinta Mensis Martii anno currenti 1684. per

1684. per earundem partium Plenipotentiarios conclusum, & manuum subscriptione munitum, & ab jisdem altè memoratis partibus ratum, gratum, acceptatum ac propriarum manuum subscriptione firmatum in omnibus ejus punctis, pactis, clausulis, articulis, ac ligamentis bonâ fide juxta tenorem verborum, ac genuinam eorum significationem Serenissimus Potentissimus Princeps Joannes III. Poloniç Rex Magnus Dux Lithuaniæ, ejusque Majestatis in Throno Successores Reges Poloniæ, & Magni Duces Lithuaniæ, ac universi Regni, Magni Ducatus Lithuaniç Status, & Ordines observabunt, tenebunt, & adimplebunt, neque de hoc absolutionem petent, nec oblatam suscipient. Sic me Deus adiuvet, & hçc Sancta Dei Evangelia. Ego Petrus Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Othobonus Serenissimi Domini Marci Antonii Justiniani Ducis Venetiarum &c. uti principalis mei, ejusque successorum Ducum, & Serenissimæ Reipublicæ Venetç, quorum speciali mandato ad id instructus sum nomine, sanctè juro, quod fœdus offensivum, & defensivum contra immanissimum Christiani nominis hostem inter altè memoratas Majestates, & Serenissimam Rempublicam Venetam initum, in arce Lincensi die quinta Martii anno currenti 1684. per earumdem Majestatum & Serenissimæ Venetæ Reipublicç Plenipotentiarios conclusum, & manuum subscriptione, & ab jisdem altè memoratis Majestatibus, Serenissimoque Duce ratum, gratum, acceptatum, ac propriarum manuum subscriptione firmatum in omnibus eis pactis clausulis, articulis, & ligamentis bona fide juxta tenorem verborum, & genuinam eorum significatione Serenissimus Marcus Antonius Justinianus Dux Venetiarum &c. Successores Duces, & Serenissima Respublica obsevabunt, tenebunt, & adimplebunt, neque de hoc absolutionem petent, nec oblatam suscipient. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Quibus sic ut supra peractis idem Sanctissimus Dominus Noster Innocentius Divina providentia Papa XI. Christi nomen humiliter, & devote invocato dictis Serenissimis Dominis Leopoldo I. Imperatori electo, Joanni Tertio Poloniç Regi, ac Marco Antonio Justiniano Venetiarium Duci, & Serenisimæ Reipublicæ Venetæ, eorumque Successoribus, Regnis, & Dominiis, Armis Ducibus, & Militibus benedictionem à summo omnium bonorum Largitore precatus, & impertitus est. Et insuper exortans summopere Sanctitas Sua, ut omnia inter prçfatos Serenissimos Principes in dicto fœdere conventa debitæ executioni pro Christianæ Reipublicæ bono demandentur, nomine Sanctæ Sedis Apostolicç promisit se paternis officiis, omnique studio, & opere acturum, ut hoc triplex fœdus, & in eo contenta (absque ulla derogtione alterius consimilis fœderis inter dictas Cçsaream Majestatem, & Regiam Majestatem Poloniæ præcedenti anno initi, & in manibus Sanctitatis Suæ die decima sexta Augusti anni 1683. ex Instrumento per me &c. recepto jurati) ab ipsis eorumque successoribus religiosè, sanctè, & inviolatè serventur, atque adimpleantur omni &c. super quibus omnibus, & singulis præmisis petitum fuit à me Prothonotario infrascripto, ut unum, vel plura publicum, seù publica conficerem, atque traderem Instrumentum, & Instrumenta prout opus fuerit, & requisitus ero. Actum Romæ in Palatio Apostolico Vaticano, & prçcisè in Aula; ubi fieri solet Sacra Congregatione Consistorialis præsentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus Illustrissimis, & Reverendissimis. Dominis Jacobo Altovito Patriarcha Antiocheno, & Ægidio Columna Patriarcha Hierosolimitano testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis habitis specialiter atque rogatis &c.

Franciscus Judice Prothonotarius Decanus rogatus.
Maphçus Farsettus Prothonotarius rogatus.

Quantum profecerint post triplex hoc fœdus patrocinante Sanctissimo Innocentio XI. Christianorum arma contra Turcicas acies, ea, quæ dicenda erunt infrà declarabunt.

VNIVIT

XVII

VNIVIT, PALMAMQVE DEDIT.

XVIII

INNOCENTIVS XI. PONTIFEX
LEOPOLDVS I. IMPERATOR.
IOANNES III. REX POLONIAE.
MARCVS ANTONIVS IVSTINIANVS
VENETORVM DVX.

XIX

CONFORTAMINI, ET NON DISSOLVANTVR
MANVS VESTRAE.

TRibus his numiſmatis à privatis viris fuſis fœdus triplex celebratur, de quo diximus. Expreſſiones iconum adeò claræ ſunt, ut explicatione majori non indigeant.

XX

IN CAELO SEMPER ASSISTITVR.

DE pictura Sancti Michaelis Archangeli fulmina jacientis in Luciferum, quem calcat pedibus, ſatis alibi dictum eſt. Eam in numiſmate exprimi voluit Innocentius XI. cum lemmate IN CAELO SEMPER ASSISTITVR, ut non tantùm ſibi, ſed fœderatis Principibus contra Turcas fiduciam confirmaret, ſpemque augeret victoriæ eorum armis acquirendæ, cum dimicantibus prò Chriſtiani nomini gloria ſemper *Militet Æther*. Deo enim exercituum legiones aligerum non deſunt, per quos auxiliarias quodamodo copias certantibus addit, vireſque pro opportunitatibus auget.

XXI

SPERENT IN TE QVI NOVERVNT NOMEN TVVM.

EAmdem fiduciam Chriſtiano orbi inſpirare conatus eſt Innocentius numiſmate percuſſo cum inſcriptione ex pſalmo nono accepta: in eo Mulier ſymbolum Spei Lunam pedibus calcat juxta vota Sanctiſſimi Pontificis; *Ripa Iconol. pag. 591.* Anchoræ manum admovet, nam ſpes inter hujus vitæ diſcrimina, veluti Anchora navium inter procellas nos à naufragio tuetur. Ad Cælum oculos attollit, ut ſpem Divinam ab humana diſtinguat. Hæc enim fallax homines decipit, illa verò ad felicitatem evehit, dicente Regio Propheta *Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes* *Pſalm. 39.* *ejus, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas*. Soluta veſte induta exprimitur juxta Antiquorum leges indicantium tali amictu bona, quæ ſperat, à ſpe non teneri, cum enim illa poſſidentur, loco ſpei gaudium habetur.


SALVA-

pag. 737.

XXI



XXII



XXIII



XXIV



XXV



XXVI



XXVII



XXVIII



XXIX



XXX



XXXI



XXXII



XXXIII



XXXIV




XXXV



XXXVI



XXXVII



XXXVIII



XXXIX



XXXX



❦ XXII ❦

SALVATOR MVNDI.

❦ XXIII ❦

FORTITVDO MEA DOMINVS.

SPes suas collocans in Deo Innocentius Salvatorem Mundi in numismate expressit, ut eas confirmaret in adversis, eumque in alio numismate suam fortitudinem appellat cum Regio Psalmista, dicente *Dominus fortitudo mea*. In pictura fortitudinem expressit scilicet Mulierem Thorace, Galea, Clypeoque munitam. Sinistra Leoni moderatur, dextera diffractam columnam sustinet, ut ostendatur ejus virtutis robur, animique magnitudo Leonem evincere, inter animalia generosissimum, columnasque difringere, quæ validissimæ omnium ędificii partium existunt. His munitus auxiliis Innocentius nullis difficultatibus perterritus, flecti nunquam potuit, ut à recto justitiæ tramite vel parùm declinaret, atque cum ardua sæpè aggrederetur, in adversa omni conatu eluctabatur, ut evinceret. Suos oculos, sæpè convertens in Imaginem Christi in Cruce affixi, quam suprà mensam collocari jusserat, ea verba usurpabat, *fortitudo mea Dominus, si exurgant adversum me prælia non timebo, si consistant adversum me castra in hoc sperabo*.

Psal. 17

❦ XXIV ❦

ET DEBELLARE SVPERBOS.

IN Muliere Crucem adorante typum Religionis Christianæ effingi mihi suadeo, falsa hæreticorum dogmata, in voluminibus indicata, illa comburit face, quam dextera tenet, & superbum eorum auctorem pedibus calcat. Qui tale numisma protulit in honorem Innocentii XI. ejus profectò zelum summis laudibus prosequi voluit, quo semper veram Religionem modis omnibus conatus fuit ubique terrarum augere, feliciori auspicio inhærens, quàm quo olim Fabium Maximum apud Virgilium alloquutus fuit Anchises.

Tu regere Imperio Populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morem
Parcere subjectis, & debellare superbos.

❦ XXV ❦

SALVA NOS DOMINE.

DIvinum Mundi Salvatorem manum porrigentem Petro, ne in mari demergatur intuemur in numismate expressum juxtà narrationem Divi Matthęi, adjecta epigraphe SALVA NOS DOMINE. Illud cudi voluit Innocentius anno Pontificatus Primo cum Beato Apostolo Petro, cujus vices gerebat, ad Christum confugiens, ut se vitæ hujus procellis, & turbinibus agitatum, ac in tot, tantorumque negociorum fluctibus, & oceano periclitantem salvum faceret, Ecclesięque servaret incolumem, ac tandem ad tranquillitatis portum sibi concederet pervenire. Hoc peroptans enixè à Domino efflagitabat plenus spe, & fiducia, cujus perenne tale numisma extat monimentum. Illam prece frequenti fovebat, tunc maximè cum mala pestilentiæ prævidit, quæ Austriam penè totam

Cap. 8. 25.

absumpsit, belli etiam, quod adversus Orbem Christianum Turcæ parabant, atque inundationis, quæ Romam devastavit.

Superest, ut de Petro super aquas ambulante aliquid dicamus, atquè ad misterii indagationem illud nos excitat, quod uni Petro præ cęteris Apostolis hoc fuit concessum, neque enim otiose id miraculi patravit Christus, ut per substratum sibi æquor sicco vestigio incederet; nam ut verbis utar Divi Augustini Epist. 59. *Divina potentia etiam factis loquitur*. Porrò cum aquę Populi sint, ut Apostolus interpetratus est, quemamodum Christo data est omnis potestas. Matth. 28. ità Petrum, & Petri Successores, qui Christi vices primo loco obeunt suprà omnes populos fuere constituti, ut præessent universæ Ecclesiæ, ut propterea Petrus illud meritò usurpare possit. *In fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui*. Ecclesiast. 29.

Serm. 2. de Sanctis.

In eadem ambulatione Petro concessa Divinam illi vim communicatam agnoscimus, qua nimirum inter fluctuantes hominum opiniones solus ille absque mersionis periculo solido fidei gradu possit incedere, nam ut ait Divus Ambrosius. *Substentabat fides quem unda mergebat*. Porrò notum est, & certum, non posse Petrum, hoc est Romanum prò tempore Pontificem Petri Successorem, quatenus Pontifex est, & Summus in Ecclesia magister à recto fidei tramite umquam aberrare, non jam suo met robore, sed ex Divina illi virtute communicata si Divum Ambrosium audiamus,, Mare est scriptura, Divina habens in se sensus ,, profundos, altitudinem propheticorum enigmatum &c. quaproter in Petro, ,, qui typum Ecclesiæ tenet super aquas tutò incedente ea significatio inesse vi- ,, detur, ut Divinæ Scripturæ non ex cujuslibet sensu, sed ex Ecclesiæ mente ,, interpetrationem sumant, alioqui si alius, quam Petrus id sibi arrogaverit fa- ,, cilè sentiet quàm non in solido vestigium ponat. Petro autem; cui datum est ,, ut fratres confirmet Lucæ 22. Christus ipse manum porrigit, ne mergatur. Non ,, nihil tamen ille timuit, & valido ingruente vento non tam fretum ex commo- ,, tione, quàm ipse animo fluctuare ex timore visus est, quia nimirum homo ,, erat, & humanæ fragilitati, & provido Dei consilio permittendum aliquid ,, fuit. Effecit hoc Dominus, ut sentiret Petrus, opus esse sibi illius adminiculo, *cui Venti, & Mare obediunt*. Hæc placuit indicare cum docto viro Hieronymo Leandro in Veteri Gem. pag. 128.

Epist. 19.


XXVI

DOMINE TV SCIS, QVIA AMO TE.

Verba, quibus Divus Petrus Salvatori respondit ipsum interroganti, *Simon Joannis amas me*? usurpatur in lemmate numismatis, quod Divum Petrum cum Apostolis ante Christum genuflexum repræsentat. Vices Petri gerens Sanctissimus Pontifex libenter ejusdem verba vsurpabat, non ex una quadam animi confidentia, sed salutari formidine, quam conceptam fuisse à Divo Petro post trinam interrogationem à Christo factam scimus; etenim *contritus est Petrus*. Ait Evangelista, quia ea ter iterata interrogatione sibi videbatur Christo de amore suspectus, aut certè timebat, ne sibi contingeret quod in passione, & sicut tum enegavit, sic & nunc non amaret Christum, ità Sanctus Chrisostomus, Theophilactus, Euthimius apud Cornelium à Lapide, unde Dominus cum mæstum consolatus est dicens, Petrum Christi amore, & exemplo, quasi verum Pastorem pro ovibus crucifigendum, ità idem sicque Divi Petri Sanctitatem, & mores imitabatur Innocentius.

Joan. 21.

Ibidem.



VNA

XXVII

VNA SVPER VNVM.

Mulier in nubibus ſedens propè Templum Crucem trifidam manu gerens, & claves, Eccleſiæ Romanę typus eſt, de qua in lemmate dicitur VNA SVPER VNVM, quibus verbis telum quodammodo efficitur ad monſtrum illud interimendum, quod noſtro ævo, & cerebro tenebrionis cujuſpiam prodiit, ſcilicet bicips Eccleſia, quod tamen in unum coaleſcens unicum videretur, ſicuti in fabuloſo quondam Jano, qui ità duobus ferebatur inſtructus capitibus, ut in unum concreviſſet. Monſtroſum hunc errorem Pontificia authoritas damnavit, tamquam hæretico dogmate inventam, atque efficaciſſimis argumentis profligarunt optimæ notæ Scriptores, inter quos Theophilus Rainaudus integrum tractatum edidit Romæ anno 1647. ut actum agere videatur quiſquis in hanc curam denuò incubuerit.

At ne lucubrationem omnem in quolibet propoſito numiſmate penitùs negligamus, ſatis eſſe duximus, ſi aliquid innueremus, quod lemmatis veritatem aperiat. Igitur inter proprietates, quas Sancti Doctores, & Patres tribuunt myſtico Corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia, eſt unitas. In ſymbolo enim fidei dicunt *Credo unam Sanctam Eccleſiam Catholicam*, Spiritus Sanctus de ea loquens *una* (ait) *eſt Columba mea, una eſt perfecta mea*. Hanc autem unitatem ex pluribus colligi docet. Sapientiſſimus Cardinalis de Turrecremata,& primò ex unitate Principis, quo regitur, ſcilicet Chriſti, quem Pater dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quę eſt Corpus ejus. Secundò ex unitate fidei, in qua fundatur, eſt enim fides Chriſtianę religionis fundamentum ait Chryſtomus, cum omnes Chriſtiani idem credant corde, & ore confiteantur, nam ut Divus Hieronymus ſcribit ad Euandrũ Epiſcopum *Africa,& Perſis,& Oriens, & India,& omnes barbaræ nationes unum Chrſtum adorant; unam obſervant regulam veritatis*. Tertiò una dicitur ex unitate baptiſmi, in quo ſantificatur, qui eſt idem apud omnes ſic Apoſtolus ad Epheſ.4. *Vnus Dominus, una fides unum baptiſma*. Quartò dicitur una ab unitate ſpei, qua ad bona cæleſtia erigitur. Quintò unitate charitatis, qua connectitur. Sextò dicitur una, unitate Spiritus vivificantis, ſicut enim unum Corpus hominis ex multis conſtat membris,& vegetat omnia membra una anima, ita Spiritus Sanctus membra Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia vegetat. Septimò dicitur una unitate unius præſidentis viſibiliter converſantis cum ea hic autem unus præſidens,& Paſtor in tota Eccleſia Vices Chriſti gerens Summus Pontifex eſt, unde Beatus Ciprianus tractans illud Math. 16. *Tu es Petrus &c. Super unum*, inquit *ædificat Eccleſiam & ut unitatem manifeſtaret unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua authoritate diſpoſuit, & infra exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur*.

Li.1 cap 6.47.

Cur autem multi è Græcis Maiorum ſuorum veſtigiis non inſiſtant, & Petri Apoſtolorum Paincipis, unicique Eccleſiæ capitis Succeſſoribus debitos honores minimè deferant, inde prouenit, quòd credant ad Græcos translatam Beati Petri in regenda Eccleſia authoritatem, poſtquam ad Græcos Romanum Imperium tranſlatum fuit, cœperuntque Imperatores Chriſtiani ritu græco vivere; videtur aliis Græcorum cauſa potior, quam cauſa Romanorum, cum illi Patriarcham unum habeant, Romani quatuor; at quam cecutiant Græci ſibi ſuadentes Pontificis, & Patriarcharum jura eſſe æqualia, optimè notat Pater Nau in ſuo erudito Dialogo pag. 226., ubi refert, Nicænum Concilium conſtans 318. Patribus: hoc in Canone 94. ſatis oſtendit eorum errorem, ubi dicit poſtquam de Authorita-
» te Patriarcharum in Epiſcopos egerat, *Ad hunc modum qui Romam habet, ea in*
» *omnes Patriarchas* authoritate pollet, qua in diſcipulos omnes Petrus gau-
» debat. Dominus enim noſter Jeſus Criſtus hac illum glorioſa dignitate dona-
» vit. Sit illi Imperium in omnes Chriſtianæ Religionis Antiſtites, & populos
» ſucceſſit enim Chriſto Vicarius adminiſtranda Apoſtolica Eccleſia, & Divinis


„ suis Ecclesiis , & populis suis Spiritualibus . Et quis hanc legem infregerit anathema illi Synodus dicit . Quid dicent schismatici ? An paria sunt Pontificis Romani , & aliorum Patriarcharum jura ? si Patriarchæ distributas habuerunt Provincias suas ex antiqua consuetudine , certe non à seipsis , non à Synodis . Habeant igitur à Romano Pontifice Petro , qui Ecclesiam Alexandrinam , & Antiochenam condidit. Nonne Oecumenicæ Synodi , præcipuè Nicæna secunda agnoscunt Summum Pontificem, ut caput suum , suumque Patrem ? si caput, ergo unum , alioquin monstrosum erit Corpus .

Scripsit Constantinus Imperator in Epistola ad Leonem Papam in hęc verba *Christi oves in unum gregem redegimus , quæ ab uno & solo Pastore bono pascantur .*

Veritatem hanc orthodoxam confirmare studuit Innocentius in proposito Numismate , ut hęreticorum errores depelleret . Quamobrem meritò tabulę feretri inscriptum cernebatur sequens elogium .

CONSERVANDÆ , ET PROPAGANDÆ CATHOLICÆ RELIGIONIS
STVDIOSISSIMVS INNOCENTIVS,
NIHIL NON MOLITVR,
CONATVS PRINCIPVM ANTIQVA HÆRESVM MONSTRA
PROFLIGANTIVM PVBLICE GRATVLATVR,
COMMENDAT , ET PROMOVET .
NOVA VERO SVBNASCENTIA DECRETIS IPSE PROFLIGAT
GERMANVM , POLONVM VENETVM
MOSCVM ARMAT IN MAHOMETICAM IMPIETATEM ,
ET PRECIBVS,LACHRIMIS,CONSILIIS,
AVRO FERRO SVO,
ET ALIENO IVVAT ARMATOS .

Sed ut ad expressionem in Numismate factam redeamus idest Ecclesiæ sub forma mulieris , illam hac voce optimè exprimi docet Turrecremata lib. 1. Cap. 36. & quidem duplici ratione primò aptitudinis ad fęcunditatem Proverb.ult. *mulierem fortem quis inveniet* glos. inter l. *idest filios Dei generantem* , item alia glos. *Mulier fortis Sancta Ecclesia est* ; *Mulier , quia ex aqua , & Spiritu Sancto Deo filios Spirituales gignit . Fortis , quia cuncta adversa , vel prospera sæculi pro Dei amore contemnit.* Secundò ratio quare Sancta Ecclesia mulier nuncupata legitur est , propter similitudinem formationis suæ cum prima muliere . De formatione autem primæ mulieris in Genes. 2. scriptum legimus *Ædificavit Dominus Deus costam , quam tulerat de Adam in mulierem* , quod verbum pertractans Sanctus Augustinus super Psalmum , sic dicit , *quando dormiuit in Cruce Christus signum gestabat imò implebat quod significatum erat in Adam , quia cum dormiret in Cruce lancea latus ejus percussum est , & Sacramenta fluxerunt , unde facta est Ecclesia* ; Beatus Ambrosius super Lucam lib. 2. *Mater ergo viventium est Ecclesia , quam ædificavit Deus ipso summo angulari lapide Christo Jesu , in quo omnis structura compaginata crescit in templum veniat ergo Deus , ædificet mulierem illam adiutricem quidem Adæ hanc verò Christi non quia Christus adiumentum requirit , sed quia nos quærimus , & desideramus ad Christi gratiam per Ecclesiam pervenire .* Cęterum Ecclesia templum legitur appellata , quod etiam in numismate desingatur , & hoc propter similitudinem ædificii templi Salomonis , in quo figuratum est templum Dei , quod est Ecclesia. *Fuerunt autem in templo primo lapides , & cæmenta* ait Augustinus *lapides vivi qui sunt , nisi fideles ? junctura lapidum viventium charitas est .*



MATER

✠ XXVIII ✠

MATER SALVATORIS ORA PRO NOBIS.

IMaginem Deiparę in hoc nummo expressam intuemur, cujus opem implorat piissimus Pontifex verbis ex precibus acceptis, quæ à Christifidelibus dici solent, sicut in alio numismate.

✠ XXIX ✠

EJusdem effigiem exculptam, adiectisque verbis. QVI ME INVENIT INVENIET VITAM juxta documentum proverbiorum cap. 8. 25. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad portas ostii mei. Qui me invenit inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* His verbis suam fiduciam erga Virginem Dei Matrem augebat in adversis Innocentius, cujus eximiam pietatem utrumque numisma commendat.

✠ XXX ✠

AVDITE VOCES SVPPLICVM.

CArmen in lemmate dicitur ex hymno acceptum, quem in festo Sanctorum Apostolorum canit Ecclesia.

Vos sæculorum Judices,
Et vera Mundi Lumina
Votis precamur cordium,
Audite voces supplicum.

His alloquitur Sanctus Pontifex Divos Apostolos Petrum, & Paulum in numismate exculptos, à quibus, ut Romæ Patronis ejus Urbis incolumitatem sperabat, de eorum expressione abundè dictum est alibi, quamobrem nihil addendum sicut in sequenti.

✠ XXXI ✠

IN quo Apostolorum Princeps, cum volumine, & libro additis verbis. SANCTVS PETRVS APOSTOLVS.

✠ XXXII ✠

CASTRO NOVO EXPVGNATO 1687.

EXpugnationem Castri novi ad ditionem Turcarum pertinentis memorat numisma, in quo navigium remorum vi mare percurrit Cęlesti Aligero Duce. Illam juvit Innocentius, cujus cura non terra tantùm sed mare Christianæ ditionis fines prolati sunt, adiuncta enim sacro fœderi Venetorum Republica, huic quoque datus est perpetuus victoriarum cursus; Capta primùm Epiri promontoria, recepta subindè Dalmaticæ littora, expugnata demum vetus Achaja, & in ea superati Bellicosi, clarissimique Greciæ Populi, Lacedemones, & Athenienses à quibus tot pulcherrimę artes ad nos sunt derivatæ. Hic Chorinthus, ubi Paulus Evangelium docuit, hic Patres, ubi Andreæ glorificatus est

exitus

exitus. Hic Areopagus, ubi Dionyſius fidem ſuſcepit. Hic antiquæ Eccleſiæ ab Apoſtolis, eorumque Diſcipulis inſtituta Martyrum ſanguine conſperſæ, Patrum natatali conſpicuæ quæ Innocentio, Dei opem implorante, ex dira Barbarorum tyrannide ereptæ ſunt, & etiamnum avitæ Religionis libertate fruuntur.

Inter cætera Caſtri novi expugnatio maxime adnumeranda eſt, de qua hæc habentur in Diariis Pontificiis „ 12. Octobris 1687. Joanni Lando Reipublicæ „ Venetæ ablegato litteræ ſunt redditæ, quæ totam Urbem lętitia complevere. „ Etenim nunciatum fuit Caſtrum novum, Arcem in Dalmatia ad oſtium ſinus „ Rhizonici munitiſſimam à Turcis anno 1539. occupatum, & ſedem effectum „ Piratarum in prædicto mari ſub Venetorum Imperium redactum fuiſſe poſt va- „ lidam Turcarum defenſionem. Hieronymo Coronaro Venetæ Claſſis Præfecto „ claves redditæ ſunt. Is in Urbem ingreſſus, majori Meſchita expiata, Divo „ Hieronymo, cujus die arcem cœperat, dicata, gratias Deo rependit Hymno *Te* „ *Deum* deinde de mandato Sanctiſſimi habita fuit Cappella Cardinalitia in Ec- „ cleſia Sancti Marci, in quà decem, & novem Cardinales interfuerunt, Miſſam „ cantavit Reverendiſſimus Capoblancus Epiſcopus, olim Laquedonienſis, quæ „ fuit de Beata Maria cum oratione pro gratiarum actione. Cantatus fuit etiam „ Hymnus *Te Deum* à Cantoribus Capellæ Pontificię, ac interim mortaria, „ tùm in foro Sancti Marci, tùm in mole Adriani cum majoribus tormentis ex- „ ploſa feſtivum plauſum duplicarunt.

Numiſma hoc æneum habet fuſum Joannes Andræas Lorenzanus, fuitque modulus numiſmatis aurei, quod Innocentius donavit viro, qui ejus victorię relationem Romam attulit.

✠ XXXIII ✠

MVNIFICENTIAE TVAE IN OBSIDIONE TVRCARVM TRIBVENDA VICTORIA ANNO VIII.

✠ XXXIV ✠

DEXTERA TVA DOMINE PERCVSSIT INIMICVM. 1683.

Utrumque numiſma appellari poteſt triumphale, & laureatum. Victoriam enim memorat, quam de Turcis Viennam obſidentibus, Leopoldi Imperatoris arma retulere, & palmarum corolla inſignitur, intra quam verba inſcripta ſunt, atque in primo quidem Victoriam munificentiæ Innocentii XI tribuentia, in ſecundò verò Omnipotentiæ Divinæ, verbis, quibus olim Moyſes, & filiis Iſrael carmen Domino dixerunt poſt tranſitum maris rubri, in cujus littore Ægyptios mortuos aſpexere. DEXTERA TVA DOMINE PERCVSSIT INIMICVM. Hoc cuſum fuit Romæ ipſius Pontificis juſſu, illud in Germania, ut grates Sanctiſſimo Pontifici pro acceptis beneficiis rependerentur.

Quandoquidem & Divinæ Omnipotentiæ dextera adeò inſignis Victoria ſtetit, & auxiliis Sanctiſſimi Pontificis Innocentii Militi Cæſareo robur acceſſit, ut vinceret, brevem, tum obſidionis, tum Victoriæ enarrationem concinnabimus, ex Diario, quod ejus obſidionis à ſexta Maii ad decimam quintam uſque Septembris deductum latinè ſcripſit, Typiſq; vulgavit Joannes Petrus à Velckeren Sacri Romani Imperii Eques, & Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius Aulicus Bellicus, aliiſque relationibus fide dignis Romam tunc temporis miſſis.

Cum igitur Turcarum Imperator impio jurejurando ſe obſtrinxiſſet ad bellum in Auſtriam inferendum, ut Catholicam fidem omninò perderet; Vires

Vires omnes, aciesque armatas Austriam versus direxit, in ea bellica expeditione hunc ordinem servatum fuisse retulerunt. Prima exercitus acies triginta mille Fossores castrenses numerabat ad itineris invia complananda. Quinquaginta mille Jannizzari illos sequebantur majori sclopo, ferreoque bracchiali sinistro muniti, totidem comitabantur equestres Spahi arcubus sagittisque armati. His succedebant quinquaginta millia peditum. In medio quorum centum majora ænea tormenta, pluraque minora, Pylocastra multa innumeræque ignariæ ollæ equis trahebantur. Non deerant Pyrobolarii, tormentorum explosores, Balistarii, Fossores, Cunicularii, Signiferi, omnisque generis bellica Instrumenta, quæ in armamentario inveniri solent. Post has acies, currus innumeri sarcinas, & bellicam annonam vehebant. Postquam exercitus tali ordine distributus expansis Vexillis Constantinopoli Belgradum usque processerat, Armilustrio instituto, novas acies enumeravit, scilicet Tartarorum viginti duo millia, ex Transilvanis octo millia,& duodecim millia equitum ex Valachiæ, & Moldaviæ Regionibus.

Interim Serenissimus Princeps Carolus Lotharingiæ Dux, cui Cæsar Augustus sexta Maii ejusdem anni 1683. sua dederat arma, cum applicaret animum Vivarino obsidendo, Nuntiis certis intellexit, primum Vezirium cum ingenti hominum multitudine, quę ducenta millia armatorum esse credebatur, magnis itineribus accelerare, quamobrem exercitum Imperatoris ità collocare studuit, ut defendere se, & obniti conatibus hostium posset. At illicò Tartarorum triginta millia veloces, & improvisi effunduntur per pagos, & arces, & oppida, murorum repagulo orbata, eaque flamma, ferroque vastant, abductis in captivitatem multis Christianorum millibus. Quamobrem Viennæ Cives timore percussi fugam meditati confestim parant omnia (quantùm in confusa celeritate fieri poterat) quæ itineri maturando serviebant. Vespere circa horam octavam die septima Julii Vienna discedunt Cæsareę Majestates cum Augusta sobole, & aula cum Legionariis ducentis, ut pro Augustis noctu excubent. Sunt qui affirmant, ultra sexaginta hominum millia post Cæsarem discessisse ea nocte, tamen obsidionis tempore inventa sunt in Urbe alia sexaginta hominum millia armis tractandis apta, præter militiam, & debiliorem sexum. Antè tamen discessum Cæsar duplici providit Viennam gubernio, politico uno, quod quinque viris formabatur, altero militari.

Die decima quarta Julii Mensis illuxerat, cum omne Turcarum agmen cum innumeris curribus, equis, & camelis visum est appropinquare ad Sancti Marci Collem, deinde diffusa multitudo per circuitum Urbis est in semilunarem formam disposita, & statim visus est hostis ante Portam Cæsaream inchoare labores, ut jam planè cognoscerent Cives, sese esse à Turcis obsessos.

Die Julii 18. suggestus suos contra Urbis propugnacula longo sanè tractu, sed mediis semper intervallis extruxerat, continuatis fossionibus in unam lineam constructis, ex quibus tormenta explodebat.

Decima nona Julii usque ad decimam Septem. hostilibus tormentis, invasionibus,aggressionibus quamplurimis,omniq; conatu,continuato ferè studio,Urbem expugnare conati sunt Turcę. Toto temporis intervallo ex illis periere quadraginta quatuor ultra quingentos, nihilominus in Armilustrio, quo numerati sunt in Castris Turcicis ad eum diem centum sexaginta octo mille mansere superstites.

Hac pertinaci, validaque obsidione, & si tota penitus Europa deterrita, animo tamen Sanctissimi Pontificis ingenti fuit mærori ob summum discrimen, quo Christiana Religio periclitabatur. Vix de illa certior factus ante Christi Crucifixi imaginem genuflexus fiducia plenus in ea verba prorupit, quæ Moyses olim mærore afflictus pronunciavit. *Aut dimitte eis banc noxam, aut si non facis dele me de libro tuo, quem scripsisti,* inde fiducia plenus imaginem Christi Salvatoris in Cruce affixi sæpè colloquentibus indigitans, repetebat cum Davide. *Dominus defensor meus, protector meus, in hoc ego sperabo.* Publicis etiam precibus indictis, Cęsareis subsidia contra hostes paterna sollicitudine expetere non cessavit toto obsidionis tempore. Hac de causa die 14. Augusti ejus anni 1683. signum dari pręcepit à majori cujuslibet Sacræ Ædis campana, quo moniti Fideles in genua procumbentes victoriam à Deo exercituum suis precibus expeterent, & die

decima

decima octava supplicationem publicam instituit, concessa pœnarum omnium venia, à Templo Divæ Mariæ supra Minervam ad aliud, quod Beatæ Mariæ de Anima nuncupatur. In ea procedebant universus Romanus Clerus, tum sæcularis, tum regularis, totius Romanę Curiæ Presules, & Purpuratorum Patrum Cætus, modulantibus interim Cantoribus Sacelli Pontificii sacras preces in honorem Beatæ Virginis, quas Lytanias vocamus, easque absoluit oratione Eminentissimus Cardinalis Ludovisius Summus Pœnitentiarius, Sanctissimam etiam Eucharistiam singulis diebus in aliquo Urbis templo publicè exorari præcepit, Regique Poloniæ stimulos addere repetitis literis studuit, ut quamprimùm suo milite auxilia pararet obsessis, concesso in eum finem universali Jubilæo, ingentiquę auri copia erogata. Fertur, ab ipso Pontifice tunc temporis donata fuisse è paterno pænu centum millia aureorum, quibus ejusdem exemplo magnam pecuniæ summam addidit Rex Hispaniarum, sexaginta millia nummos Rex Lusitanię, quadraginta millia Sacer Purpuratorum Cætus, aliique Principes, Procereque non modicam auri quantitatem.

Joannes interim invictus Polonię Rex, ut simul Sanctissimo Principi gratificaretur, & communem Christiani Orbis causam tueretur contrà infensissimum hostem, validi, nobilisque exercitus expeditionem fecit Viennam versus, hac epistola ad Pontificem data.

Sanctissime, ac Beatissime Pater, Domine Clementissime.

„ Præmissis hisce diebus cum Exercitu Regni belli Ducibus accepta à Reve-
„ rendissimo Sanctitatis Vestræ Nuncio benedictione, hodiè Divę Virginis Assum-
„ ptæ sacra festivitate, bellatorem conscendo equum ad sacra iturus bella, &
„ obsessę Viennæ auspice Deo, pristinam redditurus libertatem. Hujus Urbis,
„ & in ea periclitantis Christianitatis in tantum me movet periculum, ut Lithua-
„ nicos, Cosaticosve non censuerim expectare exercitus, quibus incessanter sub-
„ sequi jussis, ipsa primis duobus diebus Septembris mea cum Cæsareis ad ripas
„ Danubii conjungam arma. Sanctitati Vestræ hęc dum facio, reverenti, & filiali
„ cultu exhibebo, quantùm in pectore meo valuerint paternæ ejus adhortationes
„ quanti æstimaverim sacras ejus circa rem Christianam sollicitudines, quibus
„ personam meam, vitam, & Regiæ domus charitatem litare non dubitavi, certus
„ tam benedictionibus Apostolicis, quàm de paterno affectu, quo me ceù obe-
„ dientem filium in certamina pro gloria Crucis, pro conservatione Orbis Chri-
„ stiani descendentem cumulare, non intermittet Sanctitas Vestra, cui & manu, &
„ animo profiteor, quod sim obedientissius Filius.

Joannes Rex Polonię.

Dum autem citato itinere cum exercitu Rex procedebat, obsessis penè victis ingens Christianorum sanguinis timebatur profluvium, & Viennæ ultimum excidium, acies auxiliariæ, quæ expectabantur adhuc præsto non erant. Duodecima tandem Mensis, quæ albo in futurum calculo ab Orbe universo notanda est die, orto jam sole Cæsariani, & Poloni densatis agminibus è Cetii montis cacumine explicatisque ad sinistrum latus inspectantium longioribus alis accurrunt; mox, ut planitiem premunt, magis etiam in latum extensi demittunt se, agentes continuò in Turcarum acies bellica tormenta. Hi non suspicantes contra se immanes Christianorum Acies tantis animis ad pugnandum promptas, & alacres, & post se sentientes tormentorum ingentium globos, qui è mœnibus hostium in terra ejaculabantur, audent primi Christianas acies lacessere mox autem ira Barbarorum deferbuit cum observabat Joannem Poloniæ Regem Polonos suos animantem, à dextris, pariterque Lotharingiæ Ducem à sinistris tum cedere loco incipiunt sæpius Turcæ, denique terga vertunt, & turpi se fugæ committunt.

Fugientes insecuti victores Christiani non castris modò, sed & omnibus, quæ in jis erant potiti sunt, papilionibus, annona, tormentis, pecunia, bubalis, curribus

curribus,camelis,globis,puluere, pice, adipe, ferro,plumbo, argento, auro, & aulæis, uno verbo, omnibus quorum catalogum adnectit post diarium idem Comes Joannes Petrus è Velckeren. Ejus summa hçc continet.

Tentoria, & Papiliones Castrenses. - - - - - - - - -	8000
Tormenta bellica majora. - - - - - - - - - - - - -	160
Mortaria ænea. - - - - - - - - - - - - - - - -	40
Pulveris nitrati libras. - - - - - - - - - - - - -	400000
Plumbi libras. - - - - - - - - - - - - - - -	400000
Ferri libras. - - - - - - - - - - - - - - - -	20000
Bolides ignarias ex ære. - - - - - - - - - - - - -	18000
Ex ferro alias. - - - - - - - - - - - - - - -	20000
Ollas ignarias majores. - - - - - - - - - - - - -	1000
Salnitri libras. - - - - - - - - - - - - - - -	50000
Sulphuris libras. - - - - - - - - - - - - - -	60000
Picis, & Resinæ lib. - - - - - - - - - - - - -	20000
Globos pro æneis tormentis. - - - - - - - - - - -	20000
Olei ex lini semine. - - - - - - - - - - - - - -	40000
Ligones. - - - - - - - - - - - - - - - - -	20000
Instrumenta varia ad cuniculos aperiendos. - - - - - -	30000
Sacculos pro arena. - - - - - - - - - - - - - -	300000
Ferreæ equorum Soleæ libras explebant. - - - - - - -	8000
Cacabos pro pice eliquanda. - - - - - - - - - - -	1000
Pelles bovinas. - - - - - - - - - - - - - - -	8000
Sacculos pro lana. - - - - - - - - - - - - - -	100000
Sacculos adipe plenos. - - - - - - - - - - - - -	300000
Funiculorum ignariorum. - - - - - - - - - - - -	600000
Incudines. - - - - - - - - - - - - - - - -	4000
Currus pro annona bellica. - - - - - - - - - - -	8000
Vexilla varia. - - - - - - - - - - - - - - -	200000
Hastilia pro lanceis. - - - - - - - - - - - - -	5000

Scloporum cujusque generis, Gladiorum, Clavarum, Acinacum, Pugionum, Annonæque diversæ adeò ingens copia fuit, ut Viennæ cellæ, ac Apothecæ ad ea omnia recepienda defecerint.

Atque ex hac improvisa, præclaraque Victoria,cum ex generali oppugnatione interitus imminebat obsessis, dexteræ Divinæ virtus emicuit, cujus potentia ultrà ducenta millia Turcarum fuere disiecta, & profligata, tribus millibus tantùm in Castris Cęsareis desideratis, cum octingentis Polonis in pugna demortuis. Defecit etiam in Magno Vizirio superba animi elatio, quæ in obsessos frequentibus modo blanditiis, modo minis invehebatur. Inter cætera extat Epistola ad eosdem è Castris missa, cujus interpetratio genuina servatur in bibliotheca Illustrissimi Præsulis Joannis Ciampini. Tom. M. XXXI. estque hujusmodi.

„ Vos qui Generalis Gubernator Militis, & nobiles Cives Urbis Viennensis „ estis, ex istis nostris literis hunc in finem exaratis cognitum, compertumque „ habeatis ex sacro sanctissimo mandato Serenissimi,Potentissimi, formidabilis, & „ Maximi Imperatoris Orbis Terrarum, qui clementia Dei altissimi in utroque „ Mundo adinstar collucentis Prophetæ nostri Mahometi Mustaphi adoratur, cui „ benedictio sit, & gloria semper à Deo ubertate amplissimorum miraculorum „ maximus est omnium Regnatorum, & Augustissimorum universorum Impera„ torum, sit planum, & notum latè expansis nostris innumeris à Deo protectis „ exercitibus nos pervenisse Viennam, ut Urbem istam expugnemus atque Divi„ næ professionis prædictionem extollamus, antequam verò frameas, gladiosque „ nostros stringamus cum in fidem Musulmanicam ab ipsis met legibus universa„ lis Prophetæ nostri ditamur, ante omnia à principio Musulmanicam fidem vobis „ offerimus Musulmannum scilicet si amplectamini omnem in vobis invenietis sa„ lutem, minusque etiam Urbem istam sine pugna dedatis,tangemus, sed expleto

„ in ipsa jure Divino nullum vobis inferetur damnum, sivè adulti sitis, sivè adolescentes, sivè opibus muniti, sivè paupertate depressi, sed omnes omninò tuti vivere poteritis, & è vobis si qui egredi alioque abire volverint, nullam vim patientur, nullumque etiam detrimentum in opibus, & rebus suis habebunt, sed per comitatum fidissimum unà cum familia, liberis vestris, uxoribusque etiam vestris mandabuntur quoquo versus ire voluerint, si verò in Urbe manere placuerit unà cum rebus, & opibus suis conservabuntur, & ubi antea degebant, liberum habebunt, tutumque statum; si verò ob firmationem animi obstabimini cum favente Divina clementia, vi, atque potentia imperatoria prædicta Urbs expugnabitur, atque occupabitur, nemini concedenda vitę rerumque securitas per Deum Creatorem Cælorum, Terrarumque, cui nullus est par nullusque penitus socius, ut benè nostis, secundum propheticam legem nostram à nobis odio habebimini vel maximo, & opes, resque vestrę diripientur, omnes familię, atque liberi vestri unà cum uxoribus etiam vestris cæterisque omnibus, & singulis in sævissimam adducentur captivitatem. Dat. in Castris Imperatoris Nostri sub Vienna, aucta luna dicta Reisebano à profectione millesimo, nonagesimo quarto.

Arrepta ab hostibus fuga è tentorio Imperatoris Turcarum Imperiali Vexillum lętabundus arripuit Poloniæ Rex, illudque in præclaræ victoriæ monumentum ad Innocentium Pontificem misit. Romam citato cursu profectus Dominus Thomas Talenti à secretis Regis, die vigesima quinta Septembris cum eo pervenit, qua in Basilica Liberiana gratiæ Deo agebantur pro victoria, cujus felix nuncium à MagnoDuce Ethruriæ Pontifex primùm acceperat Urbe universa interim lętante & triumphantium instar per publicas vias dispersis Civibus, festivę omnium voces, diu, noctuque ingeminatæ gaudii, ac pietatis lachrymas provocabant.

Die deinde post adventum Talenti insequenti Eminentissimus Cardinalis Carolus Barberinus Regni Poloniæ Protector ad pedes Sanctissimi Pontificis illum adduxit, obtulitque Suę Sanctitati Epistolam à Rege missam, & italicè conscriptam his verbis.

Santissimo, e Beatissimo Padre.

Venimus, vidimus, & Deus vicit. „ Si compiacerà la Santità Vostra, come la supplico ricevere benignamente per un nuovo testimonio del mio filiale ossequio l'auviso, che le porgo della segnalatissima vittoria concessa hieri dal Signore Dio all'armi Christiane sotto Vienna, essendomi riuscito di distruggere la maggior parte dell' essercito Ottomano numeroso di sopra 180. mila combattenti, rendermi padrone di tutto il Cannone, di tutte le principali insegne del Gran Visir, de'suoi proprii Cavalli, Armi, Stendardi, e Padiglioni, & in somma doppo una sanguinosa battaglia di sette in otto hore con la fuga del medesimo Visir, e del resto di tutti li Soldati, restò in poter nostro tutto il loro campo, che si stendeva più di una lega di queste parti. Troppo haverei da significare alla Santità Vostra, se io dovessi à pieno informarla di ogni particolarità, tanto della nostra marchia, quanto del combattimento, ma perche mi preparo di perseguitare il resto de'Barbari fugitivi si compiacerà permettere, che io mi stenda à ricordarle, che si come mi diede l'onore di scriverle da Ratisbona in Slesia, promettendomi trovarmi sotto Vienna al principio di Ottobre, avanti questo termine mi trovo nella piazza medesima. Il mio Segretario Talenti, che haverà l'honore di presentare questa à Vostra Beatitudine essendosi ritrovato nelle attioni appresso di me, haverà campo di ragua gliarla distintamente delle particolarità, e di assicurare la Santità Vostra della continuatione del mio dovuto ossequio, e del zelo ardentissimo, che conservo per l'augumento della Cattolica Fede, e l'obligo di contribuire tutto ciò, che potrà dipendere da me istesso per la gloria, e sodisfattione della Santità Vostra, alla quale &c.

Vienna 13. Settembre 1683.

Die

Die autem 29. Octobris Divo Michaeli Sacra Cælestis Militię Antesignano, in Sacello Pontificio Eminentissimorum Patrum Decanus Sacra peregit, atque post oblationem Dominus Abbas Claratumbæ Joannes Casimirus Denoff Regis Poloniæ extrà ordinem Ablegatus, qui postea inter Purpuratorum Patrum Senatum fuit adscriptus his verbis in Sacro Cætu Pontificem Summum est alloquutus. *Impressa est hæc Oratio Romæ Typis Michaelis Herculis.*

Beatissime Pater.

„ Vetustus hic mos est ab heroicis usquè temporibus ad nostram ætatem perductus, ut profligatorum hostium signis via sternatur Victoribus, qua festas inter gratulantium voces in gloriæ templum provehebantur. Verùm quoniam Joannes Tertius Poloniæ Rex Dominus meus clementissimus, qua est animi magnitudine non sibi, sed Reipublicę Christianæ vicit, ejusque in Deum pietas, & in Sanctitatem Vestram, Sedemque Apostolicam observantia singularis bellicam fortitudinem adęquaverit, ideò præcipuam fomidabilis Turcarum dominatoris Vexillum, Regiæ dexteræ Virtute è mediis eorum castris ereptum, atque in eo potentiæ Ottomannicæ culmen ad Sanctitatis Vestrę pedes per me ablegatum suum reverentissimè demisit.

„ Venit quidem Joannes Rex, vidit, & vicit, venit inquam, & Regno relicto Reginaque cum liberis deserta, ad liberandam Viennam Austriæ Imperiumque servandum accurrit, sed Sanctitate Vestra auctore, cui suum obsequium exemplo omni memoria inaudito, contestatus est. Vidit etiam imperterritus sæva Turcarum agmina Orbis ruinam minantia, sed Sanctitas Vestra providerat, clypeum hunc unum, tot funera contra obiiciens, & Spiritu Sancto afflata intellexerat eum Christianæ Religionis Defensorem à Deo destinatum esse. Vicit denique Joannes cum turmas hostium, quibus spatium vix præbuit tempus fulminanti dexteram delevit, &


Hæc omnes Veterum revocavit adorea lauros.
Joannes cunctos reddit tibi Roma triumphos.

„ Sed victoria tanta auspiciis Sanctitatis Vestrę parata est. Vicistis uterque Sanctitas Vestra votis, & profusis in bellum sacrum sumptibus, Rex gladio, & Regii discrimine sanguinis. Agnoscat itaque, Beatissime Pater Sanctitas Vestra, & libenter suscipiat Pontificatus Sui decus ęternum, quo tum sua, tum Invictissimi Regis virtute parto multos annos perfruatur.

Oratione hac absoluta, Summo Pontifici Vexillum oblatum fuit à Talenti exceptumque ab Illustrissimo Marchione Naro, Sacrę Romanæ Ecclesię Vexillifero, quod deinde in Basilica Sancti Petri collocarunt. E serico phrygio, auro intertexto componebatur Vexillum, rubro, & viridi colore variatum, caracteribusque arabicis aureis interdistinctum, quos Pater Ludovicus Maraccius Ordinis Congregationis Matris Dei à Pontificiis confessionibus in italicum idioma reddidit, juxtà exemplar quod typis tunc temporis vulgatum fuit, ex quo etiam omnium partium mensurę deprehendebantur.

In communis lętitiæ argumenta ob præclarum beneficium à Deo concessum grates persolutæ sunt solemni Ritu in omnibus sacris ædibus, quarum campanæ integro horæ spatio biduo insequenti festivum sonitum ediderunt, ac plurima solemnia sacra, tum in gratiarum actionem, tum pro occisorum in bello suffragio, habita sunt; addiditque Summus Pontifex ingentem pecunię summam pauperibus erogandam, atque ut æterno festivus dies calculo signaretur, festivitatem jussit singulis annis celebrari per totum Terrarum Orbem in honorem Deiparę die Dominica post festum Nativitatis; percussit etiam pecuniam, in qua verba numismatis à nobis propositi legebantur. DEXTERA TUA DOMINE PERCUSSIT INIMICUM, quæ olim Beatus Pius V. monetis missilibus insculpsit, cum Roma Marcum Antonium Columnam post Turcas devictos more triumphantis excepit. Imperatori centum mille aureos, totidemque Régi Polono misit, addiditque sacrum pileum, & ensem quibus solent Summi Pontifices Heroum virtutem, ac beneficia Ecclesiæ Romanæ ab iis collata remunerari.


Viro autem, qui Vexillum detulit nongentos donavit nummos cum aureo torque, quinque libras ponderante, ex quo numisma aureum supra expressum pendebat, annuum etiam proventum quingentorum nummorum ex beneficio Ecclesiastico accipiendum, eidemque quamplurimi Romanæ nobilitatis Proceres pretiosa munera addiderunt, quibus commune gaudium, omniumque Religio comprobaretur.



XXXV

BEATVS AMADEVS, DVX SABAVDIAE.

DIù quæsivi quomodò conciliari possent binæ hujus numismatis partes, in quarum altera imago est Innocentii XI. in altera verò Beati Amadei Ducis Sabaudię. Illud ab ignoto Sculptore Romæ cusum fuisse inveni, ut cujusdam pietati satisfaceret, qua S. Ducem, & Innocentium Pontificem colebat. Spurium proindè æstimandum est numisma, nulla Principis facultate cusum, imò prohibitum cum aliquibus aliis inferius indicandis; non enim licet unicuique Sanctorum imagines in numismatibus copulare cum imaginibus eorum, qui adhuc inter Sanctos non fuerunt à Summis Pontificibus adscripti, ut veneratione Sanctis debita colantur.



XXXVI

VICIT LEO DE TRIBV IVDA.

NUmisma festivum ex ære formatum ab artifice, ut victoriam à Venetis contra Turcas relatam significaret. Exculpsit proptèrea canem à leone dilaceratum, hic enim Venetos, ille Turcas designat, addiditque verba, quæ in cap.5. Apocalypsis unus de Senioribus pronunciavit Divo Joanni cum fleret. *Ne fleveris ecce vicit Leo de Tribu Juda*. Quo tempore vulgatum illud sit nulla indicat nota, quamobrem omninò latet quamnam victoriam cecinerit.



XXXVII

SVB TVVM PRAESIDIVM.

DOmum Beatæ Virginis Lauretanę. Sub qua Vexillum Turcicum in aere expansum, in campo autem subiecto Militum pugnam exhibet numisma, in memoriam insignis Victoriæ à Joanne Invicto Polonorum Rege relatę inclitisque Cęsarianis Ducibus. Vexillum igitur illud est, quod apud Barkam cęso hoste acceptum Pontifici missum fuit, ut in Templo Lauretano Beatę Virgini dicaret, quandoquidem sub ejus præsidium confugientes Christiani Milites propitiam agnoverunt die nona Octobris anni 1684. cęsis decem circiter millibus cum Vizirio Budensi, ducentis tantùm in Castris Catholicorum desideratis. Fuit impressa relatio Venetiis ab Antonio Bosio. Post Turcas ad Barkam cæsos ab eodem Rege Polonię, occupatũque Strigonium cum oppidis adjacentibus, pagis suprà mille, Nuntium accepit Innocentius, gratiasque publicè Deo soluit, distributis in alimoniam pauperum quatuor millibus nummorum, apertisque carceribus ad libertatem eorum, qui debitis gravarentur, creditoribus ære æqualiter retributo.

Itaque Summi Pontificis jussu Eminentissimus Cardinalis de Alteriis, Abbatem Alexandrum Balleonum Lauretum misit, qui inter Missarum solemnia Illustrissimo Præsuli Guarnerio Episcopo Recinetensi Vexillum obtulit his verbis. *Insigne hoc Vexillum, quod devictis nuper apud Barkam Turcarum Copiis eximia*

Sarmatis

Sarmati Regis strenuitas accepit ejusdem non impar pietas in hac Lauretana domo Sacræ Virgini dicatum mandat appendi, ut ei, sub cujus dimicat auspiciis, grates pro fortunatè, & gloriosè agat peractis, ac fortunam, & gloriam pro peragendis imploret. His Præsul infulatus respondit. *Sit Deo Beatissimæque Virgini Lauretanæ, laus, & gloria*, deindè sonitum edidere festivum cum campanis omnia bellica Urbis Lauretanæ tormenta.

Vexillum rubro serico è cameli pilis intextum altitudinem explebat viginti octo palmorum, latitudinem viginti quatuor cum dimidio, centum, & viginti quatuor liliis aureis in circuitu dispositis exornabatur, diversis lineis è colore albo, & viridi transversim divisum, aureas Stellulas cum aureis rotis confusas ostentabat, cùm acinace ex utraque parte acuto, quo Turcæ duplex Imperium, alterum in Oriente, in Occidente alterum ferro sibi partum ab anno 1452. Constantino Paleologo Constantinopoli demortuo, solent innuere. Nec decrant aurea, atq; argentea, tum Solis, tum Lunæ signa, cum plerisque Arabicis characteribus, quibus Mahometi potentiam, falsæque ejus religionis dogmata celebrabantur, inanibus Turcicæ superstitionis deliramentis.

XXXVIII

DOMUS BEATAE MARIAE VIRGINIS LAURETANAE.

XXXIX

HIC VERBUM CARO FACTUM EST.

DUo hæc numismata exculpsit Laureti Artifex quidam cui nomen Cæsarinus in primo frons templi Lauretani videtur, in secundo Deipara insidens domunculæ ab Aligeris Lauretum translatæ. In opposita autem utriusque numismatis parte Innocentii XI. apparet effigies, nulla alia de causa ab artifice opinor exculpta, quàm ut peregrinorum Religioni satisfaceret, qua Beatam Virginem Lauretanam colebant, & Sanctissimum Pontificem Innocentium, ut cum Romam proficisci non possent ad ejus pedes deosculandos, saltem in imagine venerarentur. Simile aliud numisma cudit Romæ Joannes Baptista Guglielmada, ut constat ex notis additis I. B. G. F. sed demortuo Pontifice prohibitum, ne tamquam sacrum numisma à plebecula gestaretur. De templo autem Laureti Beatæ Virgini dicato cum alibi plura dixerimus, illud tantùm hic addimus, quod retulit Vasarus lib. 3. pag. 322. scilicet tempore Clementis VII. anno 1526. cum ob rimas in pluribus partibus apertas proximam ruinam ædes illa à Juliano de Majano sub Paulo II. fundata minitaretur, Antonius à S. Gallo dictus illuc missus validis primùm trabium fulcimentis admotis, parietum fundamenta iterum posuit, & quidem validiora, ut tanto oneri sustinendo sufficerent. Illum comitati sunt sculptores cognomine Tribulus Raphael è monte Lupo, Franciscus è Sancto Gallo, & Simon Ciolus, & Antonius Moscha, qui suis scalpris marmoream circum sacram ædiculam ornamenta ab Andrea Sansovino incœpta perfecerunt.

XXXX

IN PERPETUUM CORONATA TRIUMPHAT.

ANno XI. Pontificatus Innocentii cusum est Romæ publica auhoritate numisma, in quo Crux in scopulo collocata contra furentes ventorum flatus sistit immota, addita epigraphe IN PERPETVVM CORONATA TRIVMPHAT, qua certè multiplices triumphi Religionis à Turcis in Hungaria relati indicantur. Quot enim in locis, Pagis Urbibusque, in eo Regno celeberrimis Crux rutilat colloca-

ta,

ta, ubi Turcarum Luna videbatur? Ejus Crucis Imperii perpetuitatem auguratur numisma.

Quòd si quisquam plurimi se facere dixerit Ilicem illam arborem antiquissimam, quę in Vaticano vetustior ipsa utique Urbe ferebatur, magnum ob id apud Populum Romanum monumentum Religionis ac majestatis, consideret altissimam, & perpetuò duraturam salutiferæ Crucis arborem cui (ut verbis loquar Maffęi Veggii),, neque Religione, neque majestate par ulla excogitari quidem possit, ,, per quam sub Redemptore Nostro Jesu Christo verè salutem, & vitam consecuti sumus, sub cujus umbra lęti, tutique quiescimus refrigerati ab omni æstu ,, malarum libidinum, securi ab omni infestatione nequissimorum dęmonum ,, defensi ab omni persecutione inimicorum nostrorum, ut rectè Fortunatus Cenetensis Episcopus, denide Pictaviensis, qui hymnos Crucis addidit ea inter ,, cętera cecinisse videatur. *Arbor decora, & fulgida ornata Regis purpura, electa digno stipite tam sancta membra tangere &c.* Quæ talis, ac tanta Crucis arbor, sicuti florere, & uberrimos fructus suos proferre credenda est quàmmaximè in eo florentissimo Regno, ibique nulla virtute, nulloque externo, & hostili unquam casu peritura.

XXXXI

GLORIOSA DICTA SVNT DE TE CIVITAS DEI BVDA.

Verba quibus Regius propheta cælestem Civitatem alloquutus fuit pronunciavit Author hujus numismatis, in quo Budam prope Danubium sitam indicavit. Obsidionem à Cæsariano milite factam, ejusque expugnationem ad Posterorum memoriam fusili in ære transmittere studuit, quibus certè, tum militum constantia, tum Serenissimorum Ducum Lotharingiæ, & Bavariæ, qui bellicis aciebus præerant, strenuitas gloriosum nomen reddiderunt, adeò ut penè nullum pugnæ exitum insigniorem retulerint Antiquorum historiæ.

Arcem totius Hungarię Principem, tamquam Bellonę armamentarium copiosissimè instructam arduis propugnaculis, nec non præcipiti loco inaccessam pluries expugnare tentarunt Cæsariani, & devicta inferiori Urbis parte, quam Veterem Budam appellant à die vigesima tertia Julii, usque ad tertiam Novembris anni 1684. assiduis laboribus partem superiorem frustrà occupare tentarunt, sed penè inexpugnabile hoc monstrum non nisi paulatim opprimi potuerat. Quamobrem anno subsequenti die decima nona Junii. Obsidione iterum facta, toto conatu occuparunt murorum ambitum; sed extimis veluti membris deperditis, contraxit ad intimas partes livorem suum trunca Turcarum desperatio, ut pertinacius sæviret. Incendiariis undique machinamentis petita Civitas, semiusto tamen furore malignius obluctatur, visaque accurentium clade, ad cruentum utrinque spectaculum inhumana sanguinis sitis Barbarorum accenditur laceratis quamvis aliis, atque aliis męnibus, arctiori se vallo tuentur; sed novo Germani semper generoso accessu circum obsidentes, vix relinquunt desperantibus locum, & tandem isti desperant, cum inter cęmenta, & informes lapidum acervos apertos fit campus ab Urbis ruina, & penè omnibus trucidatis, Germani ipsi victores Othomano Imperatori nuntiarunt Budam expugnatam die secunda Septembris, qua etiam die Summi Pontificis liberalitas cum magnificentia Romę triumphavit, cum retulit inter Romanę Aulę Purpuratos Patres viginti septem viros ob eximias, vel virtutes, vel doctrinæ dotes præclaros. Itaque Christiana virtus ob relatam victoriam ipse sibi sine consortio fortunę felicitatem peperit. Virtus enim ipsa sibi fortuna est, non illa rotę insistens volubili ad probrum inconstantiæ, sed rotam manu pręferens in symbolum æternitatis, Hoc adnotavit P. Sigismundus Negrellus S. I. in Epinicio de bellica laude, ac liberatæ Viennę auspiciis ad Budę recuperadę spem non amplius sollicitam, dicto in Colleggio Romano sexta hora ante allatum in Urbem Regię illius occupatę Nuncium, ingeniosè addens, quod

XXXXI
GLORIOSA DICTA SVNT DE TE CIVITAS DEI PS. 86 · LVC. ARC.

XXXXII
DOMINVM FORMIDABVNT ADVERSARII EIVS

XXXXIII
GRATIA DEI OMNE BONVM
1691

XXXXIV
SVB TVVM PRAESIDIVM

XXXXV
IN SAECVLVM STABIT

XXXXVI
IN SAECVLVM STABIT

XXXXVII
S. PETRVS COELESTINVS P. M.
1691

XXXXVIII
TV DOMINVS ET MAG
EXEMPL. DEDI. VOBIS.

XXXXIX
EXEMPLVM DEDI VOBIS.

XXXXX
TV DOMINVS ET MAGISTER
EXEMPL. DEDI. VOBIS.

XXXXXI
VENITE ET VIDETE OPERA DOMINI
1688

XXXXXII
VENITE ET VIDETE OPERA DOMINE

XXXXXIII
FELIX CIVITATIS LAVR

XXXXXIV
MATER IESV CHRISTI

XXXXXV
D. SIVIS POTES

XXXXXVI
SANGVINEM PRINCIPVM TERRAE BIBETIS

quòd licet gratulandum esset Christianis bellatoribus, eo quod ex virtute vicerint, gratulandum tamen magis esset, quòd non statim vicerint; nam quando subita hostium clades, vel Urbis expugnatio propere nuntiatur immortales illicò Superis gratias agendas esse meritò quidam hortantur, quòd in exitium inimicorum Cęlum prodigiis militaverit, sed si rem maturius expendas quando subitum ejusmodi triumphum impartitur otiantibus fortuita fęlicitas, quanto triumpho laudem, quot etiam triumphos debet negare? scilicet dum non resistitur, solus timor, & inertia vincitur inimicorum, protervia furor, & obstinatio non vincuntur. Debetur quidem Superis triumphus, sed cumulatior laus Germanię virtuti tribuenda est, cui toties contigit, prius quàm vinceret, hostem sentire. Debetur etiam Summi Pontificis, precibus quas dum in hostem Germani sævirent constantissimè fundebat ut olim Moyses, qui cum levaret manus *vincebat Israel, sin autem paululum remisisset superabat Amalech*.

Devicta Urbe, cęsisque ultrà duobus millibus, & quingentis totidemque Turcis in servitutem redactis, opima spolia reperta sunt, scilicet magna auri copia, quingenta ænea tormenta, mortaria viginti, ingens annonę copia, bellicusque omnis generis commeatus.

His adde bibliothecam toto Orbe celeberrimam, quam Matthias Coruinus præclaris codicibus olim instruxerat.

Advenit tandem Romam gloriosi facinoris nuncium die nona Septembris & die duodecima omnium campanarum sonitu, quæ in Urbe sunt, ac tormentorum æneorum explosione lętitię signa indicta fuerunt, festivi ignes noctu ubique excitati, & die decima quinta Sacra solemniter peracta in Pontificio Sacello pro gratiarum actione, Civesque penè omnes per Urbem diffusi ludis, arcubus, fontibus vini equitatu solemni triumphantium pompis communis gaudii, ob relatam victoriam præbuere argumenta.

XXXXII

DOMINVM FORMIDABVNT ADVERSARII EIVS.

NUmisma à Pontifice Innocentio publicatum anno sui Pontificatus nono, scilicet anno 1684. quo tempore diximus, Budam à Cęsariano milite obsideri. Futurę victorię prælusit Sanctissimus Pontifex verbis in numismate exculptis DOMINVM FORMIDABVNT ADVERSARII EIVS, quæ olim ipsa in Deum freta uxor Elchanę Sacerdotis Anna pronunciavit in sua oratione. Suas itidem victorię spes lactabat Innocentius Divinam omnipotentiam propitiam fore pro certo habens Christifidelium Ecclesiæ, cujus typum in muliere expressit, Crucem amplectente sinistra, dextera autem ignis flammam habente, à qua ejus vota semper in Cælum ferri significatur.

XXXXIII

GRATIA DEI OMNE BONVM.

QUidam nummi (ait Morellus in suo numismatum specimine) notabiles habent inscriptiones, & figuras, quarum nonnullę risum movent inspicienti, certissimo argumento eos publica authoritate non fuisse cusos. Quibus enim conciliabit aversam cum adversa parte nummi, qui caput Neronis ipsius nomine inscriptum refert, cujus in altero latere Diva Faustina mater extat? In aliis non minus incongrua reperiuntur alia. Fateor me numisma propositum in eo genere recognoscere, quod Romę exculptum vidi, in eo tres puellæ, quas Græcè Charites à gaudio dixerunt Antiqui. Jovis, & Eurynomes, *Hesiod. in Theog.*

mes,

mes, sivè ut ait Orpheus Eunomiæ, aut ut alii malunt Bacchi, Venerisque filiæ fuerunt, prima dicitur *Aglaja* ab hilaritate, seù venustate sic dicta, propterea quod hilariter præstandum sit beneficium; Secunda Thalia à viriditate, & concinnitate nomen habens, quòd beneficii memoria semper vivere debeat, & nunquam marcescere. Tertia Euphosine ab oblectatione, & hilaritate, idcircò quòd non minus in dando, quam in accipiendo beneficio hilarem esse deceat. Pingebantur vel nudæ vel pellucidis, solutisquè vestibus manibus inter se connexæ. Quarum una exprimebatur averso corpore, quasi à nobis proficisceretur, duę autem ad nos conversę, quia cum unum à nobis in alios proficiscitur beneficium, duplex gratia rependi solet, altera dum accipitur, altera dum redditur. Solutis erant vestibus, quòd beneficia esse debeant minimè fucata, sed sincera, & candida, Puellę, quia accepti beneficii memoria senescere nunquam debet, sed florere perpetuo. Virgines, quòd beneficia pura esse oportet, nec fœnerari. Connexæ, quia perpetuum esse debet mutuę benevolentię fœdus ultrò citroque commeantis. Hęc omnia conveniunt Numismatis expressioni, quomodo autem conveniat cum lemmate apposito, & ad Pontificem Innocentium XI. referantur aperire is poterit qui suo ingenio indulgens tale numisma formavit.

✠ XXXXIV ✠

SVB TVVM PRAESIDIVM.

QUi tale numisma fieri curavit posterorum memoriæ consignatos voluit præclaros fidei Romanę triumphos precibus Sanctissimi Pontificis Innocentii relatos Dei Genitrice Maria patrocinante, scilicet victoriam de Turcis, & Brittanniæ Regem in sinum Ecclesię revertentem. Hunc indicat ejus Orator ante Pontificem genuflexus, illos Turcæ in fugam acti, quos ipse Pontifex venerabundus Deiparę indigitat utrosque explicant carmina subiecta.

Urbe latens Rodanoque potens prosternitur error,
Thrax fugit ab cunctis, Anglia fida redit.

De Turcis sub Vienna, atque in Buda dictum est satis. De Regno Angliæ aliquid innuendum est, quod Sanctissimi Pontificis gloriam amplificat. Evangelio promulgando inter gentes, vel inter Hæreticos restituendo quantum contulerit Innocentius testis est Britannia; missis ille viris doctrina, ac pietate conspicuis, obtinuit tandem, ut centum, & triginta ferè post annos Carolus II. in sinu matris Ecclesię Romanæ expiraret, ejusque successor Jacobus Religionem Romanam Catholicam, quam palam professus erat regnante Carolo II. fratre suo legibus, & viribus restitutis antiquis non solum cofirmaret, sed Subditos revocaret errantes, lege edita 14. Aprilis anni 1687. ut nemini vis inferretur ad credendum, edicto sublato Elisabethę, quo usque in eam diem tenebantur omnes religionem ejurare Romanam. Legatus Pontificius postea Illustris. Ferdinandus de Abdua, qui modò inter Purpuratos Patres connumeratur, magnificè exceptus in curru Regio, quem octo alii suprà viginti sequebantur. Rege coram ut stetit, in Throno sedente Rex bis aperuit caput, & illi inclinanti surrexit, deindè respondit plenus gaudio. *Hoc nobis fælix accedit ad gloriam, ut Christi Vicarius Innocentius XI. Pont. Max. nos Jacobum Britanniæ Regem Ecclesiæ Filium habeat, & habiturus sit obsequentem etiam cum Regni, ac vitæ discrimne.* „ Charisinata Patris verè Innocentis ut æmu-„ lari possimu promittimus non aliud quęrere quam Dei gloriam, & veræ religio-„ nis incrementū. Pro legatione, & Legati persona nobis gratissima gratias agimus „ quòd tanto Religionis decore provinciam sibi conciliaverit. Omnia propte-„ rea speret secunda, & à nobis studia omnia. Regis namque ad exemplum „ Brittania composita obsequium solvet, Summi Sacerdotis Legato debitum. Hæc omnia narrat Joannes Palatius in Vita Innocentii XI. misit deinde Jacobus Rex ad Sum. Pontificem Oratorem suum Excellentissimum Dominum Roggerium, Palmerium Comitem de Castelmain, qui cum magnifico Regioque comitatu ad Pontificis pedes accessit, lętante Urbe Romana ob hæresim devictam, ac trium-

triumphos in nobilissimo Regno à Catholica Fide relatos.

Inter festivas significationes, quibus Urbs tota inclito Regi plaudebat, splendidior emicuit Regius apparatus, quo convivio exceptus fuit in Ædibus Barbarinis ab Eminentissimo Cardinali Carolo Barbarino, quodque in Epistola italica enucleatim descripsit Pater Joannes Dominicus Musantus Soc. Jesu Romæ typis edita à Dominico Antonio Hercule. Extant etiam in opusculo impresso eodem anno 1687. omnia Gregorianæ Academiæ obsequia Jacobi Regi præstita cum ejus Orator inviseret Romanum Societatis Jesu Collegium, Religioni, ac bonis Artibus positum, sui muneris partem adimplere se credidit, si Religiossimi Principis decora liberalibus, quas excolebat disciplinis, eruditi laboris argumentum proponeret. Gregorianæ tunc musæ id inprimis habuerunt vovendum, quum in uno Jacobo tot Heroum, quot heroicarum virtutum celebrandum sibi agmen viderent. Cum igitur Excellentissimus Dominus Comes de Castelmain ab adorato Pontificis solio, ad ejus Athenæi limen descendisset, tanto hospiti excipiendo destinata est aula, quæ post atrium emensum prima Collegium ingredientibus patet. Huic majestatem, pretiumque addidere, tum serica aulæa, tum varia hinc illinc pendentia symbola, quæ regias eximias virtutes, & coloribus eloquerentur; & carminibus depingerent; sed vividius Jacobi Simulacrum ipse met Legatus fuit, qui ad Collegii fores magnificentissima pompa delatus inter campani æris, tubarumque festivos concentus ingentem secum Romanorum Prælatorum comitatum gratulantem in aulam incessit. Ibi quum apparatus varietatem, januæque adversam inscripionem, qua Romanum Collegium meritissimo Regi sua devovebat obsequia lustrasset obtutu, supremus studiorum Moderator latina hac oratione eximia illius merita est prosequutus.

„ In tanto strepitu mundi plaudentis, gratulantisque tuo in Urbe adventui, „ hoc est immortalibus Jacobi Secundi Magnæ Britannię Regis in Catholicam „ Ecclesiam meritis Gregorianum hoc Palladis Atheneum, nec debuit tacere, „ nec potuit. Quamobrem ego literarię hujus Universitatis nomine primo gratulor „ Innocentii XI. felicitati, quod ipso regnante Pontificio accessit Diademati „ Augusta hæc, & triumphalis corona, undè illud cum Apostolo usurpare jure „ meritò valeat, *gaudium meum, & corona mea*. Hunc lætissimum ferre immortalibus diem longissimi ævi spatio distulerunt Superi, tum ut diuturnis terrarum „ votis ingentia hæc Cæli dona responderent, tum ut simul invenirent regnantem „ in Anglia Jacobum II. Romæ Innocentium Undecimum. Gratulor quoque „ Christiano Orbi, nec non Catholicis Regibus, quòd tanto dominatore, Britannorum sceptra gerente, tam grande advenerit, & ipsorum coronis adversus „ Christiani nominis hostes munimentum, & Orthodoxæ fidei ornamentum. „ Imminent quippe ab Invictissimi Regis classibus, tum Lybicis prædonibus tum „ Asię, & Palestinę littoribus flammarum procellæ, magis metuendę quàm maris. „ At tibi Oceani Regina Magna Brittannia, quę à nostro olim Orbe divisa nunc „ gemini facis commercia Mundi, quid non liceat ominari faustitatis sub tanto „ Principe. Erige spes, erige vota, nec timeas, si maxima, sed nisi maxima. Non „ libet in die hac faustissima commemorare, quam lugubres passa fueris unius „ Anglia Sęculi spatio, toto Orbe Terrarum admirante, atque ingemiscente catastrophas. Sed si hęc una erat via, qua Jacobus II. Britanniæ solium ascenderet, „ propè est ut exclamem. Tanti fuisse. Profecto invidebit tibi Posteritas, non „ modò præsentium temporum felicitatem, sed & præteritorum calamitates tam „ grandi mercede redemptas, eaque quibus nunc frueris bona, & si post ingens „ à te prætium persolutum tibi reddita fuerint non à te coempta arbitrabitur, „ sed quadam Superum prodigentia dono data. Tibi demum gratulor prestantissime Orator, quòd tam faustum diem, & videris in Anglia, detuleris in „ Urbem. Nam de sapientia tua, qua per eruditissimos libros hæresim profligasti „ nil attinet dicere, nihil de fortitudine, qua carceres ipsos pro Catholica Religione tuenda non tam pertulisti, quam decorasti. Nihil de prudentia nobilitate, cęterisque dotibus tuis. Hoc unum universa tua decora comprehendit, „ quòd ad maximum totius Regni negotium, hoc est ut splendidissima fungereris „ apud Innocentium Pontificem Maximum Legatione Jacobus II. Magnæ Bri-

„ tanniæ Rex Maximus Te unum elegit, quia unus dignus erat eligi.

Tantus fuit Nostro Ævo regnante Innocentio XI. Catholicę Religionis triumphus, licet postea luctuosa rerum revolutione lachrymæ gaudio successerint, quas Annalium Scriptores suis in paginis enarrabunt,

❦ XXXXV. XXXXVI ❦

IN SAECVLVM STABIT.

Vers. 12. DUplex numisma eamdem inscriptionem profert ex cap. 40. Ecclesiastici acceptam, ubi dicitur. *Omne munus, & iniquitas delebitur, fides in Sæculum stabit.* In utroque Fidei, seù Religionis, vel Ecclesię Romanæ imago, sed diversimode in muliere exprimitur, ut consideranti patebit, quod sub numero 45. insculptum est, cusum fuit anno Ponificatus quarto, aliud sub numero 46. positum anno septimo. Quam aptè illi conveniant verba Salomonis à Pontifice usurpata norunt eruditi. Hęc enim est principatus Sedis Apostolicæ prærogativa, quam è Cęlo accepit quamque Sanctus Cyprianus appellabat. *Centrum, seù radicem Sacerdotalis unitatis, & matricem Catholicæ Communionis,* quia (ut loquitur Sanctus Agustinus in psalm. contr. part. donat.) „ ob petræ fidei, cui „ inædificata est ineluctabilem firmitudinem, & Cathedræ ipsius Beati Petri Apo- „ stoli Principis possessionem, doctrinęque quam semper docuit, & tradidit „ puritatem, ut nefas sit Catholicis contra ejus traditiones disputare, placita „ ejus cancellare, respuere judicia, & oracula comtemnere. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem oportet* (inquit Ireneus) *convenire omnes, qui sunt undique fideles.*

Lib. 3 Epist. 3.

Epist. 117.

Ecclesia Christi nescit occasum, & qualis condita est talis stabit ad consumationem usque sęculi, & talis præteritis quoque retro temporibus persistit, cumque multi sint, qui partes Ecclesiæ varias regant prò dignitate, & officio, unus tamen est, & semper existit, qui toti, & universę Ecclesię pręsit, & invigilet. Unde qui rationum pondere non evincitur. (sapienter ait Pater Nau Soc. Jesu) *revereatur ætatum authoritatem omnium, & Pontificum Romanorum seriem.*

In Dial. pag. 206.

Nec pluribus probare opus est Catholicę hanc Romanęq; Ecclesię perpetuam firmitatem; unum tamen est, quod pręteriri omninò non potest, immotum scilicet illud animi robur, constansque mens, qua Innocentius Ecclesiæ Princeps publico bono intentus rectis operandi regulis semper inhærebat, proprium semper despiciens, nulla sui, suorumque habita ratione. Cum enim in suprema Principatus dignitate constitutus sibi commoda sumendi, suisque opes largiendi, eosque honoribus augendi copia non deesset, tam constanti, & perpetuo animi proposito ab his omnibus abstinuit, ut nunquam, nequidem in extremo vitæ limine, carnem, aut sanguinem respexerit. Quę animi constantia admirabilis prorsus ac ferè divina in maximum cedit Sedis Apostolicę decus, quod nulla unquam ætas delebit, quodque nulla posteritatis oblivione extinguetur. Ille Sedem Apostolicam illa animi magnitudine, & constantia rexit, quæ nec vitę commodis efferri, nec imagine mortis pertubari potuit. Hęc omnia dixit in funebri oratione Illustrissimus à Schelestrat, Bibliothecæ Vaticanæ custos, & Sanctissimi Innocentii Cubicularius.

❦ XXXXVII ❦

SANCTVS PETRVS CAELESTINVS P. M.
1 6 8 1.

QUibus de causis Sancti Petri Cęlestini imago hic expressa, cum imagine Innocentii XI. conveniat, nullo historię documento ediscere potui. Quamobrem in eo genere recensendum esse censeo numisma pręsens, in quo

quo contineri diximus numero XXXV. numiſma B. Amadei imagine inſignitum; ſcilicet artificum arbitrio ſculptum, lucro potius quàm veritati ſtudentium.

✠ XXXXVIII. XXXXIX. L ✠

EXEMPLVM DEDI VOBIS.

TRia numiſmata diverſis annis vulgata, donoque data pauperibus juxtà morem ab antiquo in Eccleſia Romana ſervatum poſt lotionem pedum feria quinita majoris hebdomadæ factam. In ſingulis Chriſtum Dominum Petro pedes abluentem cernimus, ſed diverſimode delineatum cum eadem epigraphe. EXEMPLVM DEDI VOBIS. Nihil novi dicendum ſe offert pręter ea quę de hac ſacra actione alibi dicta ſunt, quare ad aliud numiſma explicandum procedimus.

✠ LI. LII ✠

VENITE, ET VIDETE OPERA DOMINI.

DUplex illud eſt cum eadem inſcriptione ex pſalmo quadrageſimo quinto accepta VENITE, ET VIDETE OPERA DOMINI. Hæc illa ſunt quę in pheretro Innocentii Pontificis tabula indicabat hæc inſcriptio.

IDOLOLATRIAM IN SIAMI,
ET TVNCHINI LEGATIS PROVOLVTAM
AD PEDES PATERNE COMPLEXVS
INVITAT AD FIDEM.

Hæc ipſa utrumque refert numiſma, in quo Sacerdotem à Societate Jeſu cum tribus Regis Siami nobilibus famulis ante pedes Pontificis provolutum videmus. Inter complura autem decora, quę ad illuſtrandum Sanctiſſimi Patris Innocentii XI. Pontificatum congeſta ſunt,non ultimum ſanè vendicare ſibi locum videtur legatio à Siamenſi Rege, cujus trans Gangem latiſſima ditio, ampliſſimęque opes ſunt, ſub anni 1688. exitum ad eumdem tranſmiſſa, per honorifica Apoſtolicæ Sedis, cujus amicitia tantus adeoque tum locorum intervallo, tum Religionis profeſſione diſſitus Princeps ſibi publicè depoſcendam putaverit: quomodo hęc evenerint ex brevi enarratione innoteſcet.

Cum igitur aliquot ante annos Pater GuidusTachard Societatis Jeſu natione Gallus una cum aliquot ejuſdemSocietatis alumnis Evangelicę ſementis ſpargendę gratia ad Indos profectus fuiſſet, legationis hujuſce Author dici meritò poteſt, opem conferente ad rei exitumDominoConſtantino Phaulkon ortu quidem gręco, & proteſtantium errores aliquandiù ſectatore, ſed poſtea unius è Societate Jeſu hominis opera Catholicæ Religionis, in Siamenſi Regno profeſſore, ubi quamquam ignotus, ac hoſpes egregiis tamen naturæ ornamentis, & dotibus magnifice ſibi Regem devinxit, atque ad maximas opes, & principem in illius aula dignitatis gradum proceſſit. Per hunc Pater Guidus, & Socii tum Regis ſibi animum conciliare, tum eundem ad amicitię fœdus cum Romano Pontifice adducere, quo pronior jis in regionibus Evangelio via ſterneretur ſolerti conatu, ſtudioque inſtitere.

Nec vota,induſtriamque ſucceſſus deſtituit.Rex etenim rationibus,quę ſubiiciebantur impulſus, ſerio conſilium arripuit, certoſque cum donis, & literis homines negocii conficiendi cauſa Romam legavit; ſed cum longo de in tempore nihil de jis referretur, naufragio (ut coniectari poteſt) vel alio quopiam caſu interceptis, ad alteram inſtituendam legationem animum vertit, delecto qui ea apud Romanum Pontificem fungeretur Patre Guido Tachard, tribuſque juſſis eum

comitari sua ex aula Proceribus (eos Mandarinos appellant) qui & legationi splendoris plus adderent, & patria quamvis superstitione devincti, Regię tamen erga Christum Vicarium voluntatis testes forent.

His accessere nonnulli Tunchinensi ex Regno Catholici homines in excolendis per Christianam Cathechesim popularibus suis diù impigreque versatis.

Benevolis adeò Regnatoris Ethnici studiis pro sua, qua Orbem universum charitate complectebatur, largè, cumulateque Sanctissimus Pater Innocentius respondit. Cum itaque audisset Legatum, & Comites jam Europam ingressos plenam iis se se adeundi potestatem fecit, hospitiumque suo sumptu adornari jussit in Ædibus Apostolico Quirinali Palatio proximis, quas olim Antonius Cardinalis Barberinus à fundamentis erectas Soc. Jesu Tyrocinio splendidum liberalitatis suæ monumentum adjecerat. Huc ipsum primò Legatum, qui uno dumtaxat Comite assumpto terrestri à Centumcellis itinere socios præcurrerat, Illustrissimus Dominus Cybo Sacræ Congregationi de Propaganda fide à secretis perduxit, mox reliqui cum, proximo illos die Tiberianam ad ripam navis exposuisset, honorificè curruum, & Comitum pompa devecti, ac toto deinde tempore, quo Urbem incoluere Pontificiis impensis lautissime sunt habiti.

Sed non dum supræmam tot itinerum metam se attigisse putabant, nisi Pontificem adorandi copia suppeteret: brevi igitur interposito temporis spatio dies audiendæ legationi decernitur: rei fama, & spectaculi novitas hominum curiositatem magnoperè excitat. Ingens fit dicta die ad Quirinalem concursus per eam undique circumfusam multitudinem Legatus, & Comites curribus ab Eminentissimo Cardinali Cybo transmissis Pontificium in atrium deveniunt, nec mora, cum ante scalas ab Illustrissimo Domino, Vallato ejusdem Cardinalis Auditore excepti officiose fuissent, ad destinatum habendo congressui locum ascenditur, præeunte cohortis Helvetiorum Præfecto, subibat una cum Illustrissimo Domino Cybo Pater Guidus Tachard extraordinarius Regis Orator, tum Mandarinorum primus arculam præferens argenteo distinctam emblemate, qua pixis aurea Regiarum custos literarum continebatur. Postremi famulis suis comitantibus incedebant reliqui duo, Siamensis hic Regis, Regiorum ille ministrorum præcipui Domini Constantini Phaulkon donaria gestantes attalico velamine obtecta. Omnibus prò gentis more vestitus (ut cernitur in numismate) tunica ex damasceni operis serico genuum tenus producta, aliaque exterior purpurea paulo inferius descendens.

Fastigiatum in conicam formam capitis tegmen, quod aureus trium digitorum latitudine orbis ad coronæ specimen complectebatur, tum aurea lateribus cingula, sicæque aureo item capulo consertę. Hoc ordine, & apparatu ad Pontificem profecti, quem solio sublimem, & octo ex Purpuratis Ecclesię Principibus juxta se habentem, cum regius Orator ter rite adorasset, post Sanctissimi osculum pedis suam de genibus orationem incœpit, sed vix prima Beatissimi Patris nuncupatione prolata jussus assurgere, stans eamdem hunc in modum pertexuit.

„ Amplissima munera, quæ Numinis providentia large adeò effusaque in „ Ecclesiæ Tuæ bonum accumulat dubitare nos vetant, quin Deus Optimus Ma- „ ximus suam ultimis hisce temporibus Sanctitatem ad genus undique huma- „ num unius intra ovilis septa coadunandum delegerit. Intueri fas est sub „ Sanctissimi hujusce Pontificatus auspiciis obduratissimam Hereticorum perfi- „ diam, vel emollitam, vel exilio damnatam, Regna olim ab Ecclesię corpore „ abscissa in pristinam unitatem revocata, legitimoque suo capiti rite subiecta „ validissimos Christianæ Reipublicæ hostes fere universos, vel prorsùs excisos, „ vel ità enervatos, extremo ut ab interitu quam proximè videantur distare; „ sed quòd novum, ac præter superioris illius ætatis exemplum in Pontificatus „ Tui singulare honestamentum supremus moderator seposuit, vel Ethnicus Rex „ pręcipuosque orientis inter Reges meritissimo recensendus, Tuæ non tàm di- „ gnitatis, quàm virtutis splendore excitatus, sua ex aula dimissum, Tuis me „ Sanctissimis pedibus sistit, meoque ore, tum amicitiam tuam petit, tum suam „ tibi observantiam testatur. Regium insuper patrocinium omnibus Evangelii

sectato-

„ ſectatoribus, & pręconibus ad Chriſtianorum pene Principum exemplum,
„ promittens. Et ille quidem jam inſtituendum ſe tradit, vero numini aras,
„ atque templa conſtituit, doctos, & ſtrenuos Divinę Legis Promulgatores
„ expoſcit, magnifica in Religionis uſus domicilia excitat, ſuiſque impenſis
„ tuetur: in arcana ſæpe, & diutiſſima nos admittit colloquia, tantiſque hono-
„ ribus cumulat, ut præcipuis ſuæ Sectę Adminiſtris, quibus olim ad ſuperſti-
„ tionem uſque deditus erat, æmulationis aculeum injiciat. Si noſtra Numen
„ ſecundaverit vota, vel Tuis potius Beatiſſime Pater precibus lachrymiſquę pro-
„ nas aures præbuerit. (Tua ſiquidem opera ſublime hoc tanti Regnatoris ſin-
„ ceram ad Religionem converſi prodigium certe debet abſolvi) quot ad Orien-
„ tem Reges, Dynaſtæ atque Populi, illius vel ſubditi imperio, vel ſapientię,
„ admiratores, vel conſiliis addicti, tam illuſtris exempli veſtigia ſequerentur?
„ Enim verò Beatiſſime Pater, nunquam Jeſu Chriſti Evangelio, ut in vaſtiſſi-
„ mis frequentiſſimiſque illis Regionibus, & altius radices defigeret, & palmites
„ latius profunderet, par locus aut ejuſmodi par opportunitas dedit. Ergo quæ
„ mea æſtimatio eſt, jam regias, quas tradere tibi juſſus ſum litteras, jam dona,
„ quibus tantus Princeps Te ſibi exiſtimavit colendum, jam Proceres hoſce, quos
„ ſacris tuis pedibus voluit venerabundos advolui, jam inquam hęc omnia non
„ modo, ut fida quædam teſtimonia ampliſſimi judicii, quod de Te ille in animo
„ habet, intimæque obſervantiæ quam Tuis debitam meritis cenſet, ſed ceu
„ ſubmiſſionis inſuper pignora, & ſi tantum polliceri fas eſt, ceù perfectæ illius
„ obedientiæ primitias intueor.

Hęc elocutus in genua ſe rurſus Orator ad excipiendum reſponſum compoſuit quòd tamen ſingularis benignitatis exemplo ſtans audire juſſus eſt, dignumque ſanè fuit Apoſtolica Paſtoris Sanctiſſimi mente, & animo in Divinæ glorię, communiſque ſalutis curam unicè intento, deinde ex aurea theca viridi, rubroque encauſto picturata, quam Mandarinorum primus ſuſtinebat, Regis Epiſtolam Pater produxit in aurea plicabili lamina exaratam, quæ ſimul cum loculo tria fere auri pondo colligeret, eamque primo Pontifici, tum geminum ejuſdem, alterum Luſitano, Italico alterum ſermone exculptum porrexit. Eam nos latinè expreſſam hic reddimus, prout extat inter litteras annuas noſtræ Societatis Romę exaratas.

Sanctiſſimo Patri Innocentio XI.

„ Ex quo primum Regni habenas ſuſcepimus Princeps nobis curarum fuit
„ maximos Europę Principes noſſe, mutuaque cum jis neceſſitudine adſtringi,
„ ad notiones inde hauriendas noſtrum, quibus regimen temperare certius poſſe-
„ mus. Nęc noſtris hujuſcemodi votis Sua Sanctitas defuit, quin ea ultrò implere
„ occupavit per literas ſuas, quas & munus jis ſuperadditum auguſtiſſimo, à quo
„ mittebatur Principe dignum D. Franciſcus Pallu Heliopolitanus Epiſcopus
„ reddidit nobis, & cum inſigni nos itidem geſtientis animi gratulatione ſuſce-
„ pimus. Elapſo ſub hæc certi temporis ſpatio, à nobis viciſſim deſtinati Orato-
„ res cum literis, & muneribus ſunt, qui Sanctitati Suæ nunciarent ſalutem, &
„ mutuæ inter nos neceſſitudinis fœdus aureę inſtar laminæ uſquequaque politę
„ intimum, arctiſſimumque ſanciret. Sed quoniam nihil ad hanc diem de illis
„ neſcire potuimus, officii ratio nos cogit, Patrem Guidum Tachard è Societate
„ Jeſu hominem extraordinarii Legati nomine eorum in locum ſubmittere, ut
„ amicam eam inter nos conjunctionem, cujus procurandæ negotium primis fue-
„ rat Oraroribus datum, iſtic præſens adſtringat, de qua optima Suę Sanctitatis
„ ſalute jucundiſſime nobis deferat nuncia. Illius partes erunt certiorem Sancti-
„ tatem Tuam facere pleniſſimi patrocinii, quod tum patribus jis univerſis, tum
„ Chriſtianorum quibus ſuis, ſive noſtro Imperio ſubiectis, ſive intrà illius di-
„ tionem agentibus, ſive per quoſlibet alios Orientis hujuſce tractus diffuſis para-
„ ti ſumus impendere ſuppeditanda jis omnibus, prout dies tulerit ope, quoties
„ ſuam nobis indigentiam aperient, aut occaſiones alias præbebunt. Licet igi-
tur

„ tur Sanctitati Tuæ quieto prorsus hic animo esse, & rerum hujuscemodi curas,
„ quas in nostram ultro fidem suscipimus nobis expediendas relinquere. Idem
„ Pater Tachard alias Sanctitati Tuę vias, quæ ad finem hunc ferant, prout hinc
„ abeunti mandavimus suggeret. Oramus, ut homini integra habeatur fides de
„ jis, quę nostro deferet nomine, utque dona, quę per eumdem transmitti-
„ mus non secus excipiantur, ac pignora sincerę nostrę voluntatis, & amicitię in
„ æternitatem mansurę. Deus omnium conditor rerum Sanctitatem Tuam ad
„ tuę tutelam Ecclesiæ incolumen servet, quo eamdem Ecclesiam intueri Tua
„ Sanctitas possit per quascumque Orbis plagas latissima se ubertate effundentem
„ Ita ex animo vovet qui est, Sanctissime Pater.

Sanctitatis Vestrę

Carissimus, & bonus Amicus.

Oblata sub hæc à Patre Pontifici, tum Regis, tum Domini Constantini munera, primi quidem scriniolum ex auro in tenues lamellas producto, crebrisque plicaturis, & cincinnorum veluti flexibus ad figurarum varietatem in se convoluto, supra materiam, & quindecim circiter librarum pondus artificis elegantia, ingenioque æstimabile. Alterius vero Arcula argentea tredecim libras pondere implens, prominentibus anaglyptis, & foliaceis parergis, operumque argutiis visenda. Aliud itidem argenteum vas in polubri speciem circumductum bipalmaris fere diametri, sed rarissimæ subtilitatis, jisdemque, quibus Regis munus mæandris cælaturas perquam graphice assimulans. Supplicatum postremo Pontifici, ut dignaretur Mandarinorum obsequia excipere, quæ cum ille annuisset, eodem adhibito ritu, quo Siamensi ipsimet Regi consueverunt præstari; Primus itaque conjunctas ad summam usque frontem erigens manus, mox laterum tenus caput demittens, tum genua humi ponens supremum adoravit Antistitem, quam adorationem aliquantulum progressus, iterum, tertioque repetiit, ita ut postrema vice summum capitis tegmen Pontificię vestis oram contingeret, nam osculum pedis Beatissimus Pater remiserat, ne Ethnicos homines Christianorum ad ritus videretur compellere. Eadem prorsus ceremonia reliqui duo subindè insecuti, cum interea loci Pater Tachard ex mandato Pontificis ad dexterum solii latus adstaret, cui post adorationem à Sociis peractam, Sanctissimus Pater jusso proprius accedere, inquè genua provoluto quam grata sibi Regis accidissent officia luculenter exposuit; multa etiam interogans de rationibus ad Orthodoxam fidem per eas oras peragendam appositis. Fausta demum de more apprecatus interius in Conclave se retulit, locum Cardinalibus faciens, ut suam ipsi quoque erga patrem, & socios humanitatem expromerent, à quibus ji peramanter appellati, cum recta inde ad Emnentiss. Cardinalem Cybo divertissent, ab eo quoque benegnissime accepti, & solemnibus rite officiis perfuncti, ad suum tandem hospitium reverterunt.

Siamensi legatione in hunc modum excepta quædam illius quasi appendix Tunchinensium Cathechistarum implenda jam supererant vota, qui ad communis parentis conspectum per tot viarum discrimina, & labores quęsitum admitti flagrantissimè expetebant, supremo totius Ecclesię Pastoris coram supplicaturi, ut suorum popularium, qui ad trecenta ferè millia verę fidei primitias Patribus Societatis Jesu Deo auxiliante referebant acceptas, necessitates respiceret, ne calamitosum illum Christi gregem tot inter frementium luporum ethnicæ pravitatis pericula fidis, atque strenuis custodibus pateretur fraudari. Eos itaque facultate accepta Pater Guidus Tachard Pontificios ad pedes deduxit, Ecclesięque illius causam disertè nec sine lachrymis egit, ad quas ipse quoque Sanctissimus Pater commotus humili gestu fletuque supplicantibus filiis paternam benignitatem exibuit, & secunda omnia pollicitus lætos, gratulantesque dimisit.

Insecuta deinceps non vulgaris prætii ad Legatum munera, capsę nimirum arculæque complures, partim è christallo affabrè elaboratæ partim ex hebeno, insertis alterius coloris segmentis, concinnè distinctæ, partim attalico textu villo-

villosoque serico instratæ, aliæ Sacra Lypsana, & cereos agnos complexæ, lectissimis aliæ succis odoramentisque, & eximiæ ad medicos usus efficacitatis unguentis, necnon secundarum mensarum deliciis, & saccaro medicatis cupediis onustræ, quæ licet præclaræ, & eximia munificentiæ argumenta splendidiori mox liberalitate cumulavit generosissimus Pontificis animus. Cum enim discessum meditanti Legato conveniendi postremo sui copiam ipso Epiphaniæ pervigilio, fecisset post mutuas utrinque hinc benignitatis, inde grati animi significationes tum ipsum, & Mandarinos ac Tunchinenses Cathechistas prætiosis decoravit muneribus, tum alia longe illustriora, quæ Siamensi Regi, ejusque primario Administro deferrentur adjecit. Et hic quidem insignem picturam; Caroli Marattæ artificis celeberrimi opus, unaque precatorium ex saphiris lapidibus textum cum aurei numismatis appendice habuit. Regi verò exhibendum munus præter opticum quinquaginta palmorum longitudine tubum Pontificis ipsius imago fuit aureo in numismate effica, quæ adamantibus, tum minoribus ad sesquicentum, tum quatuordecim magnitudine eximiis circumquaque stellata, quinis aureorum millibus æstimabatur.

Sed munus expositis hactenus omnibus gratius insecuto proximo die Pater Guidus Tachard per Illustrissimum Dominum Cybo Sacræ Congregationis de propaganda fide Secretarium accepit, immunitatem nimirum Societatis Jesu operariis à juramenti onere, quod ultimis hisce annis Orientem petituri concipere jubebantur in præsens permissam, potestate insuper facta, illorum ut quatuor Tunchinense intrà Regnum versari libere possent, & Apostolicis eam Christi vineam ministeriis excolere. Hic illi jucundissimus exhaustorum laborum fructus, hæc totius legationis prætium optatissimus fuit. Gratiis proinde supremo Antistiti quam amplissimis actis, & Mandarinis (qui Divina luce illustrati Avitæ superstitionis Christi fide mutandæ jam consilia agitabant) Centumcellas ipse contendit, ubi naves erant in Galliam reversuræ, mox verno tempore Siamensem in Regiam abiturus, magna secum gratulationis materia relata, nec minori suæ virtutis opinione, ac fama relicta.

LIII

FELIX CIVITATIS LAVRETI.

LIV

MATER IESV CHRISTI.

Ejusdem generis sunt hæc duo numismata alterum Laureti, alterum Romæ vulgatum, quod interdictum fuisse diximus, cum inter Sacra, & pia numismata numeraretur prò libito sculptoris effica. His adde errorem, qui ob incuriam, seù ingnorantiam ejusdem irrepsit, scribendo felix *Civitatis* Laureti. Illa tamen expreximus ut spuria à genuinis dignoscerentur.

LV

SI VIS POTES.

Huic simile alibi vidimus, & cum effigie Alexandri VIII. iterum observabimus; pro libito enim artificum licentia numismatum matrices (sic enim nuncupat Patinus illa instrumenta chalybea, in quibus ut in utero cuduntur nummi) aliquando ità coniunguntur, ut fætum supposititium prodat conformitas genvinæ cum adulterina, & ab inexperto tamquam verum numisma magni fiat, quod nihili prorsus habendum est.

SAN-

LVI

SANGVINEM PRINCIPVM TERRAE BIBETIS.

FUso ære in arena formatum fuisse Bononiæ hoc numisma nunciatum est illudque accepi ab amico. Quid autem significare voluerit, tum in expressione, tum in lemmate apposito, solus Author poterit enunciare. Meas autem partes esse duxi genuinam interpetrationem indicare numismatum, quæ publica Principis authoritate, vel in alicujus præclare ejusdem actionis monumentum in lucem aliquis privatus auctor prudenter prodidit; ceterorum verò collectionem, quę aliquo modo efficta reperiuntur, non omittere; non tamen cujuslibet eorum Auctoris mentem divinare.

Aliud Numisma esset addendum ultimæ magnitudinis, quod Romę cusum fuit, cujus altera pars Innocentium pluviali indutum, & manibus junctis exhibet. In altera verò Virginem Deiparam Filium exanimem in sinu habentem, adiecta Epigraphe VIDETE DOLOR MEV. Illud tamē reiecimus, tamquam spurium. Uulgatum enim fuit sine ulla facultate à quodam Antonio Filiberto artifice inter sacra numismata, quæ venditabat, & ne vulgus indebito cultu Sanctissimum Pontificem veneraretur, jure proscriptum fuit cum aliis ejusdem generis, ut suprà diximus.



ALEXANDRI

pag. 785

I




II



III



IV



V



VI



VII



VIII



IX



X



XI



XII



XIII



XIV




XV



XVI



XVII



XVIII



XIX



XX



ALEXANDRI VIII. NUMISMATA.



ALEXANDER VIII. OTTOBONVS P.O.M. CREATVS VI. OCTOBRIS M.DC.LXXXIX.



MAGINEM Petri Ottoboni oſtendit numiſma in Summum Pontificem electi poſt interregnum unius Menſis, & dierum viginti quinque die ſexta Octobris anni 1689. D. Magno Veneto Civi Sacra, quo nomine tanto Pontifici Cælum fortaſſe prælusit; Ille enim, Alexandri VIII. nomine aſſumpto, ob animi ſui magnitudinem, Sapientiam, Comitaten, Prudentiam, reliquaſque egregias virtutes, ſibi *Magni* cognomentum jure vendicavit. Nec ſine Divi Numinis providentia eum poſt Innocentium XI. omnium Patrum vota elegerunt, ut Gordios nexus, in quibus Orbis implexus remanſerat, ſua virtute melius, quàm Macedonius Hæros ænigmate non fallaci eluderet, & ſolveret. Cur appellari voluerit Alexander Pontifex Venetus ſciſcitanti reſpondet D. Jo: Baptiſta Palatius, *ut Sacram renovaret memoriam Alexandri III. Venetæ adeo caram Reipublicæ, ut pro ejus gloria, ac libertate, ſemel, atque iterum adverſus Arnobarbum diſcrimen totius Imperii ſubire non formidaverit. Annos ſupra ducentos numerabamus, quorum ſpatio, nullus è Veneta ditione Pontifex ad Petri Solium evectus fuerat, & jure, cum non minus temporis neceſſe erat concipienti, ut Petrum pareret Ottobonum.* *In Epiſt. tom. 5.*

Vulgata electione Alexandri VIII. Urbs tota in lætitiam perfuſa adfuit, die decima quarta qua à primo Cardinali Diacono triplicis coronamenti decus accepit: die deinde vigeſima tertia Menſis ejuſdem ad Lateranenſem Baſilicam profectus eſt: ut ejus poſſeſſionem adiret, per vias ſericis pannis, pretioſiſque periſtromatis exornatas: ejus comitatus, triumphi pompam referens, ſequenti ordine procedebat; Agmen totum duxere aliquot levis armaturæ milites, duo nobiles urgebant auro micantibus armis induti, poſt hos bini bini equitabant Eminentiſſimorum Purpuratorum famuli, ſarcinas habentes ex ſericis pannis auro exornatis, totidemque clavas eorum argenteas detulerunt, frequentes Aulicorum turmę ſuccedebant, cum nobilibus tum Romanis, tum exteris Viris, qui tanto Pontifici labore jucundo famulabantur. Horum agmen clauſerunt Pontificius Tonſor, & Sarcinator, rubra veſte paludati, quam tenię, è villoſo ſerico muriceque imbuto diſtinguebant.

Sequebantur ſub rubra veſte Scutiferi Pontificii ſtabulique miniſtri, aliique pedites duodecim albos mannos ducebant, prædiviti tegumento phaleratos, auro quoque præfulgidos, poſt quos lectica deferebatur, qua ſolet Summus Pontifex vehi, villoſo ſerico circumtecta, & aureis lineis diſtincta, Tympanis duodecim, quatuorque Tubis feſtivas voces edentes cogebant agmen Senatus Populique Romani Milites Purpureis indumentis, & auro pernitentibus amicti; rubro etiam indumento veſtiti incedebant Pontificii Scutiferi, poſt quos equitarunt Illuſtriſſimi Pontificiæ, Cameræ Commiſſarius, ac Urbis Fiſcalis, hic

cianea, ille rubra veste circumtectus, ficuti etiam Sacri Consistorii Advocati, Sacerdotes in Sacello Pontificio privatim facra celebrantes, Pontificii vestiarii Custos Aulæque nobiles viri, quos Romani Principes, & Dinastę comitabantur, quatuor deinde à secreto cubiculo famuli, totidem Pontificis purpureos pileos hastis impositos deferebant; his Successere Romani Senatus Administri, & Helvetiorum Militum Dux, qui sex militibus stipatus alteri nobili Turmæ præibat fcilicet Illustrissimis utriusque Signaturę Judicibus, Abbreviatoribus, Clericis Camerę, Regenti Cancellarię, Reverendissimo S. Palatii Magistro, Illustrissimis S. Rotę Auditoribus, post quos Populi Romani Excellentissimi Conservatores, Christianissimi Regis Orator, Princeps D. Livius Odescalchus Militum totius Ecclesiasticę Ditionis Imperator,& Excellentiss.Princeps Columna perpetuusComes Stabilis, quibus omnibus Pedissequarum Turmę nobilibus indumentis exornatę famulabantur.

Clavas Pontificis ex argento conflatas deferebant alii, post quos tres Cæremoniarum moderatores, & Illustrissimus Præsul Caprara S. Rotæ Auditor Crucem ostentabat in hasta, quę Pontifici in publicum, prodeunti ex antiquissimo more præfertur. Eminebat post Crucem in aperta lectica purpureo ferico, áuroque circumtecta Summus Pontifex Alexander, frequenti famulorum caterva stipatus hinc indè viarum Præsides, & Pontificis Cursores pedites comitabantur, deerant tamèn quinquaginta Nobiles Ephæbi, qui à Senatu Romano deligi solent; eos enim respuit modestissimus Princeps,ut Populum Romanum ab expensis liberaret. Successerunt post PontificemSummusAulęPræfectus Supremus Pincerna,cubicularii,& Medicus. SequebanturMulis insidentes Sacri Senatus Eminentiss.Patres, aliquot Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, Protonotarii Apstolici aliique Romanæ Curiæ Præsules, quorum fingulos famuli pedites sequebantur; ultimo loco numerabantur tres equestres acies, quarum duę levis armaturę Militibus constabant, altera fclopetariis, galea, & lorica munitis; fingulis præibant tibicines, Duces, & Vexilla à Signiferis delata, quorum omnium prætiosa indumenta non pugnæ, sed triunphi Imaginem præferebant, militis demum pedestris centuria totum agmen clausit, quod inter spctatorum festivas voces ad Lateranam Basilicam processit.

Cum autem Aream Capitolinam Pontifex ascendisset, quam pretiosis Aulęis Populus Romanus exornaverat, ejusdem Populi Excellentissimi Conservatores venerabundi illum exceperunt eleganti Oratione, quam omnium nomine Excellentissimus D. Antonius Columna habuit. Post Capitolium in foro Boario arcum triumphalem erigi curaverat Serenissimus Dux Parmensis, fub quo pertransiens Pontifex viam ingressus est, in qua sequentibus inscriptionibus hinc inde dispositis Pontifici Summo Hebræorum Populus plaudebat.

Dominus custodit te ab omni malo. *Psal.* 121. *vers.* 7.
Longo tempore regnet ipse. *Deut. cap.* 17. *vers.* 20.
Hic Justus est, vita vivet. *Ezech. cap.* 18. *vers.* 9.
Melior est fapientia quam arma bellica. *Eccles. cap.* 9. *vers.* 18.
Beati fervi tui qui audiunt fapientiam tuam. 3. *Regum cap.* 10. *vers.* 8.
Dominabitur Thesaurorum auri, & argenti. *Dan. Cap.* 11. *vers.* 43.
Quæcumque faciet prosperabuntur. *Psal.* 1. *vers.* 3.
Opus Justi ad vitam. *Prov. cap.* 10. *vers.* 16.
Torrens redundans, fons Sapientię. *Prov. cap.* 18. *vers.* 4.
Non movebitur in æternum. *Psal.* 15. *vers.* 6.
Venient fuper tę universę Benedictiones. *Deut. cap.* 28. *vers.* 2.
Benedictus eris ingrediens. *Deut. cap.* 28. *vers.* 6.
Benedictus egrediens. *Ibid.*
De longe oculi ejus prospiciunt. *Job. cap.* 39. *vers.* 29.
Innovabitur juventus tua. *Psalm.* 102.
Lætentur Cæli, & exultet terra. *Psal.* 95. *vers.* 11.
Fœdus Pacis. *Ezech. cap.* 34. *vers.* 28.
Quocumque fe vertit prudenter intelligit. *Prov. cap.* 17. *vers.* 8.

Bene-

Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. *Num. cap. 6. vers. 24.*
Emittet Dominus Benedictionem super cellaria tua. *Deut. cap. 25. vers. 8.*
Eritque omnipotens contra hostes tuos. *Job. cap. 22. vers. 25.*
Expandens alas suas ad austrum. *Job. cap. 29. vers. 30.*
Justitia, & Sanitas in pennis ejus. *Malach. cap. 4. vers. 2.*
Beatus homo qui invenit sapientiam. *Prover. cap. 3. vers. 13.*
Et homo, qui affluit prudentia. *Ibidem.*
Deus autem benedicat tibi. *Gen. cap. 28. vers. 3.*
Pacificus est ingressus tuus. *1. Regum cap. 16. vers. 4.*
Omnes viæ tuę stabilientur. *Prov. cap. 4. vers. 26.*
In hilaritate vultus Regis vita. *Prov. cap. 16. vers. 15.*
In memoria æterna erit justus. *Psal. 111. vers. 6.*
Beata terra cujus Rex nobilis est. *Eccl. 10. vers. 17.*
Fiat pax in virtute tua. *Psal. 121. vers. 7.*
Et imperes omnibus. *2. Regum cap. 3. vers. 21.*
Melius est nomen bonum quam divitiæ multę. *Prov. cap. 22. vers. 1.*
Super argentum, & aurum gratia bona. *Ibidem.*
Labia justi erudiunt plurimos. *Prov. cap. 10. vers. 11.*
Ea quę digna sunt Principe cogitabit. *Isa. cap. 31. vers. 8.*
Dies super dies Regis adjicies. *Psal. 60. vers. 7.*
Et ipse de Regibus triumphabit. *Abacuc. cap. 1. vers. 10.*
Dominus custodiat introitum tuum, & exitum. *Psal. 120. vers. 8.*
Benefac Domine bonis. *Psal. 124. vers. 4.*
Bonus est, hauriet gratiam à Domino. *Prov. cap. 12. vers. 2.*
Dominabitur potestate multa. *Daniel. cap. 11. vers. 3.*
Corona dignitatis senectus. *Prov. cap. 25. vers. 31.*
Bene sit tibi, & longo vivas tempore. *Deut. cap. 82. vers. 7.*
Inveniet vitam Justitiam, & Gloriam. *Prov. cap. 21. vers. 21*
Mare, & meridiem possidebit. *Deut. cap. 33. vers. 23.*

Absoluto itinere Summus Pontifex in Porticu Lateranensi deosculatus est Crucem auream sibi oblatam ab Eminentissimo Archipresbytero Cardinali Chisio à Canonicorum cætu universoque Constantinianę Basilicæ Clero consociato, deinde solium ascendit, in quo Sacris Indumentis amicto, idem Eminentissimus Chisius eleganti oratione Basilicę claves obtulit, alteram argenteam, auream alteram funiculis aureis, & argenteis colligatas in argenteo ancili, quod sustentabat Illustrissimus ejus Vicarius, ac Præsul Maphæus Farsettus; oratione absoluta ad pedis osculum Basilicę Clerus accessit.

Deinde præcedente Cruce in sella gestatoria delatus fuit Alexander sub umbella, quam Canonici sustentabant, ad altare, ubi Sacrosancta Eucharistia servabatur, interim Cantorum Choro dicente Hymnum *Te Deum*; quo finito Pontifex Presbyterium Cardinalibus distribuit, omnique Populo sacra benedictione cælestia bona est apprecatus.



Basilicam ingredienti Alexandro apposita supra januam inscriptione his verbis Roma plaudebat.

SACROSANCTAM MAIESTATIS TVÆ PRIMAM SEDEM
PONTIFICVM OMNIVM PRAESENTIA CONSECRATAM
LATERANENSEM CONSTANTINIANAM BASILICAM
FAVSTE FELICITERQVE INGREDERE
ALEXANDER OCTAVE
CLARO DIVINITATIS INSTINCTV
AD IPSAM VOCATVS TAMQVAM AARON
IN HAC ECCLESIARVM OMNIVM MATRE
RELIQVAS PATER OPTIME
CHRISTIANI ORBIS ECCLESIAS, VT FILIAS AGNOSCE
ET IN TVÆ CHARITATIS SINV LÆTVS EXCIPE
AD OBSEQVIVM TVI BONI NOMINIS ACCVRRENTES
DIVTVRNAM TIBI IPSÆ ADPRECANTVR FÆLICITATEM
VT IN TVO PRINCIPATV POSSINT SIBI ESSE FÆLICES
VIVE, ET DE NOSTRIS NVMEN TIBI CONFERAT ANNOS.

In Parte interiori Basilicæ alia ejdem januę eminebat inscriptio.

RECENTI TVÆ FÆLICITATI SACRA ROMA GRATVLARE
GRANDIORIS FORTVNÆ FATVM AVSPICARIS
AB IMPERIO ALEXANDRI OCTAVI
QVEM AD SOLIVM LATERANVM
ORBIS NECESSITAS, REIPVBLICÆ VTILITAS
GLORIA PRINCIPATVS POPVLORVM AMOR EVEXIT
AD TANTI SOLIS ASPECTVM
RENOVABITVR LVCTVOSA FACIES TERRÆ
OMNIA IMPLEBVNTVR BONITATE
ET CVNCTA BELLORVM TEMPESTAS
AMABILI PACIS SERENITATE FVGABITVR
VT INTER CHRISTIANAS DE TVRCA, ET HÆRESI PALMAS
OLEA ETIAM AD CORONAM FIDEI ROMANÆ DESERVIAT
DIFFICILIVM TEMPORVM NODOS GORDIO FORTIORES
ROMA NE TIMEAS
HABES IN TVO PONTIFICE ALEXANDRVM.

Contra solium Pontificium hæc alia legebatur.

ADORNA THALAMVM LATERANENSIS ECCLESIA
DATVM TIBI A CÆLO SPONSVM EXCEPTVRA
ALEXANDRVM OCTAVVM
PRO CVIVS CONNVBIO TVI
AMPLIFICABITVR MAIESTAS IMPERII.
EXAVDITA EST DEPRECATIO TVA
ET TVA IPSA VOTA DIVINITATIS AMOR EXCESSIT
HABES PONTIFICEM NOMINE BONVM
VIRTVTE OPTIMVM, MERITIS MAXIMVM
PIETATE SAPIENTIA, BENIGNITATE, PRVDENTIA
HVMANARVM SACRARVMQVE RERVM EXPERIENTIA
DIGNISSIMVM, CVI CÆLVM ARRIDEAT
VT QVI LONGA ANNORVM SERIE
CHRISTIANVM IMPERIVM SVO PRINCIPATV FORTVNET.

Quandoquidem de traditione clavium facta est mentio quas Summo Pontifici Archipresbyter Lateranensis Basilicę solet offerre, non injucundam differtatiuncu-

tiunculam lubet addere, de hujusmodi clavium tradendarum antiquissimo ritu; & quidem tria præcipue circa illum se offerunt adnotanda. Primò quando nam usus incœperit hujusmodi claves tradendi; secundò quid illæ significaverint; tertiò an semper ad hæc usque tempora invariato ritu traditę Pontifici fuerint.

Circa primum pauca subdam, quę potui ex antiquis monumentis colligere. Inter omnes, qui extant antiquissimos Codices, liber est qui vocatur *Diurnus Romanorum Pontificum* in lucem editus Parisiis anno 1680. opera, & studio nostri P. Joannis Garnerii, cui addidit notas, & dissertationes valde eruditas; in eo continetur ritus, quo Summus Pontifex antiquitus ordinabatur, scilicet circa annum septingentesimum, quo idem Garnerius probabiliter arbitratus est talem librum compositum fuisse sub Gregorio Secundo: In eo autem nulla mentio fit de traditione clavium, neque de Basilica Lateranensi, quam post coronationem multos Pontifices adjisse monumenta testantur, hæc porrò habentur tit. 8. cap. 2.
„ Psallunt secundum consuetudinem, procedit electus de Secretario cum *Pag. 24.*
„ cæreostatis septem, & venit ad confessionem, & post lytaniam ascendunt ad
„ sedem simul Episcopi, & Presbyteri, tunc Episcopus Albanensis dat orationem
„ primam, deinde Episcopus Portuensis dat orationem secundam, postmodum
„ adducuntur Evangelia, & aperiuntur, & tenentur super caput electi à Diaco-
„ nibus, tunc Episcopus Ostiensis consecrat eum Pontificem, post hæc Archidia-
„ conus annectit ei pallium, deinde ascendit ad sedem, & dat pacem omnibus
„ Sacerdotibus, & dicit *Gloria in excelsis Deo*.

Eminentissimus verò Cardinalis Baronius ad annum 1100. describens electionem Paschalis Secundi, hæc habet verba, quæ ex codice scriptoris anonimi illius temporis in Archivo Vaticano servato se accepisse affirmat. „ Hic (idest Pascha-
„ lis) baltheo succingitur cum septem ex inde pendentibus clavibus, ex quo
„ sciat septem sigillis septiformem Spiritus S. Gratiam cunctarum Ecclesiarum,
„ quibus simul Deo Authore præest regimini, claudendo, aperiendoque tanta
„ ratione procedere debere, quanto solertius id quod intenditur operatur.

Postquam hæc legeram apud Baronium inveni in aliquibus annotationibus quas eruditissimus Panvinius addidit Ordini Romano à Cencio Camerario conscripto, Anonimum illum à Baronio relatum fuisse quemdam Pandulfum Pisanum Subdiaconum Apostolicum, qui vitas Summorum Pontificum sui temporis conscripsit. Hæc enim ille habet in Vita Paschalis Papę Secundi.

Urbano Papa II. defuncto Ecclesia, quę erat in Urbe pastorem sibi dari petiit, ob hoc Patres Cardinales Eiscopi Presbyteri Diaconi primioresque Urbis, Primisorini, & Scribæ Regionarii in Ecclesia S. Clementis conveniunt. Hic dum de multis agitur, subito de hoc commodius plaucit, quod compertum viro bono displicuit, volensque vitare fugit latuitque, sed non diu potuit humano latere consilio, quem Divina gratia revelare disposuit, trahitur in Conventum, & de fuga arguitur à Patribus; fugere inquit, ille, me magis oportuit, quem inęqualis sarcinæ pondus immoderata animi præsumptione subire nec decebat me Sacerdotem illius honoris cingulo accingere, cujus oneris vinculo involutus saccumberem. Non sic autem Patres respondent, non sic facere te oportet, sed illuc tua se debet cohibere intentio, quò Divinam cognoverit se infigere sapientiam; ecce in Pastorem Te sibi dari expetit populus Urbis, Te elegit Clerus, Te collaudant Patres Dominique; in te solo totius Ecclesię quievit examinatio: Divinitus ista proveniunt, divinitus hi congregati in nomine Domini. Te ad Summi Pontificatus apicem, & eligimus, & confirmamus. Sic diu renitenti, & Primiscrinariis, & Scribis Regionariis mutato nomine ter acclamatum est, responsumq; *Paschalem Papam S. Petrus elegit.* His aliisque laudibus solemniter peractis, clamyde coccinea induitur à Patribus, & tiara capiti ejus imposita, comitante turba cum cantu Lateranum vectus ante eum porticum, quæ est ab australi plaga ad Basilicam S. Salvatoris, quā Constantinianam dicunt, adducitur, equo descendit, locaturque, in sede, quę ibidem est, deinde in Patriarchali, ascendensque Palatium ad duas curules devenit. *Hic baltheo succingitur cum septem ex eo pendentibus clavibus, & septem sigillis*, à quo sciat se secundum septiformem Spiritus Sancti gratiam Sanctarum Ecclesiarum, quibus Deo auctore præest regimini, in claudendo aperiendoque tanta ratione pro-

ne providere debere, quanta solemnitate id quod intenditur operatur, & locatus in utrisque data sibi ferula in manu per cætera palatii loca, sola Pontificibus Romanis destinata, jam D. Papa vel sedens vel transiens electionis modum implevit, die altero consecrandus in Pontificem cum frequentia Populi plebisque Basilicam B. Petri adit. Christi Pontificem consecraturi sex fuere, & inter missarum solemnia loco, & termino quo decuit manum ei imposuerunt. Catholice igitur à Catholicis Episcopis in Pontificem consecratus translato in se pallio, expletis quæ restabant missarum solemniis cum laudum plenitudine ingentique populi applausu, & plebis, Patrum quoque alacritate, & devotione Paschalis II. coronatus, & receptus est.

Servantur hæc omnia à Pandulpho relata in codice MS. in Cimelio D. Gregorii Buratti Nobilis Romani Illustrissimi Presulis Laurentii Buratti nepotis. Hęc eadem verba citat Franciscus Maria Torrigius in cryptis Vaticanis pag.
[Pag.] 79. 597. & P. Franciscus Carriere in sua Chronologia Pontificum, qui etiam ultra septem claves ait addita fuisse septem sigilla. (*Inde atrium inquit ille*) *Lateranense conscendens Baltheo ex quo septem claves, & septem sigilla pendebant succinctus fuit.*

Monumentum his antiquius reperire non potui; inveni tamen à posterioribus confirmatum. In ordine enim Romano à Cencio Camerario conscripto ante annum 1192. ut affirmat Felix Contelorius Archivi Vaticani secreti olim custos in Epistola ad Cardinalem Baronium, cum ei prædicti libri transumptum exemplar dono daret, hæc habentur sub numero 79., ubi vero ventum est ante Basilicam ipsam „ prior Basilica S. Laurentii de Palatio dat ei ferulam, quæ est signum regiminis, „ & correctionis, & claves ipsius Basilicæ, & Sac. Lateranensis Palatii, quia specialiter Petro Principi Apostolorum data est potestas claudendi, & aperiendi, „ & ligandi atque solvendi, & per ipsum Apostolum Ordinibus Romanis Pontificibus, & cum ipsa ferula, & clavibus accedit ad alteram sedem similem, & „ tunc reddit eidem priori tam ferulam quàm etiam ipsas claves; quarum tamen numerum non explicat Cencius, qui adfuit consecrationi Cælestini III. anno 1191.

Post Cencium Gregorius X. anno 1271. ad Pontificiæ dignitatis apicem evectus, omnia ea, quæ circa ipsum facta sunt, ad futurorum memoriam in scriptis
[Pa]g. 230. fecit redigi, inter quæ hæc habentur typis ædita à P. Mabillonio inter odines Romanos num. XIII. „ postea ducitur (Pontifex) ab ipsis Cardinalibus per Palatium usque ad portam Ecclesiæ S. Sylvestri, ubi sunt duæ sedes Porphyreticę, „ & primò sedet in illa, quæ est ad dexteram, ubi Prior Basilicæ S. Laurentii dat „ ei ferulam, quæ est signum correctionis, & regiminis, & claues ipsius Basilicę, „ & Sac. Laterani Palatii, in quibus designatur potestas claudendi, aperiendi, „ ligandi atque solvendi, & cum ipsa ferula, & aliis clavibus accedit ad aliam „ sedem similem.

Anno deindè 1300. sub Bonifacio VIII. Jacobus Cajetanus scribens ordinem Romanum ab eodem P. Mabillonio vulgatum sub Num. XIV. similia recenset his
[Pag.] 260. verbis „ Prior Basilicę S. Laurentii dat ei ferulam; quæ est signum correctionis, „ & regiminis, & claves ipsius Basilicę, & Sacri Palatii Lateranensis, in quibus „ significatur Potestas claudendi, & aperiendi.

Sub Leone deinde X. anno 1516. Christophorus Marcellus Corcirensis edidit libros de Sac. Eccl. Romanę Ritibus, quos collegerat circa annum 1434. sedente Sixto IV. Augustinus Patritius; in his ubi agit de consecratione, & coronatione Romani Pontificis hęc habentur „ Ad quem Prior Eccl. Lateranensis accedit, & genu- „ flexus dat Pontifici ferulam in manu in signum correctionis, & regiminis, & „ claves ipsius Basilicæ, ac Palatii Lateranensis in signum potestatis claudendi, „ & aperindi, ligandi, atque solvendi. Similia his recensuit Eruditissimus Onuphrius Panvinius, qui scripsit decem libros de variâ Creatione Pontificis Romani, eorumque Epitomem nuncupavit D. Carolo Borromęo S. R. E. Purpurato, libro quinto, cujus exemplar MS. apud me servo.

Ex his quę hactenus relata sunt palam fit quod secundo loco inquirendum proposui, scilicet quid significatum fuerit clavibus Summo Pontifici traditis, ex verbis enim omnium patet, datas illas fuisse, ut indicaretur potestas Pontificia

clauden-

claudendi, & aperiendi, ligandi atque solvendi, quam primò Christus dedit Petro sub clavium metaphora juxtà Math. 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum, & in Cælis, & quodcumqua solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, unde *Claviger*, & *Janitor Cælorum* D. Petrus sæpè appellatur. Videatur Janesius cap. 66. concord. Lindanus lib. 4. panopl. 1. 8. Bosius lib. 18. de signis cap. 1.

Et quamvis D. Petrus cæterique Pontifices Summi propriè loquendo non sint Domini Ecclesiæ, de quo Eugenium monuit S. Bernardus lib. 3. de consider. cap. 1. sed Ecclesię moderatores, & rectores; facultatem tamen habent claudendi, & aperiendi, quam habet is cui Ianitoris officium commissum est, ut notat Sanderus lib. 1. de Clau. David cap. 1. ea enim claudendi, aperiendique facultate exercetur usus maximè directus clavium; Nam quid magis congruit clavibus, quam aperire, vel claudere: itaque significatur sub ea clavium metaphora, seù symbolo potestas Pontificia, concessa claudendi Regnum Cęlorum, illudue reserandi, per datam aut negatam absolutionem à culpis Cælum intercludentibus.

Aliam clavium significationem exponit eruditissimus P. Theophilus Raynaudus in pręnotatione IV. Coronæ aureę super Mitrham Romani Pontificis scilicet reserationem Mysteriorum fidei, & eorum veram intelligentiam, reprobatis extraneis interpetrationibus Divo Petro concessam, & Summis Pontificibus, & sic per expositam clavium Metaphoram rectè intelligitur, quod de veritate clavium S. Petro concessarum legitur apud aliquos, qui pro triplici actu potestatis intervenientis ad plenè, & integrè obeundam totius Ecclesię præfecturam, triplicem S. Petri clavem decernunt, nempè scientię, potentię, & jurisdictionis, ita Marianus Victorius lib. de conf. cap. 12. & alii passim apud eundem; ad clavem primam pertinet reseratio sivè propositio verę Doctrinę, ad clavem tertiam pertinent functiones aliæ in ratione adæquata inclusæ, quibus & dispensationes, & Sacramentorum administrationes ac hujusmodi alia continentur, in quorum signum ternæ claves Sancto Petro olim appingi solebant, ut ex vetustissimis Romæ monumentis prodit Scholiastes ad opusc. 4. Petri Damiani.

Passim tamen, non nisi binæ claves S. Petro appinguntur, & quidem una aurea, alia argentea, ut ex multis Ecclesiis Romanis, ac insignibus Pontificum notat Molanus lib. 3. de imaginibus cap. 21. Raynaudus tamen arbitratus est, potius hoc clavium binario exprimi duo illa vulgata membra, idest clavium potentię, comprehendendo sub potentiâ jurisdictionem, & clavium scientię, qua abdita fidei Divinę Mysteria Summus Pontifex legitimè explicat.

Has scientię claves significatas ab Antiquis fuisse non sine ratione autumo, cum non tantùm unicam, vel duplicem Summo Pontifici offerebant, sed numero septem, ut ex Anonimo Scriptore retulit Baronius supracitatus, electionem Paschalis Secundi describens, quas tamen claves, scio aliquem cęteroqui Sacrorum Rituum in hac Urbe peritum negasse, non nisi quia, ut reor, inter legendum Baronii relationē prętermiserit. Eadem ipsa verba à Baronio relata meam opinionem confirmant; „ Baltheo (inquit ille) succingitur cum septem ex indè pendētibus
„ clavibus, ex quo sciat septem sigillis septiformem S. Spiritus gratiam cunctarum
„ Ecclesiarum quibus simul Deo authore pręest regimini in claudendo aperien-
„ doque, tanta ratione providere debere, quantò solertius id quod intenditur
„ operatur.

Si autem attente verba hæc perpendantur, non nisi quàm potestatem significari pro comperto habebimus, qua Summus Pontifex Scientia à Deo illi communicata, & sub symbolo claviū indicata fidei mysteria repādit, & quodammodò occlusa aperit illa ingnorātibus declarando; nec carebat mysterio numerus septenarius in clavibus Pontifici tributis, ut & ipse Baronius in suis notis marginalibus innuit. Apocalypsis enim cap. 5. inquit Joannes, *& vidi in dextra sedentis supra Tronum, librum scriptum intus, & foris signatum sigillis septem*, quę sigilla docente S. Hilario apud Cornelium sunt septem pręcipua Christi mysteria, scilicet Incarnatio, Nativitas, Passio, Resurrectio, Ascensio ad Cælos, Missio Spiritus Sancti, & Adventus ejus ad Judicium, & juxtà B. Petrum Damiani serm. de S. Luca Evangelista sunt

septem

ſeptem Sacramenta, quibus totus Ordo Dominicæ diſpenſationis impletur. Hæc Chriſtus ſolus aperuit,ejuſq; in terris Vicarius aperit,cum enucleatius quodammodo talia myſteria declarat, & ſcientiæ lumine à Deo illi communicato in aperto ponit, cui lumini fortaſſe prælufit antiquiſſimus ille ritus, quem ex Diurno Romano ſcimus ab anno ſeptingenteſimo in uſu fuiſſe cereoſtata ſeptem Romano Pontifici præferēdi in ejus ordinatione,in quo numero myſterium latere multi credunt, licet P. Joannes Garnerius, qui talem diurnum typis vulgavit anno 1680. in ſuis notis aſſerat ſeptem fuiſſe juxtà numerum Ceroferariorum pro numero Regionum Urbis. Pag. 24.

Has ſeptem claves de quibus ſermo eſt ejus generis fuiſſe, non nemo dubitavit, quo Veteres res ſuas obſignabant, quandoquidem ſcimus ex Georgio Longo Doctore, & Ambroſianæ Bibliothecæ Cuſtode primo pag.mihi 55.tract: de annulis ſignatoriis, ubi dicit: „ aliud præter annulorum genus ad obſignandum familiare „ antiquis extitiſſe didici ex jis Bataviæ, & inferioris Germaniẹ Antiquitatibus „ quæ nuper ex Petri Scriverii Muſeo prodierunt, inter quas annulata clavis vi- „ ſitur ad duplicem ſcilicet uſum ſignandi aperiendique. Idem affirmavit Licetus de annulis Antiquorum cap. 29. *Annulos ejuſmodi ſignatorios ferreos complures vidimus in Batavia cum adjuncta clavi ad duplicem ſcilicet uſum ſignandi, aperiendique,* Pag. 148. hujuſmodi annulos à ſe viſos inquit Licetus cum clavi apud Joannem Galvanum Patavinum Juris Conſultum, ego verò vidi Romẹ in Cimelio Illuſtriſſimi D. Urbani Roccii Nobilis Romani, & in muſeo Illuſtriſſimi Abb. Franciſci Blanchini rei antiquariæ ſtudioſiſſimi, alioſque delineatos exponit Caſalius cap. 10. de Romani Imperii ſplendore, aliquot etiam repoſui in muſẹo Kircheriano Collegii Romani hoc anno reſtituto, ejuſmodi generis fuiſſe claves Pontifici oblatas videntur ſubobſcure indicare verba P. Franciſci Carriere à nobis ſupra expoſita. *Ideſt atrium Lateranenſe conſcendens (Pontifex) baltheo ex quo ſeptem claves, & ſeptem ſigilla penedebat, ſuccintus fuit.* Verùm quia verba Anonimi Scriptoris à Baronio relata, hoc non declarant, dubitationi locus relinquitur, & quod pro comperto eſt affirmamus, ſcilicet ſeptem claves appoſitas Baltheo fuiſſe, quibus bellè aptatur proprietas obſignandi, quæ ſigillis convenit, licet enim *obſignare* ſit ſigni impreſſione aliquid occludere, & ad litteras, cẹteraque, quæ ſigno quovis notantur, pertinet, unde Plautus carm. 4. *obſignate cellas referte annulum ad me*, clavis tamen cum claudat quodammodo obſignat, & in tuto reponit, ſicut ſigillum occludit obſignando.

Probatur ulterius illas fuiſſe ſolas claves ab annulis ſignatoriis ſeparatas, ex Ritu, quem in ſuo ceremoniali publicavit Corcirenſis ſub Leone X. in quo agens de Conſecratione Romani Pontificis hẹc habet „ Prior Eccleſiæ Lateranenſis ac- „ cedit, & genuflexus dat Pontifici ferulam in manu in ſignum correctionis, & „ regiminis, & claves ipſius Baſilicæ, ac Palatii Lateranenſis in ſignum poteſtatis „ claudendi, & aperiendi, ligandi, atque ſolvendi. Surgit deindè Papa cum „ ferula, & clavibus, & ſedet in alterà ſede prophyretica ad aliam partem, & ibi „ reſtituit eidem Priori ferulam, & claves, & ab eodem præcingitur ſuper pla- „ netam ſedens cum cingulo quodam ſericeo rubro cum burſa etiam ſericea, & „ rubra in qua ſunt duodecim lapides prætioſi, cum muſco, hunc omnino ſimilem Ritum retulit ante Corcirenſem Jacobus Cajetanus num. XX. Ordinis Romani à ſe conſcripti, hos autem duodecim prætioſos lapides fuiſſe ſigilla affirmavit ante Cajetanum Cencius Camerarius in ſuo ordine circa annum 1200. ſcripto. Qui poſt Cæleſtinum III. electus Pontifex Honorius III. nominatus fuit ubi cap. 48. num.79. poſt traditionem clavium ait; *Cingitur Pontifex ab eodem priore Zona rubea de ſerico, in qua dependet burſa purpurea, in qua ſunt duodecim ſigilla pretioſorum lapidum, & paulò poſt in duodecim ſigillis duodecim Apoſtolorum poteſtas deſignatur*, quales verò lapides illi fuerint à nullo enarratur. Notandum autem eſt cum Abrahamo Gorlæo in prẹloquio in Dactylothecam quod & ſi omnes fere gemmæ ad uſum ſigillorum inciderentur, tres tum maxime omnium ad hos uſus aptabantur Achates, Onyx, & Sarda eo quod ceram non traherent, pulcherrimeque ac ſine labe effigiem exprimerent.

Ex his manifeſte patet, quod licet Pontifici ſigilla aptarentur, cum zona, illa

illa tamen distincta fuisse à clavibus, quæ primum eidem Pontificis offerebantur; sigilla dicuntur fuisse duodecim, at clavium numerus non exprimitur, sed solum cum dicantur fuisse *claves ipsius Basilicæ, & sacri Lateranensis Palatii*, potuerunt numerum duodenarium non attingere, vel superare, vel non excedere, quod verò sigilla fuerint lapides pretiosi mirum videri non debet. Gemmas enim annulorum quibus multa obsignabantur ab Antiquis, symbolicis iconibus omnigenis insculptas haberi nemo non novit, qui vetustatis, & eruditionis cultor est in Orbe literatorum. Videatur Fortunius Licetus lib. de annulis Antiquorum cap. 27. durat etiam num annuli signatorii usus, qui annulus Piscatoris vocatur, quoq; Summi Pontifices sua diplomata obsignant. Ceterum ad hanc rem facere videtur, quod legitur apud Christophorum Marcellum Archipiscopum Corcirensem in opere Sacrarum Cæremoniarum, ubi agit de Bullis plumbatorum per Vice-Cancellarium frangẽdis, Vice-Cancellarius inquit, „ ut primum Pontifex expiravit, Bullas, quibus litteræ Apo- *Lib. 1. cap. 4.*
„ stolicę signari consueverunt à plumbatoribus accipit, & partem illam in qua litte-
„ ræ cum nomine Pontificis inscriptæ sunt, publice, & coram pluribus per ipsos
„ plumbatores frangit, & ad signandum omninò ineptos reddit.

Ex his quæ hactenus dicta sunt, patet ni fallor quod tertio loco inspiciendum proposuimus, nempè varietas in tradendo Summo Pontifici claves; vidimus enim septem fuisse aliquandò oblatas, secundò eas fuisse Basilicæ, & Palatii Lateranesis, & quidem sine ullo numero determinato expressas vltimò demum binas tantùm alteram auream, argenteam alteram funiculo argenteo, at aureo colligatas, per quarum auream Molanus intelligi docet potestatem absolutionis, per argenteam verò excommunicationis. *De hist. Imag. cap. 21. lib. 3.*



OPTIMO ORBIS PASTORI

AN. II.

NUmisma Laureatum in honorem Alexandri VIII. cusum cum lemmate, OPTIMO ORBIS PASTORI signum publicę lætitię fuit, nam semper apud Antiquos, tum in privata, tum in publica lætitia coronis locum fuisse sciunt rei nummarię Periti. Publica lætitia tunc est cum omnes ob rem prospere feliciterque gestam divinę bonitati gratias agunt, dies festoscelebrando, faustis acclamationibus, epularum solemniis festivorum ignium luminibus eo ritu, qui cuicumque nationi usitatissimus est, cum Populus Principi gratulatur, atque hujus prodendę lætitię locus etiam coronis assignari solebat: tales coronę fuerunt illę, quibus apud Virgilium hortatu Evandri Convivę coronantur ob Cacum ab Hercule extinctum. *8. Æneid.*

Quare agite ò Juvenes, tantarum in munere laudum,
Cingite fronde comas - - - - - -

Tales fuerunt illę quibus Populus Romanus coronatus fuit illo die, quo Nero Tiridati diadema imposuit, illo item die, quo ipse Nero è Gręcia rediens iniit Urbem, universa Civitas fuit coronata floribus, & lauro. Cuicumque enim rei laurus adhibeatur, fauftitatis, & felicitatis nuncia censetur. Hinc est, quòd non tantùm Principum, sed & privatorum januas laureis coronari priscus mos fuit. *Cur die læto* (ait Tertullianus) *non laureis postes adumbramus?* Et Plinius quidem ait laurum Romanis *præcipue lætitiæ victoriarumque nunciam esse*. *XiphilHer.* *In Apolog.* *Appion Alex.*

Nec solum talibus coronis Populi multitudo in publica lætitia jussa est uti sed sæpe coronę, & flores jacebantur in aliquem ob rem bene gestam. Qua faustitate exceptum fuisse Titum, ob liberatam Senatus Decreto Græciam memorat Appianus Curio Cæsari favens, superato in suffragiis Pompejo, tali honore cultus apud Plutarcum, *Et illi quidem sicuti victor clarus prægaudio prodiit in vulgus plausu, & conjectu coronarum, & florum exceptus*. Nempe talium coronarum co- *App. Alex. apud Pasch. lib. 2. cap. 11.*

njectu multitudo ſtudia ſua in eum qui tali fauſtitate excipiebatur profiteri ſtudebat. Tali ratione lætitiam non tantum urbana multitudo ſignificabat, verùm, & ipſæ longinquæ Provinciȩ, ipſique Reges in hoc ipſum ſimiles coronas mittebant, quo genere muneris hanc quoque lætitiam teſtabantur, ut affirmat Paſchalius; conjecit quodammodo prȩ lætitia ſuas coronas in Alexandrum Pontificem numiſmatis propoſiti Author. At cum Antiquorum mos iſte omninò ceſſaverit, eas percuſſo in ære ſparſit, ubique morem aliorum imitatus, quem numiſmata aliquot oſtendunt, ideſt numiſma Cæſaris in quo laurea corona cum vaſe Pontificali, & lituo, Auguſti, in quo laurea ob Cives ſervatos, & Quintilli Claudii fratris, in quo corona è lauro contexta cum lemmate TEMPORVM FELICITAS.


Lib.2.cap. 11.

An non lætari debuerat Chriſtianus Orbis univerſus, cui talis Paſtor moderabatur, jure *optimi* cognomentum præſertim adeptus, cum re frumentaria reſtituta, ovibus ſibi commiſſis à Deo uberiori in campo alimenta præberet, præclari hujus beneficii perenne monimentum extat in nummo argenteo in uſum pecuniȩ anno 1690. ſignato, in quo Boves terram aratro proſcindunt. Illud excogitavit vir clariſſimus Raphael Abbas Fabrettus Vaticanȩ Baſilicȩ Canonicus, & omnigenȩ eruditionis antiquȩ, cum primis, tum ſequeſter, tum erogator, adiecitque lemma. RE FRVMENTARIA RESTITVTA. Paſtorem optimum, pariter Alexandrum celebravit aureis caracteribus expreſſum elogium in caſtro doloris, quod in Baſilica Vaticana poſt ejus mortem erexerunt. Illud eſt hujuſmodi.

Apud Auguſtinum. Ta.4.n.13. Tab.16.n. 6. Tab.63.n. 2.

MAGNIFICENTIAM FVNERIS PONTIFICIS
IN IIS QVÆ DESVNT VIATOR ADMIRARE
SVMPTVARIIS ENIM LEGIBVS LATIS
PLVRIMA ILLIVS ORNAMENTA RESCIDIT ALEXANDER
QVI VECTIGALIBVS QVA LEVATIS, QVA REMISSIS
QVORVM REDEMPTIO
QVADRAGIES CENTENIS MILLIBVS NVMMVM
STETISSET
INSTAVRATO AD PROVINCIAS DITANDAS COMMERCIO
VT VITA ETIAM PERFVNCTVS
REIPVBLICÆ PRODESSET
SVI FVNERIS MVLCTAM DONAVIT.

Quandoquidem de Equitatu diximus, quo Summus Pontifex Baſilicam adivit Lateranenſem, haud ſupervacaneum erit animadvertere valde differre ejus pompam ab antiqua, qua Summi Pontifices procedere illuc ſolebant: ejus ritus recenſuit Marcellus electus Archiepiſcopus Corcirenſis in ſectione ſecunda libri primi Rituum Eccleſiaſticorum, in qua agitur de Ordinatione, Conſecratione, & Coronatione Summi Pontificis; in ea Proceſſione Pontifex ſacra veſte indutus, & Tiara tectus equitabat, ſeu ſella vehebatur à validis Pontificis familiaribus ſuſtentata; hæc autem pompa in qua Pontifices ſacro habitu induti, paludati, & infulati die coronationis ad Lateranum procedere ſolebant (ait Mucantius in Diariis Gregorii XIII.) *ultimo eſt habita à Leone X.* „ & cum omnibus ſuis cir- „ cumſtantiis obſervata fuit, deinde pro majori commoditate, tum etiam „ propter nimiam impenſam relicta eſt, licet revera nobiliſſimum ſpectaculum, & „ tanto Principe dignum eſſet. Ejus ritum percurrat curioſus in volumine à nobis ſuperius citato.



NON

✠ III ✠

NON PRAEVALEBVNT.

NUmismatis hujus expressio Romanam Ecclesiam in muliere designat, in bellva septem capitibus armata Turcicas acies Ecclesiasticę ditioni insidiantes; illas prophetico calamo descripsit S. Joannes in Apocalypsi cap. decimo tertio scribens, *Et vidi de mane Bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornu ejus decem diademata, & super capita ejus nomina blasphemiæ, & Bestia, quam vidi similis erat Pardo, & pedes ejus sicut pedes Ursi*. Quam benè hæc omnia Turcarum Genti conveniant demonstrat noster Cornelius à Lapide; nos à sucepto itinere ne divagemur, mulierem dimicantem observamus; bellvam illam veneno turgidam transfigere conatur Cruce, quam tali loco intendit dextera, sinistra obiiciens clypeum in quo stemmata gentilitia Alexandri VIII. præfulgent, ut scilicet tali expressione declaret, se præsidiis etiam providi Pontificis munitam contra rebelles pugnare, animos interim addente Divino Spiritu, qui cælesti lumine ejus caput irradiat. Octavus enim Alexander ut Optimi Pontificis partes impleret, & à nullo Venetę Reipublicę Heroe inTurcas infensissimo vinceretur;vix ad Pontificatum evectus, quatuor millia Militum conscripta ære Ecclesiastico, usque ad littora, ubi navim conscenderent obtulit Reipublicę, ut Euboicę insulę expugnationem repeterent, sine qua magno periculo expositum in peloponeso Christianorum imperium videbatur, facultatem præterea indulsit milites scribendi in ditione universa Pontificis, quę staret contra Barbaros propugnaculum Christianorum; prædia insuper Abbatię S. Marię de Carceribus Monachorum Camaldulensium in agro oppidi Estensis Venetę ditionis motu proprio laicis venalia esse concessit ad stipendia militum adversus Turcas, translatis Monacis ad alia cœnobia ejusdem Instituti. Obtulit etiam sexcentos cados nitrati pulveris, triremes instrui jussit Melitensium, atque Etruscas, & Lygures excitavit; nec solum ad Turcas, sed ad monstra hæresum extirpanda auxilia præbuit Alexander, cum tercenta nummorum millia Jacobo Regi Brittanię Fidei Catholicę defensori designavit.

In Apocal. — *Palat. pag. 207.* — *Idem pag. 208.*

Quid mirum si tantis munita præsidiis Romana Ecclesia, dum armato milite præliabatur fausto vaticinio augurari sibi victorias poterat verbis olim à S. Isaia prolatis, DOMINUS REX NOSTER IPSE SALVABIT NOS; LAXATI SUNT FUNICULI TUI, *ET NON PRÆVALEBUNT*. Effluere hæc verba ex ore mulieris finguntur in numismate, modo quidem apud recentes Sculptores desueto, quamvis olim à multis optimę notę usurpato. Unde nam ille primùm emanarit affirmat Anonymus Author in quodam libello Gallicè conscripto, cui titulus *Nomes des Pintres les plus celebres, & plus connusanciens, & modernes*, ejus generis scriptiones primùm usurpasse Pictorem quemdam nomine Bonamicum, seu Busalmaccum; Philippus tamen Baldinuccius, Pictori Cimabue illas attribuit, additque Pictorem quemdam nomine Brutum à Busalmacco Pisis didicisse anno 1310. ejusque consilio verba aliquot addidisse tabulę in qua ille querebatur S. Ursulam cum Sociis Virginibus à se depictam; non tamen æquali peritia, ut picturas Busalmacci æmularetur, hic enim tali arte res coloribus exprimebat,ut vita propemodum frui viderentur; numisma autem est primę magnitudinis fusum anno 1690. ut appositi numeri indicant, & in parte, quę Alexandri effigiem demonstrat. Æneum vidi in ædibus Eminentiss.Card. Carpinei S. D.N. Vicarii, de cujus tum ocio, tum negocio, tum etiam domicilio diceret Tullius ut olim de Villa Varronis, *Studiorum est diversorium, in quo jam Populi Romani monumenta Majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrina testantur*, scripsit hoc elogium eruditissimus Abbas Franciscus Blanchinus in luculenta epistola de lapide Antiati Romę impressa hoc anno 1698. pag. 10.

Cap.33.23. — *Nelle notizie del Disegno pag. 26.*

IV

DOMINI EST ASSVMPTIO NOSTRA.

Opus admirabile dignumque magnificientia Alexandri VII. in Basilica Vaticana ex ære extructum, ut Principis Apostolorum Cathedra loco magis conspicuo emineret, sicuti numisma hoc repræsentat, ita etiam eximiam Alexandri VIII. sapientiam explicat, tum in ipsa Cathedrę expresione, tum in lemmate apposito DOMINI EST ASSVMPTIO NOSTRA. Illud ex Psalmo octuagesimo octavo, cum Regio Propheta pronunciando Pontificiam dignitatem, & authoritatem à Deo conferri sapienter docuit, quando enim Sacer Purpuratorum Patrum Senatus, aliquem in Pontificem Romanum eligit, illi non communicat, nec Ecclesia per ipsos illi homini potestatem spiritualem, & jurisdictionem ut prave asseruit Ludovicus Ellies Dupinus Sac. Theologię Parisiensis Doctor in dissertationibus historicis de antiqua Ecclesiæ disciplina impressis Parisiis anno 1686. & jure merito confixis à Sanctissimo D.N. Innocentio XI. speciali Decreto, sed tantum designat virum, cui Christus ex vi primæ institutionis concedit Pontificiam potestatem, idest tantum designat, & constituit virum, qui succedat in dignitate à Deo instituta, eodem prorsus modo, quo instituta est, & sine authoritate, vel potestate illam immutandi, augendi, vel diminuendi, ut explicat P. Suarez lib. 2. adversus Regem Angliæ cap. 2. num. 16. unde licet interveniat actio humana, hoc non satis est, ut non detur immediate à Deo illa dignitas, sic dignitas Apostolatus data est Matthię immediate à Deo, & tamen data est interveniente actione aliqua Apostolorum; atq; hic modus quo ad Pontificiam dignitatem servatus est in veteri lege; Deus instituit Summum Pontificatum in Aarone, & volvit ut esset Summus Pontifex, qui per carnalem generationem ab Aarone traheret originem cum jure Primogeniturę, ita in Lege nova Christus instituit Summum Pontificatum in Petro, & voluit ut transiret ad personam illam, quam Ecclesia designaret pro Successore Petri; non præscripsit autem modum eligendi sed hunc reliquit arbitrio Ecclesię, quę juxta temporum differentias decerneret modum aptiorem, ad præcidendam ambitionem, ad impedienda Schismata, & ad personam digniorem in Sede Petri collocandam, unde hominum actio, quæ virum designat, non tollit quominus dignitas Pontificia immediate conferatur à Deo rationem assignat eximius Doctor Suarez dicens,„ quia semper confertur, „ ex solius voluntate Dei cujus signum est, quia integre, & immutabiliter, pro- „ ut instituta est confertur, & quia successio etiam in eadem potestate ab eadem „ institutione originem habet, ideo enim in lege veteri per generationem carna- „ lem in Pontificatu succedebatur, quia ita à Deo ipso institutum erat, nunc „ autem designatio personę alio, magisque spirituali modo fit, quia Ecclesiasti- „ ca traditio docet, ita esse à Christo institutum, qui modum electionis seu de- „ signationis personæ Vicario suo definiendum commisit.

Id exemplo naturali explicari potest„ nam ut homo, generat hominem, „ non producit animam rationalem, nec illam infundit corpori, sed solum generat „ corpus & disponit materiam cui Deus infundat animam rationalem, quam per „ creationem ipse ex nihilo producit; sic ergo eligentes Pontificem non causant „ ejus potestatem spiritualem, nec illam communicant ipsi, sed solùm designant „ personam cui Deus communicat potestatem spiritualem, & authoritatem Pon- „ tificiam à se institutam.

Hanc ipsam potestatem doctissimè significavit Alexander VIII. expressione Cathedræ, in qua D. Petrus sedit Romę, sciebat enim optimè copiosam segentem titulorum, quę suppeditatur ex elogiis, quibus Concilia, & Patres, ac probati Doctores decorant Sedem Apostolicam, & Cathedram B. Petri, omnia illa directè cadere in Romanum Pontificem ejusque authoritatem, etiam si metonymicè continens, pro contento, & sedes, ac Cathedra pro sedente usurpetur: luculenter hęc demostravit P. Theophilus Rainaudus in corona aurea super Mitram Romani Pontifi-

Pontificis prenotatione tertia. Sicut igitur certum est potestatem docendi infallibiliter propriam esse Romani Pontificis, illamque indicari nomine Cathedræ S. Petri ità pariter suam dignitatem solius Cathedre expressione in numismate doctissimus Pontifex adumbravit.

Addidit insuper sub Columbe specie Spiritum Sanctum illi imminentem, ut nostræ fidei documentũ confirmaret; scilicet, Pontificem Romanum infallibilem esse Regulam, vivam, & unicam in rebus fidei, & sanctorum morum, cum ex Cathedra utilia dogmata pronunciat Spritu Sancto afflante, qui summa veritas est. Insuper Pontificem Summum accipere potestatem non ab Ecclesia, seu ab Ecclesia derivari potestatem in Pontificem, ut temere falsoque docuit supracitatus Dupin, sed immediate illam accipere à Deo; nam si ab Ecclesia collectim sumpta, seu à communitate Christianorum accipit Romanus Pontifex potestatem, & authoritatem suam profectò Eccelesie collectim sumpte convenit instituere Sum. Pontificem, & illi dare totam authoritatem, quam habet; at hoc est plane falsum, quia si illi conveniret, vel conveniret authoritate propria, vel authoritate superioris hoc illi cõmittentis; neutro autem modo illi convenit, non quidẽ authoritate propria, quia potestas Pontificia includit aliquid excedens omnem potestatẽ humanam, nempè potestatẽ solvendi, & ligandi in foro interno, ità ut quod ipse solvit in terra sit solutum in celo, & quod ligaverit in terra sit ligatum in Celo, & includit etiam potestatem liberandi à pœna debita in foro Dei per concessionem indulgentiarum; nequit autem Ecclesia authoritate propria instituere id quod excedit omnem potestatem humanam. Neque item authoritate sibi commissa à superiore nempẽ à Christo, sicuti enim Christus fundans Ecclesiam non dedit communitati Apostolorum authoritatem eligendi caput, quod vice ipsius Christi post ejus Ascensionem in Cælum gubernaret Ecclesiam, sed ipse Chistus immediate elegit Petrum in sui Vicarium, qui loco ipsius visibiliter gubernaret Ecclesiam, ità non dat nunc communitati Christianorum anthoritatem instituendi Pontificem, qui succedat Petro in regimine Ecclesie, sed ipse per se immediate concedit Romano Pontifici munus, & Potestatem Vicarii Sui, sicut ipse immediate concedit Sacerdoti potestatem Corpus suum consecrandi, & ratio à priori allata à supracitato Authore, est quia illam potestatem instituere propria authoritate, qua aliquis utitur, ut Vicarius alicujus Domini ad nullum alium pertinet nisi ad illum Dominum, cujus ille qui tali potestate utitur, est Vicarius, sed potestas Papæ, de qua loquimur, est potestas, qua ipse Papa utitur ut Vicarius Christi in terris, ergo istam potestatem instituere ad nullum alium pertinet nisi ad Christum.

Præterea hoc ipsum probatur ex plenitudine potestatis convenientis Romani Pontifici, quia si Papa acciperet potestatem suam Papalem, ab Ecclesia, Ecclesia posset potestatem illius limitare; ad illum enim pertinet limitate facultatem, qui facultatem concedit; quare si Ecclesia communicaret authoritatem, & potestatem jurisdictionis Romano Pontifici, posset etiam illam limitare, unde ad placandam discordiam inter Romanum Episcopum, & Episcopum Costantinopolitanum posset unum constituere Papam Occidentis, & alterum Orientis, similiter si totus Orbis Christi fidem esset amplexus, posset disponere Ecclesia, quod unus præficeretur uni emisphærio, alter alteri. Asserere autem, quod Ecclesia hoc possit facere esset manifesta hæresis, ut inquit Pater Salmeron tom. 4. comment. in Evang. 3. part. tract. 5. „ Quia Christus (inquit) unum caput, & singularem „ tantùm monarchiam instituit, & sicut est Salvator omnium hominum, sive „ illi ad Orientem Solem spectent, sive ad Occidentem, sive in nostro „ hemisphęrio vivant, sivè in alio nobis opposito, ità Vicarius ejus, qui eum „ refert in terra, unus tantùm esse debet, quia repugnat esse duos, & utrumque „ summum, cum Christus unum tantùm summum constituerit, quare ut citato eo tractatu probat late P. Salmeron, non Juris humani, sed Juris Divini est, ut unus sit Ecclesiæ supremus Pastor, & Rector, quod sapienter probat etiam Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 12.

Intelligis igitur lector ex his quę breviter indicavi, quàm profundæ sapientiæ documenta subministraverit egregiè cordatus Pontifex Alexander VIII. *vir* (quod Marcellinus de D. Ambrosio dixit) *virtutum omnium, & Antiquorum plane mo-*

ne morum, in quo gemina literaturæ nobilitatis venustissime inoculat, in numismate ejus Consilio pro erogando Presbyterio cusso, quod inter cætera loco doctissimi voluminis censendum est.

Apud Raynaud. de coron. Pontif. subnot. 2. ver. 7. 1. mihi 369.

Similem modum Cathedram Pontificiam cum Spiritu Sancto in specie Columbę illi imminente apud Veteres adhibitum lapis antiquus contestabatur, quem anno 1631. à se repertum narrat, cum tali sculptura Franciscus Maria Torrigius, eo in loco ubi Constantinus Magnus Imperator sepulchrum excitavit D. Elenæ propè Basilicam SS. Petri, & Marcellini, ut narrat Anastasius in vita Sylvestri, & Adriani Primi Pontificum tertio ab Urbe lapide in via Labicana, de qua Basilica erudite scripsit Illustrissimus Pręsul Joannes Ciampinus de Sacr. Ædificiis cap. 8. apparent adhuc ejus vestigia in ruderibus, quæ vulgus appellat *Torre Pignattara*; nobile monumentum talem lapidem fuisse ait Torrigius, Veritatis, quam innuimus apud antiquos Christifideles certissimæ etiam à Regio Propheta prænunciatę cum dixit in Psal. quadragesimo sexto.

De Cryptis Vatic. pag. 272.

Deus sedet super Sedem Sanctam suam sedet enim ille super Sedem Sanctam suam in hac Ecclesia per Ecclesiastica Sacramenta (juxta explicationem doctissimi Archiepiscopi Jacobi de Valentia) *& in cælesti per gloriam*.

Psal. 46.

Hujusmodi Antiquorum Christianorum axioma clarius innotescit ex Veteri gemma, quę servabatur penès Ludovicum Compagnium, virum antiquarum rerum studiosissimum. Ejus eruditam axplicationem vulgavit Hieronymus Aleander Junior referens in duobus locis naviculę in gemma expressę insculptam esse Columbam, nempe in summo naviculæ malo, in quo navigationis explorator poni solet, & aliam in puppi naviculæ insidentem, ut scilicet indicaretur, Spiritum Sanctum, cujus Columba Symbolum est, Ecclesiam non solum regere, sed tanquam speculatorem pro ipsa excubare, proinde altera Columba proram, altera puppim aspicit, ut vigilem Dei oculum demonstraret ipsi Ecclesiæ undique prospicientem, quemadmodum res hominum summus ipse universitatis Opifex, & moderator non regit modò, & gubernat, sed, ut ait Prudentius.

Speculator adstat desuper
Qui nos diebus omnibus
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.



SPIRITUS CONSILII.

SPiritum Sanctum sub Columbę specie juxta Antiquorum morem exprimens in numismate Alexander, illum SPIRITUM CONSILII appellat cum Isaja dicente, *& requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Consilii, & Fortitudinis*. Sapientissimus Alexander, virtutem prudentiæ Pontifici Summo esse pernecessariam, ut naviculę Petri clauum optime regat, Divini Spiritus Consilia efflagitabat, nam Consilii donum, est penè idem, quod virtus prudentię Christianę (puta ejus pars, & actus prudentię, ut docet Noster Cornelius) quæ unà cum fide infunditur omnibus Christifidelibus in Baptismo, qua omnes actiones honestè dirigimus. Hinc ethnici etiam consilio Deum Consum præfecerunt, sed stultè. Plutarcus in Romulo dicit repertam ab eo *aram conditam sub terra in circo, eique nomen indidisse Conso, à consilio, aramque ipsam reliquis latere temporibus, in equestribus verò certaminibus aperiri, unde de ea Tertullianus lib. de spectaculis ara* (inquit) *Conso illi in circo defossa est ad primas metas sub terra, cum inscriptione hujusmodi, Consus consilio, Mars Duello, Lares Comitio potentes.*

Cap. 11. 2.

Opponitur etiam hoc doctissimi Pontificis numisma contra Amesium Bellarmini audacem Antagonistam, qui inter axiomata, quę ingerit asserit, Ecclesiam nullam rem novam authoritate sua posse instituere; innuit enim Spiritus Sancti, atque Pontificis expressione qui caput est Ecclesiæ, in uno eodemque numismate facta

facta sanam doctrinam, videlicet, verum quidem esse in bono sensu Ecclesiam nullam rem novam instituere posse authoritate sua sola, quia Ecclesia, nec sola loquitur, nec sola decernit quidquid jubet novi, dicente Christo *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris Vestri qui loquitur in vobis*, undè in consilio primo Hyerosolimitano, Ecclesia in Spiritu Sancto congregata, cum novum decretum formaret de Legalibus amplius non servandis, in ipso decreti limine Spiritus Sancti authoritatem, quo regebatur prępofuit. *Placuit*, seu visum est *Spiritui Sancto, & nobis*. Authenticum sane decretum, cujus inspirator est Spiritus Sanctus Doctor omnis veritatis ad id promissus à Christo, Rectorque eorum, quos ipse met posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, & multo magis dicendum de Summo Pontifice videlicet Romano, nec de solis Aopstolis accipiendum, qui in perpetuum non essent in carne mansuri, ut notat S. Augustinus in Psal. 47. nam Spiritus Sancti afflatum Dominus Ecclesiæ suę promisit æternum, *ut maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis, & docebit vos omnem veritatem*. Quamobrem Pontificem pro Tribunali sedentem novas sancire leges à Spiritu Consilii edoctum, qui Spiritus veritatis est, legitime posse, contra Hæreticorum dogmata declarat propositum doctissimi Alexandri numisma.

✤ VI ✤

SVAVITATE.

VAs in quo thus reponitur inter mynisteria sacra, illud thuribulum dicimus cum Alcino. *Poem. 3.*

Hic quoque Thuribulum capitellis undique cinctum
Pendet de summo fumosa foramina pandens
De quibus ambrosia spirabunt Thura Sabæa
Quando Sacerdotes missas offerre jubentur.

Joannes de Janua eam vocem Thuribulum affirmat à *Thus, & Bolus* componi, vel quod ibi Thus crematur, vel quod thuris *bolos* ideſt *morsellos* cremat. Ita nugari recentioris ætatis Grammaticos ait D. du Cange in suo Glossario: quod verum est enarremus ex D. Thoma, scilicet thurificatione, seù incensi oblatione haud nos uti quasi cæremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesię statuto; sanè thurificatio ab ipsis Ecclesię primordiis instituta fuit, & in hunc usque diem usu recepta, & S. Jacobus in principio liturgię orationem edidit, dum incenditur thus, & plura legimus in Pontificali de benedictione thuris, ea autem thurificatio docente D. Thoma 3. par. quæst. 83. art. 5. fit primum ad reverentiam loci, & Divini officii, ut si fuerit in loco odoris fœditas, thure incenso depellatur, & qui adsunt odoribus lætis mulceantur, sicuti apud Antiquos Ara seù arcula ante mortuum poni solebat, in qua odores, vel incendebantur, vel servabantur teste Festo, ut scilicet (ait Kircmannus de funere Rom.) *Fætor à corpore mortuo arceretur*. Acerram illam vocabant, sic Ovidius 4. Fast. *3. Par. quæst 83. art. 5.* *Pag. 94.*

Cumque meri patera thuris acerra fuit.

Et in metam. 152. *Dantque Sacerdoti custodem thuris acerram.*

Alias causas addit etiam idem S. Doctor Angelicus, & alii apud Joannem Stephanum Durante de Ritibus libro 1. cap. 9. non enim nobis licet in pręsentiarum omnia percurrere, sed tantùm causam investigare, ob quam sapientissimus Pontifex in percusso numismate voluerit thuribulum exculpere; eam haud unicam fuisse mihi suadet ipsius Pontificis sapientia, & primò quidem potuit illud insinuare, quod Philo Episcopus docuit explicans verba Canticorum, ex aromatibus „ myrrhæ, & thuris, moneri omnes per thurificationem, ut ad cæ„ lestia omni desiderio ascendant, depulsis à cordis cubiculo importunis cogita„ tionibus, rejectisque curis omnibus, & studio rerum caducarum, cor suum „ ignitum veluti thuribulum coram Deo odoratissimum facientes in quo quidem „ corde, cum per amorem virtutes colligunt, quasi carbones in thuribulum „ congerunt, quibus se ipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat, dum

„ dum ferventes, & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum „ ex thuribulo exhalat, ut coram sponso suavitate redoleat, & proximos quosque „ ad ejus amorem per bona exempla convocare non desinat; hactenus cum Philone. Aliam causam sugerit S. Joannes Chrisostomus in secundam epist. ad Chorinth. super illud Christi bonus odor &c. Dicens. *Tamquam thuribulum Regium sumus, Cæleste unguentum ac spiritualem fragrantiam, quò quò gentium pergamus redolentes.* Quod si singulis Ecclesiæ Pastoribus id convenire S. Chrisostomus arbitrabatur, multo quidem magis Summum Ecclesiæ Pontificem decere quis neget. *Ipse enim Dominus Jesus factus est* (ait S. Augustinus) *Thuribulum, ex quo Deus odorem suavitatis accepit, & propitius factus est mundo, quia obtulit se ipsum in odorem suavitatis, & idem* S. Augst. Serm. 98. de temp. *vide quomodo verus Pontifex Jesus Christus assumpto thuribulo carnis humanæ, & superposito igne altaris, adiecto etiam incenso, qui est Spiritus immaculatus &c.* & Amalarius Fortunatus, *thuribulum Corpus Christi significat, in quo est ignis, scilicet Spiritus Sanctus, ex quo bonus odor procedit, quem unusquisque electorum ad se vult rapere.*

Hom. 6 in Apoc.

Lib. 3. c. 18

Binas hinc in thure incenso proprietates agnosco, siquidem ejus odore suaviter omnes allici, ipsumque odorem ab omnibus facilè intelligi, & libentissimè hauriri.

Non sic loquela, quam surdi non agnoscunt, neque eadem ubique locorum percipitur, atque ex his binas Magni Principis virtutes significari autumo, quæ in Alexandro VIII. maxime enituerunt; Princeps enim cum se amabilem reddit, amorem omnium exigit sibique suaviter vindicat, dicente Ovidio *ut ameris amabilis esto*, nec aliquid in rerum universitate detegi potest, quod omnium animis, distinctisque inter se rationibus sit communior quam amor, quem maxime morum suavitas, comitas, & beneficentia conciliant. Quamobrem, si tantum Pontificem alloqui per Apostrophem liceat, verba Plinii usurpabo Trajani Imperatoris laudes celebrantis. *Vidisti oppletas undique vias, augustumque tramitem relictum tibi*, (cum scilicet ad Lateranensem Eccesiam triumphali pompa delatus fuisti *alacrem hinc atque inde Populum ubique per gaudium paremque clamorem, tam æqualis ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta est, quàm omnibus venisti. Nec quicquam in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse tantumdem posses, & velles. Indè alii se satis vixisse te viso, te recepto, alii nunc magis esse vivendum prædicabant.*

In Paneg. cap. 22.

Plin. in præfata hist. ad Tit.

Idem ibide

Nihil autem in Alexandro VIII. fortuna mutavit, nihilque inter privatum, & Principem intercrat, nisi quòd Pontifex à pluribus amabatur, nam & plures amabat, quod de eodem Trajano Plinius enarrat; hinc Populorum subiectorum obedientia, Principum, Regumque veneratio; & quis terror valuisset efficere, quod reverentia sui effecit. *Infidelis recti Magister est metus* (ait Plinius,) *Fidelis, ac tenacissimus probitatis custos est amor, legumque suavitas, quas amantissimus, & mitissimus Princeps promulgat.* Ex uno disce omnes; Artificibus, & Civibus Romanis interdixit insignia Principum, ipsiusque met Pontificis exponere supra liminaria Domorum, ne sub umbrà picti Principis libido morum grassaretur, ac delicta exultarent impunita. Quid suavius hac lege ad coercendos improborum mores, hinc illi criminibus omissis pœnarum vitarunt acerbitatem.

Palat. 206.

Omittenda etiam non est alia ratio, ob quam thuribulum vapores odoratos emittens insculpere huic numismati jure potuit Alexander, in utraque litteraturà Sapientissimus Pontifex.

Flavius Joseph Hebreus de Bello Judaico lib. 6. cap. 6. loquens de Templo Salamonis ait „ Habebat candelabrum, & mensam, & thuribulum, atque de „ thuribulo addit; thuribulum autem per tresdecim odores, quibus replebatur ex „ mari, & inhospito, & inhabitabili designabat, omnia Dei esse Deoque servire; cur autem ambigendum erit tantum Pontificem in pari symbolo se ipsum ac omnes sibi subiectos excitasse, ut sese suaque omnia Deo litarent, sincerisque amoris igne holocausti loco in odorem suavitatis offerrent? Memorant acta Pontificum præsertim ab Anastasio conscripta, à pluribus aurea thuribula in hujusmodi obsequii signum, ut mihi suadeo, in confessione S. Petri collocata fuisse, quę referente Torrigio *Thuribula Apostolica* dicebantur, in quibus accensæ flammulæ ardentem amorem Sanctorum Pontificum explicabant.

De Cryptis Votic. pag. 469.

MVNIT

✠ VII ✠

MVNIT ET VNIT

ZOnam signis Cælestibus exornatam, quam sol annua periodo percurrit, delineavit in numismate Author ignotus, cui pro lemmate hæc verba apposuit, MVNIT ET VNIT, ideſt munit cingendo globum, quem expressit, & unit copulando ejus medietatem, quæ Cæleste Emispherium Syderibus plenum repræsentat cum parte altera, semiglobum terraqueum indicante. Quid tali symbolo indicare voluerit, tui ingenii perspicacitate assequi fortasse poteris eruditissime Lector. *Res enim ardua* (inquit Plinius) *vetustis novitatem dare, novis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, & dubiis fidem*, quod licuit usurpare in plurium numismatum elucubratione. Dicam tamen, quod ratio, & conjectura suggerit. Scilicet eo numismate proludi posse ad gentilitia stemmata inclytę Familiæ Ottobonianæ; Apparet enim in illis Zona transversim ducta, sub qua unitur campus colore viridi, & cianeo bifariam dissectus; itaque potuit cjaneus color cælum indicare, viridis autem tellurem. An ulterior in hac expressione tanquam ænigmatico symbolo præclusa significatio fuerit ignoro. Non tamen omittam ejusmodi inscriptionem optimè enunciari posse de Summo Pontifice Alexandro VIII. in gentilitio stemmate adumbrato. Sicut enim Tellurem Cælumque MVNIT ET VNIT hæc Zona, ita Terram cum Cælo Alexander univit, cum Pontificia sibi à Deo concessa potestate B. Laurentium Justinianum inter Sanctos adscripsit, cujus rei enarrationem aliud numisma proponet.

In epist. ad Titum præfat. not. hist.

✠ VIII. IX ✠

EXEMPLVM DEDI VOBIS.

DUplici numismate ablutio pedum exprimitur, quam Salvator antequam sacram Eucharistiam institueret, suis Discipulis fecit, ut eos ad sui imitationem excitaret. Sub aliis Pontificibus cusa ejusmodi numismata vidimus, eademque, diximus feria quinta majoris hebdomadæ distributa tredecim Pauperibus, quorum pedes Summus Pontifex singulis annis solet abluere, solemni Ritu, de quo cum satis alibi dictum sit, neque peculiare aliquid occurrat, quod ad historiam referatur, ad alia progredimur.

✠ X ✠

NOSTRA FELICITAS.

IN typo hilaris fæminæ, solio insidentis, felicitas hominis repræsentatur, caducæum dextera manu tenens, cornu Amaltheę sinistra, in hoc ubertatem in illo pacem, & tranquillitatem significat. Fabulosa Deorum historia, *& hæc etiam Dea* inquit Sanctus Augustinus, *ædem accepit aram meruit, sacra, & congrua persoluta sunt*. Tali pacto illam ab Antiquis depictam refert Pater Franciscus Pomey in Pantheo Mythico, probarique numismate Juliæ Mammeæ Materteræ Heliogabali Imperatoris, affirmat Cæsar Ripa in sua Iconologia, cum Epigraphe FELICITAS PVBLICA.

c.4. de Civit. c.18. pag. mihi 343.

pag. mihi 204.

Ea felicitate Populum Romanum frui sub Alexandro VIII. asservit, qui numisma propositum in ejus obsequium promulgari curavit, id satis confirmat numisma à nobis sub numero II. propositum, quod titulum profert OPTIMO ORBIS PASTORI. Res frumentaria restituta magis confirmat.

Quod si Ægyptus alendis augendisque seminibus, ut cum Plinio loquar, ità glo-

De Trajan. cap. 30.

gloriata est, ut nihil imbribus Cęloque deberet, siquidem proprio semper amne perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quàm quas ipsa devexerat, tantis segetibus induebatur, ut cum feracissimis terris, quasi numquam cessura, certaret. Sic sub Pontifice Alexandro Romanus Populus fertiles annos gratasque terras expertus, agnovit sibi haud esse necessarium Ægyptum ob annonam, quæ providi Pontificis cura uberrimè redundavit, & se Ægypto posse, at se Ægyptum carere non posse.

Actum penè erat de fœcundissimis arvis, pudebat sterilitatis insolitæ, cum pariter ab Alexandro ejus necessitatibus pudorique subuentum est. Quamobrem, cum tanta esset in publicam fælicitatem intenta bonitas, ac juvandi propensio, omnibus triste aliquid passis ad remedium salutemque sufficeret, ut ille sciret.

Perenne ejus bonitatis monumentum Roma fruitur in aqua à Paulo V. olim è lacu Brachianensi adducta, cujus fonti inscriptionem suprà laudatus Abbas Raphael Fabrettus eleganter adiecit his verbis.

ALEXANDER VIII. OTTOBONVS VENETVS P. M.
PAVLI V. PROVIDENTISSIMI PONTIFICIS
BENEFICIVM TVTATVS, REPVRGATO SPECV,
NOVISQVE FONTIBVS INDVCTIS RIVOS SVIS
QVINQVE LABRIS OLIM ANGVSTE CONTENTOS,
VNICO EOQVE PERAMPLO LACV EXCITATO RECEPIT
AREAM ADVERSVS LABEM MONTIS SVBSTRVXIT,
ET LAPIDEO MARGINE TERMINAVIT
ORNAVITQVE
ANNO SALVTIS M DC LXXXX.
PONTIFICATVS SVI SECVNDO.

An non in partes publicæ fælicitatis revocandæ erunt Alexandri dotes, ac gesta, quæ Elogium in Castro doloris appictum referens publicæ fælicitatis parentem à se amissum deplorare, tali pacto Populo Romano suasit.

I.

MARCI PATRIS, ET AVORVM VIRTVTEM
IN GRAVISSIMIS EVROPÆ REBVS TOTIES EXERCITAM
PRINCIPVM CALCVLO, CIVITATVM DECRETIS PROBATAM
SVPERGRESSVS EST ALEXANDER
SECVRITATIS PVBLICÆ
VOTO, ET MINISTERIO SVSCEPTO
VRBEM, ET PROVINCIAS
SVIS OLIM CONSILIIS A LVIS EXCIDIO
PIIS MODO PRECIBVS, OPE,
ET IMPERIO A PERICVLO VINDICATAS
DILIGENTIA SOLERTISSIMA CVSTODIVIT
OCTVAGENARIO MAIOR
EMERITIS TOT ANNORVM,
ET LABORVM STIPENDIIS
NVLLVM DIEM,
NE SVPREMVM QVIDEM REIPVBLICÆ NON IMPENDIT
RATVS NON MAGIS DECERE CÆSAREM STANTEM
QVAM ECCLESIÆ BONO SERVIENTEM
PONTIFICEM MORI.

2.

IN SVBSIDIVM BELLI SACRI
ARMIS, AVRO, LEGIONE, TRIREMIBVS TRANSMISSIS
TRHACES EPIDAVRO ELYMA, AVLONE
SVA OPE SVBMOTOS VIDIT
LITERARVM SACRARVM COPIAS ADAVXIT
BIS MILLE ANTIQVIS CODICIBVS SVA PECVNIA COEMPTIS
ET EX REGIA CHRISTINÆ
IN VATICANAM BIBLIOTHECAM ILLATIS
APOSTOLICAM DOCTRINAM, ET IVRA
TOTO VITÆ CVRSV, FIDELITER ASSERTA
LONGANIMITATE, STVDIO, LABORE
CONSTANTIA DEMVM DEFENDIT SVA
PACEM, ET VERITATEM ADDVCERE
CONATVS AD OSCVLA
CONTENDIT IN CÆLVM VT INDE PROSPICERET.

3.

AD ECCLESIÆ TVTELAM A DEO VOCATVS ALEXANDER
EXPERIMENTO ANNORVM SEXAGINTA
QVOS ORBI IMPENDERAT ANTEQVAM PRÆESSET
MATVRVS VIDEBATVR IMPERIO
VRBINI MODERATOR, ROMANÆ ROTÆ DVODECIMVIR
DOCTISSIMVS, INTEGERRIMVS,
DECISIONIBVS EDITIS CLARVS
BRIXIENSI EPISCOPATV SVMMA
CVM LAVDE PERFVNCTVS
QVINQVE MAXIMIS PONTIFICIBVS
AD CONSILIA ADHIBITVS
IN OMNIA FERE PATRVM COLLEGIA COOPTATVS
PONTIFICII MVNERIS TYROCINIVM
CVMVLATE COMPLEVERAT, ALIORVM VOTO
SED NON DVM SVO
SIBI ENIM MINIME FIDENS
VT CÆLESTI PATROCINIO SE PENITVS ADDICERET
NOVOS ORBI PATRONOS RITE INVOCAVIT

4.

ADITV FACILIS, FAVORE PROMPTVS COMES ALLOQVIO
VTILIA DARE LIBERALITER NOVERAT
NOXIA NEGARE BENEVOLE
STIPENDIA E PVBLICO IVDICIBVS REDDIDIT
NE CRIMINVM PRETIA A POPVLIS QVÆRERENT
VT VRBIS TOTIVS PERVADENDÆ SECVRITAS
TANTA IVSTITIÆ SIT, QVANTA EST PRINCIPI
DEBITAM LIBERTATEM FELICITER IMPETRAVIT
REM FRVMENTARIAM ITA RESTITVIT
VT INGENTIA, QVÆ FVERANT ÆRARII COMMODA
POPVLI FIERENT COMPENDIA
DEI SIMILLIMVM EXIBENS PATREM
DVM SALVTEM PRÆSTAT, ET COPIAM.

XI


ADDITO IN VATICANO SAPIENTIAE PABVLO EX REGIIS CHRISTINAE THESAVRIS.

Legimus in superiori inscriptione Alexandrum VIII. Literarum Sacrarum copias adauxisse, bis mille antiquis Codicibus sua pecunia coemptis, & ex Regia Christinæ in Vaticanam Bibliothecam illatis. Hujus publici beneficii perenne monimentum fecit præsenti numismate Jo: Andræas Lorenzanus, ut gratum obsequium erga tantum Pontificem, ac inclytam Reginam, à quibus beneficiis cumulatus fuerat, palam profiteretur. Artifex ille est peritissimus, & numismatum amantissimus, præcipuè Pontificum, & Virorum Insignium, ac inter præclara sui operis, & laboris monimenta, cum sit numismatum expressor optimus, veras Pontificum Romanorum effigies nuper arte sua fusoria repræsentavit, palmum magnitudine æquantes, in quibus cæterisque fundendis operibus, adeò præclarus est, vt illos veteres Romanos Artifices, vel æquet, vel superet.

Ut igitur clarior fiat numismatis elucubratio, revocandum huc est ex numismate Sixti V. peramplam esse in Palatio Vaticano Bibliothecam, quam toto Terrarum Orbe celeberrimam fecit Sixtus IV. adductis ex tota Europa voluminibus, & proventibus additis, undè emerentur libri, & Custodes, Scriptoresque Græci, Latini, Hebraici, & Siriaci alerentur.

Extat Catalogus Bibliothecariorum Apostolicæ Sedis apud Eminentissimum Cæsarem Rasponum in libro 3. de Basilica Lateranensi cap. 16. ubi pag. 258. ait Panvinium narrare Joannem Papam XXII. fuisse Augustinianæ familiæ adscriptum, & amore erga eamdem munera custodiendi Bibliothecam Palatinam Religiosis Viris ejusdem Familiæ concessisse, & illi primum adiectum Joannem Lemoviciensem Gallum anno 1316. Post annum 1463. mortuo Joanne Typhernate promoto ad Infulas Masensis Ecclesiæ, Sixtus IV. omnia volumina transtulit in Vaticanum, ac illis Bibliothecam instruxit. Opus sanè dignum Pontifice, ac Religionis Magistro Successores permovit, ut pro se quisque ejus dignitatem augeret. Sixtus deinde V. iterum illam perfecit, nam ubi ædium Pontificiarum longissimum a trium collis Uaticani modicè declivis, duo veluti cornua committit, novum ipse ædificium, quo atrium divideret, extruxit. Hic præter Bibliothecæ immensum conclave, cujus fornicem lateritiæ pilæ, è medio surgentes sustinent, alia subeunt minora libris item referta; tum Librariis tum Custodibus, ipsique Bibliothecæ Præfecto è Purpuratorum Cœtu designato idonea cubicula paravit, ut eo secedere pro arbitratu posset, interiorem Ædificii partem coloribus pictura convestit; ibi armaria propè Parietes libros dispertitos plures recondunt, Codices ibi sunt membranei manuscripti antiquissimi, adduntur & typis cusi; Adiecit Paulus V. Tabularium, in quo Pontificia diplomata continentur; Urbanus VIII. Palatini ad Rhenum ditione pulsi celebrem Bibliothecam Heidelberga Germania Urbe translatam, magno sumptu ornatuque composuit *lætantibus codicibus* (vtar verbis P. Donati) *quòd mutatis fortunato velut exilio sedibus, è Calviniano impietatis Domicilio in Vaticanum nempè Asilum fidei confugerunt*. Ob id extat inscriptio,

De Rom. lib.4.cap.9.



VRBA-

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
COMPLVRA PALATINÆ BIBLIOTHECÆ
VOLVMINA NOBILES HIDELBERGICÆ VICTORIÆ MANVBIAS,
GREGORIO XV.
ET APOSTOLICÆ SEDIS
A MAXIMILIANO BAVARIÆ DVCE DONATA,
ROMAM ADVEXIT,
OPPORTVNIS ARMARIIS IN VATICANO CONCLVSIT,
LOCVM RVDEM ANTEA,
ATQVE INFORMEM IN HANC SPECIEM REDEGIT,
ET PERSPICVO SPECVLIARIVM NITORE
EXORNAVIT
ANNO DOM. M. DC. XXIV.
PONT. PRIMO.

Post Urbanum Alexander VII, multa Volumina addidit, Alexander demum VIII. cui datum fuit *Cor sapiens*, *& intelligens* Ecclesiastici parens documento, *Assumite disciplinam, & copiosum aurum possidete in ea*, nil majus è Christinæ SuecorumReginæThesauris accipere posse pro certo habens, quo Vaticanæ Pontificum Ædes clarius splendescerent imposterum, sapientum volumina, ab eruditissima Regina longo annorum spatio solertique studio undique comparata, tantùm selegit, & Vaticanæ Bibliothecæ adduxit, non minus consulens publicæ studiosorum utilitati, quam propriæ sapientiæ clarissima præbens documenta.

Illa ultimum diem clauserat Romæ anno 1689. ut constat ex libro mortuorum, & sepultorum in Paræcia Vaticana pag. 659. his verbis.

„ Anno 1689. die 19. Aprilis Pontific. Innocentii XI. Christina Alexandra „ moritur supra ann: 62. die 23. Aprilis, cadaver vestibus albis è serico raso auro „ frigiatis indutum cum sandaliis, & chirotecis ex eodem raso serico, & Colore, „ necnon regalibus insignibus ornatum, clamyde, Sceptro, & corona ex auro. „ allatum est in Ecclesiam S. Mariæ in Vallicella, officio expleto hora fere 22, „ deductum est ad Basilicam S. Petri.

„ Efferebatur Cadaver in Feretro magna culcitra ex auro textili cooperto, „ cum litteris inferius significantibus CHRISTINA ALEXANDRA REGINA „ SVECIÆ, scutiferi dictę Reginæ quatuor tenentęs Vexilla, in quibus insignia „ Reginæ, reliqui equites scutiferi sustentabant lacinias culcitræ, alii vestibus pullatis induti porrigebant manus Feretro.

„ Inscriptio intra tres capsas cupressinam, plumbeam, & ex abiete erat „ equens.

D. O. M.

„ Christina Alexandra Gothorum, Suecorum, Vandalorumque Regina, quæ „ hæresi abjurata terrenoque Regno ob Cæleste abdicato, moritur Romæ anno „ reparatę Salutis 1689. Die 19. Aprilis, orta anno 1626. die 18. Decembris, „ & dię 2. Maii celebratæ sunt exequiæ; castrum doloris supra quod magna culcitra ex auro, cum litteris aureis significantibus Christina Alexandra Regina „ Sueciæ, culcitræ impositum pulvinar cum Corona, & Sceptro.

„ Ego Josephus Balduinus Romanus Basilicæ Sacrista ad curam Archivii „ Deputatus publicum instrumetum confeci &c.

Tanti beneficii ab Alexandro collati monumentum extat in ipsa Vaticana Bibliotheca sequensinscriptio.

ALEXAN-

ALEXANDER VIII. OTTOBONVS VENETVS PONT. MAX.
MILLE NONGENTOS CONSCRIPTOS CODICES,
EX IIS QVOS CHRISTINA ALEXANDRA SVECORVM REGINA,
VNDIQVE CONQVISIVERAT SELECTOS,
PAVCIS QVOQVE E SVĀ DOMESTICA BIBLIOTHECA
ADIECTIS VATICANÆ ATTRIBVIT,
ET ALEXANDRINÆ NVNCVPATIONE PROPRIAQ; AVLA DISTINXIT
ANNO SAL. M. DC. LXXXX. PONT. I.

Addidit ergo Vaticanæ Bibliothecę SAPIENTIAE PABVLVM, ut dicit inscriptio numismatis. Pabulum inquam supra omnes lautissimi convivii epulas sapidissimum, & quidem nemo D. Damasceno non adhærebit, qui epistola 124. ad Hieronymum ait *Sacrorum voluminum tractationem nihil puto in hac luce jucundius, quo animæ pabulo, omnia mella superentur*, Beda autem omnino eleganter *Sacros Codices* esse affirmat mensam illam de lignis sethim, quam Deus fieri jussit inExodo 25. sicque interpretatur, *mensa de lignis sethim facta scriptura est sacra de Sanctorum Patrum verbis actibusque compacta, quæ dum nobis, quæ sint æternæ præmia Beatitudinis, & quomodo ad hæc perveniatur ostendit, cibum profectò nobis salutis ac vitæ suggerit, hæc habet longitudinem cum perservantia, nobis captæ Religionis, latitudinem cum amplitudine charitatis, altitudinem cum spe remunerationis perpetuæ insinuat*,, Hęc mensa inauratur, quia Scriptura Sacra Sapientiæ cælestis sensu clara ,, refulget, & ipsi, qui eam condidere Prophetę præclari vita, ac sermone ,, fuerunt, labrum autem aureum fit mensæ per circuitum, quia Doctrina Sacri ,, eloquii per mundissima nobis Prædicatorum fidelium ora ministratur, quatuor ,, autem pedes habet mensa, quia quadriformi ratione omnis divinorum elo- ,, quiorum series distinguitur. In libris namque omnibus Sanctis intueri op- ,, portet, quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quę futura prænun- ,, tientur, quæ agenda præcipiantur, vel moneantur, item habet quatuor pedes, ,, quia verba Cælestis Oraculi, vel historico intellectu, vel allegorico, vel Tropo- ,, logico, idest morali vel anagogico solent accipi. Hactenus Origines pulchrè de sacris libris.

Habent etiam nonnihil delectationis tum fercula, tum pocula, quæ ministrantur à cæteris variarum facultatum, seclusis tamen malis, & putridis voluminibus; quamobrem D. Bernardus in cant. serm. 85. *Forte ait sapientia à sapore denominatur, quòd virtuti accedens quoddam veluti condimentum sapida reddat, quæ per se insulsa quodammodo, & aspera sentiebantur*. Igitur codices eruditi sunt mensarum apparatus opipari, & in Bibliothecis quot sunt libri tot habentur parata fercula, nisi potius libri sint splendidę mensę, & lautissima convivia, quę avidissimis ingeniis saturandis sufficiunt, quantumlibet expetere potest inexhausta sciendi aviditas. Aliqua tamen sunt primaria fercula, quæ Deus veluti sua ipsa manu paravit, reliqua verò, quę vel à recta ratione ac naturæ lumine condita sunt, habentque locum inter bellaria, quæ in lauta humanæ mentis mensa deesse non debent: celebris est Æthiopica illa mensa Soli dicata, quam Pomponius Mela lib. 3. de situ Orbis refert, locum scilicet apud Æthiopes epulis semper refertum, & quia cuilibet vesci pro libito licet, affirmant nasci subindè divinitus quæ semper successive apponuntur: ad eam inspiciendam Cambyses Legatos in Æthyopiam misit. Hæc profectò qualiscumque illa fuerit elegantissimum symbolum Bibliothecarum est, nam in ipsis Apollo Musarum Princeps, seu Pallas lautissimum convivium mentibus instituit, quod (ut cum Platone loquar) *Reficit animum pulchris disputationibus, & comensationibus*. Confirmat hanc sententiam Sanctus Basilius in Ps. 59. qui libros sacros appellat, *dona divinitus missa, & cibum animorum*. Confirmat Symmachus eos vocans quotidiana pabula ingenii, confirmat Amonianus eruditionem, & Philosophiam vocans *Pabula*, multique alii; quod si varietate epularum iucundius redditur convivium, quid erit jncundius, quam circumfusum libris delibare quidquid est in Grammaticis accuratum, in Epicis amœnum in Lyricis excultum, avitum in Epigrammate, ingeniosum in Fa-

9. Rep.

Lib. 16. in Aulul.

in Fabula, in Panegyri elegans, in Historia varium, *in Eloquentia sublime*, in Philosophia reconditum, in Juris scientia utile, in Mathematicis admirabile, quid jucundius, quàm gustare à D. Ambrosio Ambrosiam, à S. Hieronymo succum, medullam à Tertulliano, ab Eucherio mel, suavitatem ab Augustino, à D. Chrysostomo, Basilio, aliisque Ecclesiæ Scriptoribus delicias? Habemus insuper (ait Augustinus) *Angelorum ferculum, & Archangelorum pulmentum*, unde possimus epulari. *Sermo. 38. ad fratr. in eremo.*

Hæc omnia inter thesauros inclitæ Suecorum Reginæ numerabantur, imò opulentissimi thesauri nomen ea sola sibi vendicabant. Probatur ex Augustino, qui in illud proverbiorum 21. „ Thesaurus desiderabilis in tabernaculo sapientis „ ait sunt in Ecclesia Dei lapides pretiosi & semper fuerunt docti scilicet abun- *Serm.218.* „ dantes scientia. Hi autem & si non loquuntur jam vita functi, viuunt in voluminibus quæ ediderunt; ejus sententiam illustrat illud Esdrę ubi vox Hebræa *Bibliotheca* domum thesaurorum innuit. Etenim ex ea eruitur thesaurus ille de *Lib.1. cap. 5.17.* quo dicit Christus *non est in me, mare loquitur, non est mecum*, quamobrem opulentissimus Regum Salamon sic de sapientia judicavi „ Pręposui illam Regnis *Cap. 6. 1.* „ & Sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparari *Sap. 7.* „ illi lapidem prætiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena „ est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Ea de causa Pium II. libros plusquam saphiros, & smaragdos curare solitum fuisse Platina scribit. Verùm Pio II. non minor Alexander VIII. Bibliothecam perecelebrem constituit.

❦ XII ❦

SAPIENTIA FVNDAVIT, STABILIVIT PRVDENTIA.

Accepta sunt hæc verba, numismati prudentissime inscripta, in quo Bibliotheca repræsentatur, ex cap.3. Proverb. ubi sic *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit Cælos prudentia*, dublici horum ornamento præditus Alexander semper elucens, Bibliothecam optimis voluminibus, ex omni facultate comparatis instruxit, quę in Ædibus Eminentissimi, & Reverendissimi Cardinalis Petri Ottoboni S. R. E. Vice-Cancellarii custoditur, sub Præfectura eruditissimi Abbatis Blanchini, quam numisma propositum refert.

Extat in medio Bibliothecæ mundi globus, nec otiose, Bibliothecam enim maxime decet, cum sit, seu terram exprimat, seu Cælum, præclarum subsidium, quo illum intuendo peregrinamur sine ulla defatigatione per singulos maris, ac terrę tractus, ibique lustramus Maria, Promontoria, Sinus, Freta, Flumina, Insulas, Montes, Portus, & Cæli plagas, ubi Sydera, & Planetæ suas annuas diurnasque revolutiones perficiunt; agnoscendo terram, Matrem suam agnoscunt Sapientiæ Asseclę, Cælum lustrando animi voluptatem talem accipiunt, ut è veterum sapientum cœtu unus pronuntiare ausus fit, ob solam Cælorum contemplationem homines à divino Numine fuisse procreatos, quæ mens Ovidio fuit ista canenti.

Os homini sublime dedit Cælumque tueri
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Et alibi

Felices animæ quibus hæc cognoscere primùm
Inque domos superas scandere cura fuit.
Admovere oculis distantia sydera nostris
Ætereaque ingenio supposuere suo. *Fast. lib. 1.*

Supposuisse dubio procul sibi æthera Alexandrum VIII. eique Regnum stabiliuisse Prudentiam sperare fas est. Hoc felix Præsagium Gentilitii stemmatis Aquila globo insidens mihi indicat, in qua Alexandrum ipsum tamquam in symbolo expressum agnosco. Ille enim sapientiæ pabulum semper degustans totam

fere

fere ætatem omnis literatura volumina evoluendo traduxit, longe ab iis Philosophis dissimilis, quos ait se novisse Picus Mirandulanus, quornm alter tam indignè sordidus erat, ut hoc dedecus non erubuerit evomere; *Se quam habebat scientiam mille aureorum pretio, si non deesset emptor, libenter venditurum esse*. Alter, qui etiam *se equum esse mallet, dummodo copiosa suppeteret alimonia.* Longe aliter de sapientia judicavit sagacissimus Pontifex. Hic namque fluxarum divitiarum hæredem institui quemcumque posse judicabat, ac dein Cresum fieri; doctrinam verò possideri à quolibet non posse, ut olim ad Calistratum divitem, sed indoctum his carminibus dicebat Martialis.

Lib. 2. de Philos. stud.

At tua centenis incumbunt tecta columnis
Et libertinas arca flagellat opes
Magnaque Niliacæ servit tibi gleba syenes,
Tondet & innumeros Gallica parma greges
Hoc ego, tuque sumus, sed quod sum, non potes esse
Tu quod es è populo quilibet esse potest.

In Aquila etiam globo insidente cui oculorum obtutum perspicacissimum inesse referunt historici, sapientissimi hujus Pontificis perspicacitatem agnosco, qua rectissima consilia dare, justissimum jus dicere, opportunasque leges excogitare semper potuit, præsertim in solio Pontificio collocatus, in quo terrarum Orbi Pontificia authoritate præerat, à triplici sapientia promotus, idest divina illum præeligente, Purpuratorum Patrum, qui eum renunciarunt, & sua, ob quam navis Ecclesiasticæ regimine dignissimus apparuit, avitæ suorum Majorum sapientię non degener, quorum duos inter cæteros non minores recensuit Jacobus Philippus Tomasinus Episc. Æmoniensis inter elogia virorũ litteris, & sapientia illustrium, ad vivum expressis imaginibus exornata, ideſt Joannem Franciscum, & Leonardum Ottobonum, quorum primus juvenis litterarum studiis delectatus, linguarum cognitione, & eloquentia claruit: Hebraicam enim, & Latinam ea sedulitate hauserat, ut jis ad arbitrium dicendo, & scribendo uteretur, alias etiam disciplinas pari felicitate cum didicisset, tandem se totum eloquentiæ dicavit, qua profundæ memorię, & exacti judicii adminiculo plurimum valuit, increbuit jam undique ejus eruditionis fama, unde à multis Academiis expetitus Veneta solum contentus, ex qua Bembus, Navagerius, Lippomanus, Contarenus, Commendonus, aliique clarissimi prodiere, & in ea præcipue illuxit, ut literatis omnibus conspicuus esset, ita verò inter severa, & mansuetiora studia singularis enituit viri prndentia, ut raro exemplo Serenissima Venetorum Respublica, cum vix annum excessisset tertium, & quadragesimum, Magni Cancellarii dignitatem ei contulerit. Perpetuo literarum commercio viros claros coluit semper ac fovit, ejusque Domus virtutis receptaculum liberali manu, & summo amore hos omnes excipiebat.

Pag. 285.

Leonardus vero Philosophicis studiis juvenis aliquando addictus, Theologiæ postea operam navavit, ad quas scientias complectendas incredibilis ei quędam promptitudo inerat multarum linguarum, exquisita ei cognitio fuit, quibus altissima indoles accessit; ita dum alios suę ætatis Cives excelleret, Oratoribus Serenissimę Reipublicę Venetę ad Concilium Tridentinum jungitur. Hic ille ea diligentia omnes Concilii actiones, varias Patrum Controversias Doctorumque quæstiones sua manu in Diarum redegit, & in ijs summa ejus intelligentia, & summa pietas facile perspicitur, nec mirum; siquidem sacrarum litterarum apparaಠratu toto vitę suę cursu unice delectabatur; hic cum in Hispania Philippo II. Regi gratus diutius moraretur, & ejus Regionis Provincias pulustraret, quidquid memoria dignum in unum volumen congessit. Interea fide ejus perperspecta, absens à secretis decemvir eligitur, quod munus annos viginti tanta fide ac laude peregregie exercuit, ut defuncto Magno Cancellario ei subrogaretur, acclamante universa Urbe anno M. DC. X.

His aliisque majoribus suis non minor Petrus Ottobonus, hæc Sapientię ac Prudentiæ decora non solùm in Romano Theatro, multarumque Urbium, in quibus,

bus, vel Gubernator, vel Legatus Pontificius, vel Episcopus præfuit longo annorum curriculo ostendit, sed Orbi universo in Pontificia sede collacatus. Quamobrem apposite concludebat elogium castro doloris affixum à nobis supra relatum.

OCTVAGENARIO MAIOR
EMERITIS TOT ANNORVM,
ET LABORVM STIPENDIIS
NVLLVM DIEM,
NE SVPREMVM QVIDEM
REIPVBLICAE NON IMPENDIT
RATVS NON MAGIS
DECERE CAESAREM STANTEM
QVAM ECCLESIÆ BONO SERVIENTEM
PONTIFICEM MORI.

Sapientiæ, & Prudentiæ documenta sunt Alexandri VIII. quo viduatus brevi temporis spatio Orbis terrarum jacturam profusis lachrymis perpetuò deploraret, nisi immortalis gloriæ corona illustrius decorari, quam Pontificia Tiara sibi pro certo suaderet.

XIII

S. PETRVS APOSTOLVS.

EFfigiem Divi Petri in numismatis Pontificiis convenire observavimus, in quibus Summi Pontificis obsequium suum erga Apostolorum Principem promulgarunt, de clavi, quam manu tenet abunde alibi dictum est, nec aliquid se offert peculiari nota dignum, nisi quod tale numisma in publicam lucem editum fuerit ab incognito authore: æneum illud vidi in Cimelio Joannis Andreæ Lorenzani.

XIV

EIA, HIC MARE, HIC PORTVS.

CHaritatis typum, in muliere cernimus plures infantulos amplectente. Rubea veste indutam illam expressit Cæsar Ripa in sua Iconologia, tum quia eo colore ignem imitaretur, cujus instar Charitas semper ardet, tum etiam ut sanguinem indicaret ad cujus effusionem prompta est, dummodo juvet. *Pag. 84.* Quàm eximia fuerit in Alexandro Pontifice juvandi promptitudo pro comperto habent omnes, qui supplices libellos frequenter ei porrigebant. Verba in lemmate posita adverbium habent, correctionem significans juxta Terentium, ac si infantes dicant expressi, si veluti naufragi in mare jactamur, procellis, dum mendici hanc vitam traducimus, EIA HIC PORTVS nobis adest quietis, à charitate Pontificis exceptis; Pontificia Alexandri charitas hujusmodi numismate celebratur, quod æneum in pluribus Cimeliis Romæ reperitur. *Eun. 5. 9.*

XV

LAVRENTIO IVSTINIANO IN SANCTORVM ALBVM RELATO.


PETRO, ET IOANNE LANDIS ORATORIBVS VENETIS ADNITENTIBVS.

DE initio, & progressu Rituum, qui in Canonizationibus Sanctorum præscribuntur alibi disseruimus. Quamobrem pro lucubratione hujus numismatis ea tantùm indicanda sunt, quæ ab Alexandro VIII. peracta sunt die Lunę decima sexta Octobris anno 1690. cum in Sanctorum Album retulit B. Laurentium Justinianum, cui referente Victorello tract. de Jubilęo, tributus fuit primus Beati cultus die octava Januarii anni 1600. annuente Clemente VIII. Pontifice in Templo S. Salvatoris de Lauro dicto, coram Eminentissimis Cardinalibus Valerio, & Antoniano.

Ea igitur die Alexander à Quirinali ad Vaticanum se contulit, ubi Pontificiis Sacrisque vestibus indutus, post oblatas cereas faces ab Eminetissimo Cardinali Petro Ottobono Canonizationis Procuratore, solemni supplicatione D. Petri Basilicam petiit, ubi cæteras consuetas oblationes accepit, & decretos honores celebrari jussit, indictis precibus, celebratoque de more solemni Sacro ab Eminentissimo Cardinali Alterio, Roma interim campanarum sonitu, ac æneorum tormentorum strepitu plaudente.

Æquali cultu inter Sanctos eadem die etiam adscripti fuere Sanctus Joannes è Capistrano ex Minorum S. Francisci familia; Sanctus Jonnes à S. Facundo Eremita Augustinianus, S. Joannes à Deo Fundator Ministrantium Ægrotis, & S. Paschalis Baylon S. Francisci Assisiatis alumnus. Extat luculenta descriptio ejus actionis italice ædita eo anno Romę Typis Dominici Antonii Herculis à Maphæo Urbano de Rubeis.

Cernebatur perampla Basilicæ Vaticanæ frons exornata eorum Divorum imaginibus, adiecto pluribus in locis stemmate gentilitio Alexandri VIII. Cæsaris, Regis Catholici, Reipublicę Venetę, ac Religiosarum Familiarum, quorum omnium nomine supplices libelli oblati fuerunt Pontifici, ut Beatos Sanctorum fastis dignaretur adscribere. In porticu itidem pretiosa aureaque peristromata pendebant, quæ Raphael Urbinis delineaverat, interjectis sericis pannis, & imaginibus virtutes Sanctorum referentibus, cum stemmate gentilitio Pontificis, alternatim distributis: ex arcubus ipsius Basilicę, qui magnis facellorum aditibus imminent, pendebant perampla numismata, quę Divorum actiones, & miracula referebant, quorum singulis aptę inscriptiones adiiciebantur, coronicem plusquam mille faces cereę ardentes irradiabant. Suggestum in quo solio Pontificio Purpuratorum Patres, ac Antistitum Chorus adstabant, quatuor magna simulachra exornabant, quibus quatuor virtutes Cardinales exprimebantur, aliis duabus adiectis, quarum altera Hispaniam, altera Rempublicam Venetam referebat. Hujus sacræ actionis æternum monumentum erit numisma propositum Pontificia authoritate percussum Romę: extat argenteum in Gaza Eminentissimi Cardinalis Petri Ottoboni S. R. E. Vice-Cancellarii.



AMOR


I
INNOC·XII·PONT·MAX·
II
A DEO DATVS
DIE XII
CORONAT'
XV·IVLII
III
TV DOMINVS ET MAGISTER
EXEMPL·DEDI·VOBIS·
IV
PACEM·DONES
PROTINVS
V
IVSTITIA·ET·ABVNDANTIA·PACIS
VI
IVSTITIA·ET·ABVNDANTIA·PACIS
VII
ERIT·EGENO·SPES·IOB·V·
VIII
VIRTVS·PROMOTA·
AN V·
FERDINAND·DE·PVRBAIN·
IX
IVSTITIAE·ET·PIETATI·
CIƆIƆCXC·
X
MDCIIIIC
XI
IMPETVS·LETIFICAT·
XII
A·DEO·ET·PRO·DEO·
XIII
SINVM·SVVM·APERVIT·EGENIS
XIV
VOTA PVBLICA·
XV
HAEREDITAS SANCTA·
XVI
EGENOS·VAGOSQ·INDVC·
IN DOMVM·TVAM·ESAI·
XVII
BEATVS·QVI·INTELLIGIT·
SVPER·EGENVM·
ET·PAVPEREM·
XVIII
SED·MAIOR·CHARITAS·
XIX
XX
IN ET
INNOCENTIA SAPIENTIA
FVNDATA
ANNO·DÑI·MDCXCIII·
DE·MENSE·IVNII·
IN·TERRA VVLSINII


XVI

AMORE, ET CORDE.

TRrium Regum oblationes Divino Infanti factas refert numiſma, cum inſcriptione AMORE, ET CORDE, qua nil aliud innui autumo, niſi documentum ſalutare, ſcilicet, oblationes Deo faciendas eſſe Amore, & corde, corde quidem, ne tantùm manu porrigantur ab jis, qui hominibus non Deo placere ſatagunt *Confitebor tibi*, non tantumodo ore ajebat S. David, *ſed in toto corde meo*. Novit enim *Deus abſcondita cordis*, ideo amore etiam ſincero erga Deum oblationes fiant, non alia ex ratione, vel humano cordis affectu, ne jacturę diſcrimen ſubeamus, cum lucrari ſtudemus. Hæc ſanæ doctrinę conſilia cogitans Prudentiſſimus Princeps Alexander ad Dei honorem, & cultum ſuas actiones ſincere dirigebat. Hanc eſſe genuinam lemmatis ſignificationem pro certo mihi ſuadeo; niſi tamen credere quis velit Authorem numiſmatis, qui illud cudi curavit, ſuum ſincerum obſequium erga tantum Pontificem profiteri voluiſſe in Magis expreſſum, Divinum Infantem adorantibus. Verùm non adeo certum explicatu eſt, quidquid in ipſa ſculptura exprimitur, & difficiliorem indaginem nobis proponit, circa quam ſi Lutherus audiendus foret, multipliciter errant Pictores, nam Magos Reges fuiſſe negat, & numerum eorum incertum facit. Quid veritas habeat expendit eruditus Joannes Molanus. Eos fuiſſe Reges teſtantur vetuſtiſſimi Scriptores Prudentius, D. Chriſoſtomus, Nazianzenus, Melchior Canus aliique citati ab ipſo Molano, eo quod judicent in Magis impletum videatur illud *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent*, item *ambulabunt Reges in ſplendore ortus tui &c.* quę in Epiphania Domini, non hodiernum vulgus, ſed antiquus ſemper Eccleſię Chorus intonuit, adiecit Molanus propter antiquitatem, quod Gemblacum ex collatione S. Bernardi caſulam habeat, de veteri more undique dependentem, & ſtolam cum manipulo in quibus ſunt imagines pulchræ per Phrygionem acu pictę. Inter eas animadvertit tres Magos dona offerentes, non ſolùm candidos depictos, ſed & Reges cum Coronis, eos tamen ab Eccleſia haud nominari proprii nominis Reges, ſed quia Regia eis competebat authoritas, ideò Reges vocari, & tales picturis exprimi. Quod autem tres fuerint, ſatis probat contra Lutherum Eccleſia Colonienſis trium Magorum corpora religioſe conſervans, & Leo Magnus, aliique authores, qui tres fuiſſe commemorant, & Venerab. Beda eos his verbis deſcripſit. Primus dicitur fuiſſe Melchi or Senex, & Canus, barba prolixa, & capillis, aurum obtulit Regi Domino; ſecundus nomine Gaſpar, juvenis imberbis, rubicundus, thure, quaſi Deo oblatione digna Deum honorabat, tertius fuſcus integre barbatus Baltaſſar nomine per Myrrham filium hominis moriturum profeſſus eſt, de his Magis plura ſcripſit P. Jo: Stephanus Menochius in eruditis diſſertationibus Tom. I. cap. 79.

Pſ. 110. — *Pſ. 43.* — *Lib. 3. c. 3. de hiſt. imag.* — *Pſ. 71.* — *Eſa. 60.* — *Sum. de Epiph. in collectaneis initio.*

Quis autem hoc numiſma vulgaverit diſcere non potui, rudi Minerva exculptum ejus delineamenta teſtantur; æneum vidi in Cimelio Joannis Andreæ Lorenzani.



XVII. XVIII

DUo numismata in Germania percussa post electionem Alexandri VIII. utrumque illum commemorat, sed diversimode, quod sub numero XVIII. proponitur claris verbis eum affirmat creatum Pontificem die sexta, & coronatum die decima quarta Octobris ann. 1689. alterum verò sub num. XVII. positum ea in parte, ubi Pontificis est imago hæc habet verba, circa eamdem distributa ALEXANDER VIII. PONT. MAX. CREAT. ANNO 1689. DIE 6. OCTOBRIS; in opposita verò veluti Enigmatica inscriptione idem affirmat in hoc Elogio.

NOMINE DEPOSITO
PETRVS INCIPIT ESSE
SEDENDO
OTTOBONVS TOTO
CORDE SIT ERGO BONVS
EVenIVnt VenetIs
VegetIs, IAM PROSPERA
QVAE VIs ID satIs Ipse
reCens papa LatIne
PROBAS 1689.

Ex his enim verbis si demantur caracteres, qui numerales dicuntur, scilicet qui pro numeris significandis adhibentur expressi, majoribus notis, atque in vnam summam colligantur, prodibit annus creationis Alexandri Octavi 1689. hoc pacto.

	significat
V	5.
I	1.
V	5.
V	5.
I	1.
V	5.
I	1.
I	1.
M	1000.
V	5.
V	5.
I	1.
I	1.
D	500.
I	1.
I	1.
C	100.
L	50.
I	1.
	1689.

In circuitu ejusdem numismatis ubi crassities metalli dignoscitur hæc alia verba exculpta leguntur non absimili ratione scripta.

VIVat ALeXAnDer oCtaVVs nVMInIs Instar.

Ex quibus si demas.

	Significans
V	5.
I	1.
V	5.
L	50.
X	10.
D	500.
C	100.
V	5.
V	5.
V	5.
M	1000.
I	1.
I	1.
I	1.
Eveniet num.	1689.

Cæterum verba inscriptionis excogitata potius videntur, ut ex illis notæ numerales orirentur quam ad Elogium conficiendum omnibus numeris absolutum. Summa tamen peritia exculpta sunt omnia. Utrumque numisma argenteum suppeditavit Gaza Eminentissimi Cardinalis Petri Ottoboni S. R. E. Vice-Cancelarii.

VICTRI-

XIX

VITRICEM MANVM TVAM LAVDEMVS.

In Nummophilacio ejuſdem Eminentiſſimi Principis argenteum vidi hoc aliud Romæ exculptum à Joſepho Ortholano Veneto anno primo Pontificatus Alexandri, ut conſtat ex notis additis ſub ejuſdem imagine. Pars huic oppoſita Turcas devictos, & ſpolia bellica à Veneta Claſſe ræpreſentat, ſub tutela, & invocatione B. Mariæ Virginis ſupra nubes expreſſæ, cui victoria tribuitur in lemmate VICTRICEM MANVM TVAM LAVDEMVS verba ſunt è libro ſapientiæ accepta, ubi Salamon celebrans prodigia Divinæ ſapientiæ, hæc enarravit, *inimicos autem illorum demerſit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos, ideo juſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantaverunt Domine nomen Sanctum tuum, & vitricem manum tuam laudaverunt pariter*. *Cap.10,20.*

Quo pacto Alexander Pontifex partes habuerit in triumpho diximus in numiſmate tertio, cum retulimus providum Pontificem Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ conſilio, Milite, auroque auxilia præbuiſse, ut Æuboicę Inſulę expugnationem repeteret, quam Venetis anno 1470. ablatam narrat Baudrandus à Mahumete Secundo, qui in eam atrociſſme deſæviit, & ſine quà inſtabile credebatur in Peloponeuſo Chriſtianorum Imperium.

XX

SI VIS POTES

Numiſma ſine ulla authoritate Principis Romæ vulgatum ab incognito Authore ſervatur ex ære apud Joannem Andream Lorenzanum Romæ ſed rudi ſcalpro exculptum, habetque imaginem Summi Pontificis adeo infideliter delineatam, ut ſola verba appicta illam eſſe Alexandri VIII. declarent. Quamobrem illud ſine ulla nota prætermittimus inter Pontificia numiſmata haud recenſendum.

Atque hæc ſunt numiſmata ſolerti perquiſitione reperta quæ ad Alexandrum VIII. referuntur ſive à privato genio, ſive publica auctoritate formata. Ex illis enim ſex tantùm Principe jubente, ſunt cuſa, ut ab ipſe erogarentur in largitione Presbyterii, vel poſt pedum lotionem pauperibus, de quibus alibi dictum eſt. Plura hiſce paginis inſeruiſsem, atque jis ad Poſterorum ætates præclara hujus Pontificis facinora æterno in ære perennata intueremur, niſi biennio adhuc non expleto è vivis exceſſiſſet, in domeſtico luctu *mœrentibus cunctis* (id quod Svetonius de Tito Flavio Veſpaſiano Auguſto ſcripſit) ſubditque Eutropius, *tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tanquam in propria doluerint orbitate*. *Cap. 11.*

Quamobrem Alexandri VIII. deplorantes jacturam juſtius illum alloquemur carmine quo olim eundem Titum Auſonius. *Auſ. Cæſarem Epig. 11.*

> *Felix imperio felix brevitate regendi*
> *Expers civilis ſanguinis, Orbis amor.*

Iacturæ interim tanti Principi de Ottoboniana Familia damna reparanda ingentem ſpem facit Eminentiſſimus Cardinalis Petrus Ottobonus Sanctę Romanę Eccleſię Vicecancellarius ex Pontificis Nepote Filius. Is in Purpuratorum cœtum à Sanctiſſimo Patruo adſcriptus à Parentibus nominis claritatem acceptam, ingenii ſui ſolertia late extendit, recteque antiquum familiæ Decus ſuſtinet, dum animos calamoſque in ſui amorem, & laudes convertit. Facti ad omnem humanitatem ſunt ejus mores, nil in vultu aſperum cernitur, nil in coverſatione inſuave, adeò ut præter virtutum cumulum etiam juvenis gratiarum Comes agnoſcatur. In am-

In amplissimis muneribus Cardinalitia dignitate addictus, omnibus certe, senibus præcipue, ob diligentiam, ob ingenii alacritatem, ob ad res tractandas magnam facundiam, & dexteritatem admirationi est, ut paucos sua ætate sibi pares, superiores prope neminem inveniat.

Grati animi virtute eximius erga Sanctissimum Patruum eidem perenniorem quodammodo vitam inter mortales producere exculpto in marmore sapienter excogitavit, in quo eximię Pontificis dotes nobili expressione indicarentur. Tumulum illi excelsum erigit in Vaticana Basilica sub amplo loculamento, contra altare aperto, supra quod Divum Petrum ægro sanitatem impertientem Ludovicus Ciccolinus depinxit.

Describendus esset tumulus quem Eminentiss. Cardinalis Ottobonus ædificat in Basilica Vaticana opus delineante & dirigente sua qua pollet eximia peritia Illustriss. comite Henrico Sanmartino Taurinense, at describi non potest nisi absolvatur.



INNO-


INNOCENTII XII. NUMISMATA.



INNOCENTIVS XII. PONTIFEX MAXIMVS.



NTONII PIGNATELLI effigiem in summum Pontificem electi die duodecima Julii anni 1691. intuemur, à quo Innocentii nomen assumptum fuit, ut Innocentii XI. à quo in Purpuratorum Patrum Senatum adscriptus fuerat, memoriam excitaret, nec sine Divino consilio hoc factum credam. Innocentii enim nomen integerrimum Virum, moribusque innocentiam omninò decebat. Quum igitur in magno rerum omnium discrimine versaretur Orbis Christianus, & Ecclesia non minus Christianorum Principum discordiis, quam Barbarorum irruptionibus pressa, veluti Petri Navicula fluctibus penè operiretur, Innocentius clavo ejus divinitus addictus visus est, ut dum Vicaria Christi authoritate ventis, & mari imperaret, magna tranquillitas fieret. Hac spe Purpuratorum Patrum suffragia in eum convolarunt, illique vni in Summorum Virorum numero Orbis Terrarum patrocinium detulere, rati, vnico illi Summum Principatum deberi, cui cura Pauperum, & solicitudo semper fuerat Ecclesiarum, cui diuturno rerum usu perspectæ erant regnandi artes, quique comparatam haberet per omnes dignitatum gradus rerum agendarum scientiam; nam sub Urbano VIII. Legati Urbinatis vices adimplevit, sub Innocentio X. Inquisitor fuit in Melitensium Insula, inde Viterbiensium Gubernator, Nuntius Apostolicus in Etruria, sub Alexandro VII. apud Poloniæ Regem, & Romanorum Imperatorem pariter Nuncius sub Clemente X. Episcopus Lupiensis, & Cuculi Pontificii Præfectus, sub Innocentio XI. Faventinus Episcopus, & sacra ornatus Purpura, Legatusque Bononiensis, & Archiepiscopus Neapolitanus, quæ omnia Ecclesiastica munia tanta rectitudine administravit, ut jam Episcoporum Episcopus omnibus videretur, antequam esset, dicique de illo posset, quod D. Cyprianus olim de Cornelio scripsit; *Te ideò cunctis laudabili prædicatione commendabilem esse, quod non ad Episcopatum subitò perveneris, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus sæpè Dominum promeritus ad Sacerdotis sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascenderis.*



A DEO

II

A DEO DATVS DIE XII. CORONATVS XV. IVLII.

DUo supponit numismatis inscriptio quod in Germania cusum argenteum vidi inter numismata Eminentissimi Cardinalis Petri Ottoboni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii, scilicet Pontificem Innocentium à Deo fuisse datum, quod sanè intelligendum non est, ac si cæteri ab homine, non à Deo fuerint dati; omnes enim, qui ad summum Pontificatum ritè, & statutis legibus eliguntur, Deus speciali suo decreto evehit, & in Petri Cathedra confirmat. Docuimus jam satis in numismate IV. Alexandri VIII. eos omnes, qui in Pontifices Romanos designantur, ab hominibus quidem designari, à Deo autem Pontificiam potestatem illis communicari. Secundò dicitur fuisse coronatus die decima quinta Julii juxtà antiquissimum morem, non tamen ritu apud antiquos servato, qualem memorat in suo ordine Romano Jacobus Cajetanus Cardinalis, qui vivebat sub Bonifacio VIII. circa annum 1300. §. decimo nono, in quo agit de corona, quæ vocatur Regnum imponenda Papæ per priorem Diaconorum Cardinalem, sed ritu, qui legitur in libro Sacrarum Cæremoniarum ab Augustino Patricio Piccolomineo Episc. Pientino jussu Innocentii VIII. conscripto circa annum 1480. & ab Episcopo electo Corcyrensi sub Leone X. typis vulgato.

Multos enim sacros ritus, quos majores Duces Christiani Populi, Divino afflati numine, ab initio nascentis Ecclesiæ, nobis tradiderunt, crescente deindè fidelium multitudine, illorum Successores Romani Pontifices salva rerum substantia auxerunt, ornarunt, atque mirum in modum ampliaverunt, ut notat supralaudatus Augustinus Patricius in epistola ad Innocentium VIII. addunturque in dies mutantur, & variantur permulta, quæ non tam priscis institutionibus adversa sunt, quam tempori, & rebus, quæ aguntur accommoda, atque decora, hucusque Patricius.

Coronationem Innocentii XII. retulit enarratio italica Romę impressa typis Dominici Antonii Herculis Superiorum facultate, quam in latinum idioma translatam hic addimus, ne temporis decursu ejus Sacræ pompæ subruatur memoria.

Die igitur decima quinta Julii in Aula, quam dicunt *Paramentorum* Summus Pontifex coram Patrum Senatu Pontificios amictus induit, & præcedente Cruce, quam Illustrissimus Muti Sacræ Rotę Auditor ferebat, Eminentissimi Cardinales profecti sunt, post quos Pontifex eminebat gestatoria sella delatus; cum ad porticum Vaticanæ Basilicæ pervenisset, Solium ibi paratum ascendit, accepitque ad osculum pedis ejusdem Basilicę Canonicos, deinde Basilicam ingressus, post venerationem Sanctissimi Sacramenti in Sacello, quod Clementinum dicunt Eminentissimis Cardinalibus genu obtulit, pedem verò Episcopis, ut deoscularentur, & deposita mitra alta voce verba pronunciavit. *Deus in adiutorium*, post quæ horam canonicam, quam Tertiam appellamus, Cantores recitarunt. Interim ad sacra peragenda Episcopales amictus Pontifex suscepit, additis sandalibus chirotecis, & annulo. Omnibus ità dispositis, solemnis supplicatio ad Altare Divi Petri sequenti ordine processit.

Præibant Scutiferi Pontificis, ejusdemque Cubicularii, post quos Sacri Consistorii Advocati, Abbreviatores Curiæ Romanæ, Clerici Cameræ, Rotæ Auditores, & Sacellarii, qui mitras pretiosas, ac Pontificias tiaras manibus deferebant. Thuriferarius sequebatur cum septem Acolitis totidem candelabra sustentantibus, post hos Diaconus cum Cruce, alterque Subdiaconus, qui Sacro ministraturus erat, comitatus à Diacono, & Subdiacono alio, à quibus Evangelium, & Epistola græco sermone pronuncianda erant. Hos comitabantur Vaticanæ

canæ Basilicæ Pœnitentiarii vestibus sacris induti, sicuti pariter Episcopi, Archiepiscopi, Eminentissimique Purpurati Patres, post quos Excellentissimi Oratores Imperatoris, & Reipublicæ Venetorum, Princeps Columna Comestabilis, aliique Pontificii Solii Principes, & duo Eminentissimi Diaconi Cardinales, qui semper Pontifici adhærebant. Pontifex denique in sede delatus eminebat sub umbella, quam Illustrissimi Referendarii sustentabant, additis hinc inde flabellis è plumis compactis.

Pontificem sequebatur Sacrę Rotę Diaconus mitra decoratus in medio duorum cubiculariorum Pontificis, post quos Prothonotarii, aliique Præsules; dum eo ordine per Basilicam procederetur, unus è Magistris Cæremoniarum ter stupam combussit, quam arundine gestabat alta voce enuncians. *Pater Sancte sic transit gloria Mundi*. Cum autem ad Altare Divi Petri pervenisset Pontifex divinam Rem solemni ritu peregit, postquam mœnianum petiit à Paulo V. extructum supra porticum Basilicę, ibique coram Populo Romano Eminentissimus Cardinalis Pamphilius inter Diaconos Cardinales primus tiaram, triplici corona prædivitem illi imposuit, hæc verba pronuncians, *Accipe tiaram tribus coronis ornatam, & scias, te esse Patrem Principum, & Regum, Rectorem Orbis, in terra Vicarium Salvatoris Nostri, cui est honor, & gloria &c.* Plaudente interim Urbe festivis vocibus, strepituque æneorum tormentorum, dum Pontifice Innocentio XII. regnante auream sibi ætatem augurabatur.

Supervacaneum haud esse arbitror, si Eminentissimorum Cardinalium nomina hic adiungam, qui electioni tanti Pontificis interfuerunt, morem imitans præclari Scriptores Alphonsi Ciacconii, & Patris Augustini Oldoini, qui ante acta Pontificum Catalogum Cardinalium, quorum suffragiis designati fuerunt Pontifices addunt.

INNOCENTII X.

EPISCOPI CARDINALES.

Alderanus Cybo, Genuensis.

PRESBYTERI.

Franciscus Maidalchinus, Viterbiensis.
Carolus Barberinus, Romanus.

ALEXANDRI VII.

EPISCOPI.

Flavius Chisius, Senensis.
Jacobus Franzonus, Januensis.
Palutius Alterius, Romanus.

PRESBYTERI.

Gregorius Barbadicus, Venetus.
Joannes Nicolaus de Comitibus, Romanus.
Joannes Delphinus, Venetus.

CLEMENTIS IX.

EPISCOPI.

Emanuel Theodosius à Turre Bullionus ab Arvernia.

PRESBYTERI.

Nicolaus Acciajolus, Florentinus.

CLMENTIS X.

PRESBYTERI.

Gaspar de Carpineo Romanus.
Cæsar d'Estres Gallus.
Petrus Bonsius Gallus.
Vincentius Maria Ursinus Romanus.
Federicus Columna Perusinus.
Franciscus Nerlius Florentinus.
Hieronymus Casanatte Neapolitanus.
Galeazius Marescottus Romanus.
Fabritius Spada Romanus.
Philippus Thomas Huvardus de Norfolch Anglus.

INNOCENTII XI.

PRESBYTERI.

Joannes Baptista Spinula Janvensis.
Franciscus Bonvisius Lucensis.
Savo Mellinus Romanus.
Fridericus Vicecomes Mediolanensis.
Laurentius Brancatus è Lauria.
Jacobus de Angelis Pisanus.
Opitius Pallavicinus Januensis.
Marcellus Duratius Janvensis.
Marcus Antonius Barbadigus Venetus.
Carolus Ciceri Comensis.
Stephanus de Camus Gàllus.
Michael Radzieouski Polonus.
Petrus Matthæus Petruccius Jesinus.
Joannes Casimirus Denoff Polonus.
Joseph de Aguirre Hispanus.
Leander Colloredus Forolivienfis.
Fortunatus Caraffa Neapolitanus.

DIACONI.

Urbanus Sacchettus Florentinus.
Joannes Franciscus Ginnettus Romanus.
Benedictus Pamphilius Romanus.

Domi-

Dominicus Maria Corſius, Florentinus.
Joannes Franciſcus Nigronus, Januenſis.
Fuluius Aſtallius, Romanus.
Franciſcus Maria de Medicibus, Florentinus.
Rinaldus Eſtenſis, Mutinenſis.

ALEXANDRI VIII.

PRESBYTERI.

Bandinus Panciaticus, Piſtorienſis.
Jacobus Cantelmius, Neapolitanus.
Ferdinandus de Adda, Mediolanenſis.
Fuſſanus de Fourbin, Gallus.
Joannes Baptiſta Rubinus, Venetus.
Franciſcus de Judicibus, Neapolitanus.
Joannes Baptiſta Coſtagutus, Romanus.

DIACONI.

Petrus Ottobonus, Venetus.
Carolus Bichius, Senenſis.
Joſeph Renatus Imperialis Januenſis.
Aloyſius Omodeus, Mediolanenſis.
Joannes Franciſcus Albanus, Urbinas.
Franciſcus Barberinus, Romanus.
Laurentius Alterius, Romanus.

Poſt ſuſceptum Pontificium Diadema Laterana Baſilica ex antiquo inſtituto cum ſolemni equitatu adeunda erat, ſed effervеſcente nimis calidiſſima æſtate ſole, aliiſque de cauſis, ad diem decimam tertiam Aprilis anni ſequentis 1692. dilata eſt ejus triumphi pompa, non abſimili ordine inſtituta, ac illa, quam in Alexandro VIII. expoſuimus, elogia tamen diverſa, multipliceſque inſcriptiones expoſita legebantur in laudem novi Pontificis concinnata.

Apud hortos Farneſiorum arcum triumphalem juſſu Sereniſſimi Ducis Parmenſis erexit Eques Carolus Fontana, ſupra quem caracteribus pretioſo è lapide lazzulo effictis in campo argenteo hæc erat inſcriptio.

INNOCENTIO XII.
PONTIFICI VERE OPTIMO,
AMPLISIMÆQVE DIGNITATIS,
CVI GLORIOSE INSIDET
TRIVMPHATORI MAXIMO.

Supra epiſtilia inferioribus columnis proxima ſtabant ſimulachra, charitatis, Prudentiæ, Juſtitię, & Pacis, totidem verò ſupra columnas alias virtutes referentia, in quarum medio ſtemmata gentilitia Pontificis ab aligeris ſuſtentata, quę ſimulachra celeberrimus Sculptor Leonardus Retus compegit. Romę ſignum omnibus imminebat, Pontificiam imaginem in numiſmate oſtentantis, adiecta hac inſcriptione.



FELICITER INAVGVRATO
IN COMITIIS, ET POST COMITIA
EXPECTATISSIMO PRINCIPI
TANDEM PRÆTEREVNTI, AC SOSPITI
GRATVLATIONIS, ET OBSEQVII
ARGVMENTVM HOC P.
RANVTIVS FARNESIVS
PAR. ET PLA. DVX.

Alterum ejus arcus latus magno numiſmate exornabatur, in quo ante Pontificis pedes Populus Romanus procumbens pacem expoſcebat adiecta Epigraphe FIAT PAX IN VIRTVTE TVA.

Alterum verò latus alio numiſmate inſignitum, in quo idem Populus abundantiam efflagitabat his verbis. *Et abundantia in turribus tuis*. Sub tali magnifico arcu exceptus Innocentius plurima encomia, & fælicitatis auſpicia perluſtravit in via, quę ſymbolis, & vaticinis de ſacris paginis ſelectis hinc inde appinxerant Romę degentes Judæi, ſcilicet.

Ingredere benedicte Domini. *Geneſ.* 14. 31.
Benedictus eris ingrediens. *Deut.* 28.6.
Venientque ſuper te univerſę benedictiones. *Deut.* 28. 2.
Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. *Num.* 6. 24.
Pacificus eſt ingreſſus tuus. 1. *Regum cap.* 16. 4.
Deus omnipotens benedicat tibi. *Gen.* 28. 3.
Dies ſuper dies Regis adjicies. *Pſal.* 60. 7.
Bene ſit tibi, & longo vivas tempore. *Deut.* 22. 7.
Et ipſe de Regibus triumphabit. *Abacuc* 1. 10.
Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum. *Pſal.* 120. 8.
Benefac Domine bonis. *Pſal.* 124. 4.
Omnes vitę tuę ſtabilientur. *Prov.* 4. 26.
In memoria æterna erit juſtus. *Pſal.* 3. 17.
Beata terra, cujus Rex nobilis eſt. *Ecclef.* 10. 17.
Fiat pax in virtute tua & abundantia. *Pſal.* 121. 7.
Et imperes omnibus. 2. *Reg.* 21.
Dominabitur in theſauris auri & argenti. *Dan.* 11. 43.
Dominabitur poteſtate multa. *Daniel.* 11. 3.
Quæcumque faciet proſperabuntur. *Pſal.* 1. 1.
Quocumque ſe vertit prudenter intelligit. *Prov.* 27. 8.
Dominus cuſtodiat te ab omni malo. *Pſal.* 120. 7.
Hic juſtus eſt, vita vivet. *Ezech.* 18. 9.
Non movebitur in æternun. *Pſal.* 15. 6.
Longo tempore regnet ipſe. *Deut.* 17.20.
Magnificetur nomen tuum. 2. *Reg.* 7. 26.
Inveniet vitam Juſtitiam, & Gloriam. *Prov.* 21. 21.
In hilaritate vultus Regis vita. *Prov.* 16. 15.
Labia juſti erudiunt plurimos. *Prov.* 10. 21.
Et quę digna ſunt Principe cogitabit. *Iſa.* 32. 8.
Corona dignitatis ſenectus. *Prov.* 16. 31.
Eritque omnipotens contra hoſtes tuos. *Job.* 22. 25.
Benedictus eris egrediens. *Deut.* 28. 6.
Non deſpexit deprecationem Pauperis. *Pſal.* 21. 25.
Qui miſeretur pauperis beatus erit. *Prov.* 14. 21.
Et manſuetus dabit gratiam. *Prov.* 3. 34.
Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem. *Pſ.* 44. 8.
Sapientia, & ſcientia data ſuut tibi. *Paralip.* 2. 1.
Factus es fortitudo Pauperi. *Iſa.* 25. 4.
Exultabo, & lætabor in miſericordia tua. *Pſal.* 30. 8.
Exaudivit Pauperes. *Pſal.* 68. 34.

Inter


Inter hæc auſpicia imagines aderant Innocentię, Prudentię, Fortitudinis, Temperantię, & Juſtitię, adiecto unicuique ſymbolo, inſcriptione ſacra illuſtrato.

Cum autem ad Baſilicam Lateranam Pontifex perveniſſet, Illuſtriſſimus Pręſul Farſettus ejuſdem Baſilicę Vicarius duas claves offerens hac brevi oratione illum eſt allocutus.

» Habes Beatiſſime Pater in hac tua Lateranenſi Archibaſilica cunctarum
» Mundi Principe Civitatem Sanctam Hieruſalem, deſcendentem hodie de Cæ-
» lo, paratam Tibi, tamquam tuam Sponſam ornatam, hoc eſt triumphantis, &
» militantis Eccleſiæ mixta præconia, & congeminata lætitia Cæli, terreque
» plauſus, cum hac illius Æmula, cæleſtes, & terreni Angelorum, & Hominum
» cœtus, communique gaudio uno tibi occurrunt obſequio, & ſingulari gratu-
» lantur officio, & æqua jucunditate cum hoc noſtro Lateranenſi Clero Eccle-
» ſiaſtica Hierarchia; ut Te gloriam Hieruſalem, & credentis Populi lætitiam
» adorent, dum inclyti capitis imprimit pedibus oſcula, exultans dicat præcor-
» dia. Cæterum quę Te regnante Paſtore Grex tuus fidelis poterat expectare
» magnalia, in primo tuo ingreſſu jam tenuit, pietatem in Aula, Juſtitiam in
» Foro, Sanctimoniam in Templo. Undè dum has claves Tibi obſequentiſſimus
» porrigo, earum poteſtatem tam validè exerces ligandi, & ſolvendi, indul-
» gendi, & arctandi, laxandi; & coercendi. Quare Dei Maximi, cujus geris vi-
» cem, intererit, Te incolumen, Te felicem, Te longævum ad ſui gloriam, &
» Chriſtiani Orbis hilaritatem conſervare.

Plauſit etiam tanto Pontifici vniverſus Baſilicæ ejuſdem Clerus in appoſitis inſcriptionibus, quorum prima ſupra exteriorem januę faciem extabat, ideſt.

IN SVPREMIS PETRI CLAVIBVS
INSTINCTV DIVINITATIS TIBI COMMISSIS
CÆLI PORTAS IN HOC CÆLIO MONTE
AD ÆTERNAM GENTIVM FÆLICITATEM
RESERATVRVS ACCEDIS
MERITISSIME PONTIFEX INNOCENTI DVODECIME
FAVSTISSIMIS ERGO AVSPICIIS
IN TVA INNOCENTIA
INGREDERE IMMACVLATVS, ET IVSTVS
VBI CAPVT ELECTORVM CHRISTVS REGNAT IN TITVLVM
VBI CAPITA APOSTOLORVM SERVANTVR IN TVTELAM
IN LATERANO PONTIFICIÆ MAIESTATIS CAPITOLIO
AD LONGOS ANNOS TRIVMPHA,
VT DE TRIVMPHATA BELLORVM,
ET HÆRESVM HYDRA
NATIONES TIBI PLAVDANT VNIVERSÆ
VERVS ROMANI PONTIFICIS TRIVMPHVS
CHRISTIANA PAX EST.



In parte verò interiori opposita hęc alia legebatur.

POST DIVTVRNAS PRECES, ET LACHRYMAS
DESIDERATVS CVNCTIS GENTIBVS
INGREDERE TVAM LATERANENSEM ECCLESIAM
INNOCENTI DVODECIME P.O.M.
VT IN EA, QVÆ EST MATER OMNIVM ECCLESIARVM
NATIONVM OMNIVM AD TE ACCVRRENTIVM
TAMQVAM AD CERTVM SVÆ FELICITATIS HOROSCOPVM
OBSEQVIA, ET VOTA BENIGNVS EXCIPIAS
AMPLEXVS A SPONSA TVA AMPLECTERE POPVLOS SVOS
ILLA TE AMAT, VT SPONSVM
ISTI TE HONORANT, VT PATREM
QVID TIBI GLORIOSIVS
IN SPONSAM A CHRISTO HABVISSE ECCLESIAM TVAM
ET TVOS POPVLOS TIBI DATOS IN FILIOS
ILLAM, VT SERVES, ISTOS, VT IVVES
ILLAM VT AMES, ISTOS VT AMERIS
NON POTEST NON AMARI PATER, ET SANCTVS PATER

Contra Solium Pontificium, quod sub abside Basilicę eminebat tertia erat affixa cyborio, in quo Sanctorum Apostolorum Capita servantur.

LEVA OCVLOS TVOS
AVGVSTISSIMA LATERANENSIS ECCLESIA
ET VIDE GLORIAM DOMINI SVPER TE
HODIE ORTAM
IN SOLATIVM LONGINQVÆ VIDVITATIS TVÆ
SVFFRAGIIS DIVINIS, ET HVMANIS CONSPIRANTIBVS
HABES IN RECENTEM SPONSVM TVVM
INNOCENTIVM DVODECIMVM
AD TE VNICAM SPONSAM ACCEDIT
OPTIMVS IN PERPETVA MORVM INNOCENTIA
MAXIMVS IN OMNIVM COLLECTIONE VIRTVTVM
ANTE SVFFRAGIA ELECTORVM ELECTVS POPVLORVM VOTIS
ET VISVS ROMANVS PONTIFEX ANTEQVAM ESSET
PER OMNES GRADVS HONORVM AD SVPREMVM EVECTVS
DEO TANTVM, ET TIBI DEBET QVOD HABET
HABE DIV FOELICITER QVÆ MERVISTI
SANCTISSIME INNOCENTI
IN TVA FOELICITATE STAT MVNDI FOELICITAS



III

TV DOMINVS, ET MAGISTER.

Consuetum Numisma sub quocumque Pontifice cusum, & die Jovis majoris hæbdomadæ distributum pauperibus post pedum lotionem, quam Summi Pontifices peragunt, ut Divini Præceptoris exempla sequantur, pedes Discipulorum abluentis.

De his abunde in superioribus dictum est.

PACEM

IV

PACEM DONES PROTINVS.

SOlemni Pentecoſtes die Spiritus Sancti opera implorans Chriſtianus Orbis hæc verba concinit.

Hoſtem repellas longius
Pacemque dones protinus
Ductore ſic te prævio
Vitemus omne noxium.

Aliqua ex his verbis Innocentius XII. uſurpavit in lemmate numiſmatis, in quo ſub Columba radiis circumdata Divinum Spiritum indicavit juxta Antiquorum Catholicorum morem, eo quòd (ut docet Joannes Molanus in hiſtoria imaginum lib. 4. cap. 15.) per Columbam pulchre deſignantur operationes Spiritus Sancti Columba autem cum præ omnibus volatilibus Cęli homines amet, & contubernalem animal ſit, ac manſuetum, pacem optime indicat, quę Spiritus Sancti præſertim auxiliis conciliatur in terris, juxta illud D. Pauli ad Galatas; *Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, ſapientia &c.* rurſus ad Romanos ait, *repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus Sancti.*

Ut igitur pacem inter Principes Chriſtianos pertinaci bello diſſidentes conciliare poſſet Innocentius, Divini Spritus opem enixe implorat, percuſſoque numiſmate totum Chriſtianum Orbem ad precum effuſionem excitat, optime ratus, bellorum tempore innumera mala exoriri, quibus pax ſola mederi poteſt, nec ad animos conciliandos humanas vires ſufficere, ſed Divinas requiri: Pluries ad eum finem obtinendum plenariam noxarum veniam Chriſtifidelibus impertitus eſt, ſupplicationeſque publicas indixit, ut gratiores criminibus expiatis ad Dei thronum deprecantes accederent, & vim Cælo quodammodo inferrent, ut diù expetitam pacem conſequerentur.

V. VI

IVSTITIA, ET ABVNDANTIA PACIS.

DUplex numiſma mulierem profert bilancem dextera manu habentem ſiniſtra ramum olivæ. Pacem in oliva Juſtitiam in bilance ſignificat, in ſimili lemmate expreſſas verbis, ex pſalmo ſeptuageſimo primo acceptis, in quo verſ. 9. dicitur. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis donec auferatur Luna.* Juſtiſſimi Pontificis vota hujuſmodi inſcriptione comprobantur, nec vano omine præluſit, qui talia numiſmata publicari curavit. Juſtitia enim Innocentii XII. inter cęteras ejus virtutes maxime enituit, & anno ejus Pontificatus VII. jamdiu expetitam per totam Europam pacem conciliatam vidimus.

VII

ERIT EGENO SPES. IOB V.

ÆDes in numiſmate exculpta illa eſt, quam Romę prope Portam Portuenſem in Tyberis ripa excitari curavit Illuſtriſſimus Præſul Carolus Thomas Odeſcalcus expenſis in ejuſdem ſtructura circa viginti quinque millium nummorum ſub auſpiciis Innocentii XI. ut in ea alerentur pauperes pueri, ac pietate, boniſque artibus educarentur ſub cura Patrum Clericorum, qui dicuntur, *Piarum Scholarum*. Sexaginta proindè pueros collectitios in eamdem

induxit

induxit cum quinque Patribus die nona Aprilis anni 1689. postquam quatuor annorum spatio enutriti fuerant in alia domo in regione Campitelli sita, expensis Innocentii XI. qui centum quinquaginta scuta singulis mensibus liberali charitate subministravit, & ne otiosi dies transigerent lanificio permulti, arti sutoriæ alii, textoriæ quamplurimi operam dare cœperunt, quibus, tum sibi, tum Reipublicæ prodessent adulti. At post adeo pium, ac utile institutum ob Innocentii mortem Patris jacturam Orphani Infantes deplorabant, eorumque spes cecidissent omninò, nisi in Innocentio XII. Undecimus revixisset. Innocentii enim XI. liberalitatem Duodecimus non modò duplicavit; verùm etiam, exemplo admodum rarò, longe superavit. Quippè numerum ad trecentos ferè pueros auxit, additis duodecim Religiosis viris sub quorum cura enutriuntur.

Eisdem illos univit, quos vulgari voce *Letterati* dicebantur à quodam Leonardo Ceruso pio ac simplici viro tali cognomine vocato, qui Romæ die 16. Februarii anni 1595. plenus meritis, ut pie creditur, ad Superos evolavit; fuerat hic famulus Gregorii XIII. in Regno Napolitano natus, deindè relicta Pontificia aula, charitate ductus sine calceis, ac seminudus incedens, mendicos pueros alliciens una cum illis sordidas vias ante publicas officinas everrendo victum emendicabat, quo pueri collectitii enutrirentur, & ne animi sordes contraherent, Christianis rudimentis diu noctuque illos imbuere conabatur in diversis ædibus à piis viris illi concessis, quibus deinde anno 1607. post Leonardi mortem domum certam Clemens VIII. assignavit.

Hos itaque Innocentius XII. in ædem de qua sermo est die undecima Februarii anni 1693. induxit, & ne ob loci angustias labores impendiretur, novas ædes excitavit coemptis ad eum finem tribus proximis prædiis, in quibus variis artibus, præsertim lanificio, proprias, aptasque officinas extruxit, ne puerorum numero, artiumque varietate opera perturbato ordine incedendo minori, essent ipsis pueris, & Reipublicæ utilitati; quamobrem duo veluti brachia hinc inde nova ædium fabrica protraxit, eorumque fundamenta posuit in parte orientali die octava Junii anni 1693. die verò 14. Septembris in parte quæ solem respicit occidentem, copiosum etiam aquarum fontem è Ianiculo Colle, ubi aqua à Paulo V. Romam adducta primùm se exonerat, corrivavit, quæ non tantùm opportuno subsidio Artibus est, sed Nautarum solatio, è duplici fonte propè Tyberis ripam emanantes aquas haurientium. Eam Ædem in tabula hic apposita contemplare.


Omnium, quæ hujusque enarravimus monumetum extat in duplici tabula marmorea ipsis ædibus apposita, in quarum prima hæc verba leguntur.

DOMVM HANC A CAROLO THOMA ODESCALCO NOVOCOMIENSI
CANONICO BASILICÆ PRINCIPIS APOSTOLORVM
NVPER INCHOATVM PVERIS PAVPERIBVS
IN RELIGIONE, ET ARTIBVS EDVCANDIS
VT MAGNIFICENTIVS EXCRESCERET, ET VT REM GRATAM
PONTIFICI IN PAVPERES BENEFICENTISSMO FACERET
OBTVLIT INNOCENTIO XII. D. LIVIVS ODESCALCHVS
CÆRÆ DVX EX TESTAMENTO PROTECTOR.

In secunda verò.

PVEROS A LEONARDO CERVSIO, VVLGO LITERATO.
PATERNA IN PAVPERES CHARITATE IAM OLIM COLLECTOS.
VT TEMPVS, QVOD IN VRBE CIRCVMEVNDA AD PIORVM
OPEM EXPOSCENDAM INSVMEBANT
MELIORI DISCIPLINA,
ET MAIORI ARTIVM PROVENTV IMPENDERENT
HOSPITIO APOSTOLICO ADIVNXIT
ET IN HANC DOMVM TRANSVEXIT.
MAGNO PVERORVM, REIPVBLICÆ TOTIVS COMMODO
INNOCENTIVS XII. PONTIFEX MAXIMVS.

His


pag. 624
Ædificium
ædificatu
Alexander Specchi incidit


pa Tiberis ab Innocentio XII
ro alendis pueris egenis

His ultimis verbis consonat inscriptio numismatis ex cap. 5. Jobi accepta, ERIT AEGENO SPES. In ea enim domo quamplurimæ artes exercentur, ac præsertim, quę circa lanas versantur, quibus exerciti à pueris spes suas erigunt ægeni, ejusque sibi artis peritiam comparant, quam deinde adulti exercentes, tum propriæ vitæ, tum Reipublicæ commodo consulere valent; atque his artibus quamplurima vitia, morumque sordes exulant Româ, quibus frequenter otiosos replet turpis egestas. Ut autem hæc bona uberius ex ea domo derivent, viginti quinque nobiles, piosque Viros ejus curæ præfecit Pontifex, quorum vigilantia & consilia, si quid mali irrepat, illico avertant, utilitatem verò, virtutemque omni studio promoveant.

Urget præterea suis conatibus beneficentissimus Pontifex, qui Pauperum, publicumque bonum summis in amoribus habet; sæpè eam ædem invisendo, in qua singulorum labores recognoscit, pietatem pueris insinuat, Religiosis præsidibus animos addit, omnibus optima quæque è Cælo deprecatur, ratus optimum parentem maximè decere, si filios licet minimos, & abjectos paternis oculis respiciat, & Pontificis Summi Majestatem non minui, sed augeri, si mendico manus porrigat, ut sublevet. Quantùm ob hanc pietatem inter Pontifices maximos emicuerit Innocentius XII. pluribus abundè comprobabitur, quæ dicenda supersunt.

VIII

VIRTVS PROMOTA ANNO V.

NUumisma Bononiæ cusum jussu Comitis Bonaventurę Boselli, quod refert virtutem promotam Anno V. Pontificatus ab Innocentio XII. cum scilicet in Consistorio secreto habito die 12. Decembris anni 1695. inter Patres Purpuratos cooptavit duodecim Viros, quorum præclaræ virtutes eam dignitatem merebantur, octo ex illis inter Presbyteros adscripti fuerunt, idest.

Sebastianus Antonius Tanara Archiepiscopus Damascenus apud Cæsaream Majestatem Apostolicę Sedis Nuncius, Patria Bononiensis.
Jacobus Boncompagnus Archiepiscopus Bononię, Bononiensis.
Joannes Jacobus Cavallerinus Archiepiscopus Nicænus apud Christianissimum Regem Apostolicę Sedis Nuncius, Romanus.
Fridericus Caccia Archiepiscopus Mediolani apud Catholicum Regem Apostolicæ Sedis, Nuncius, Mediolanensis.
Thaddæus Aloysius del Verme Episcopus Fanensis, Placentinus.
Frater Thomas Maria Ferrari Ordinis Prędicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister, Manduriensis.
Joseph Sacripantes utriusque Signaturę Referendarius, Narniensis.
Don Cælestinus Sfondratus, Abbas Sancti Galli Ordinis Sancti Benedicti Mediolanensis.
Fr. Henricus Noris, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Sacrę Theologiæ Professor, Apostolicæ Bibliothecę Custos, Veronensis.
Inter Diaconos vero numerati sunt.
Joannes Baptista Spinola utriusque Signaturę Referendarius Almæ Urbis Gubernator. Januensis.
Dominicus Taurusius Sacræ Rotę Auditor, Urbevetanus.
Henricus de la Grange Abbas, Gallus.

His duodecim, veluti Syderibus ob insignes virtutes, excelsaque merita corruscantibus militantis Ecclesiæ Cælum adeo splendide enituit, ut ambiguum sit dijudicare, an potius ea dignitate claritatem promotis addiderit Innocentius, an verò Innocentii prudentia emicuerit, ob eam virtutem Sacra Purpura ab ipso insignitam. Unum profectò Roma sibi suasit, probatumque abundè co-

gonovit ab Innocentio XII. solam virtutem ad Reipublicę munera ad sacras Infulas, aliasque dignitates promoveri, atque tum maxime, cum pleraque officia exerceri vetuit in Romana Curia ab jis, qui non modica auri copia erogata, eadem obtinuerant, unicuique reddens quid quid pro jis administrandis contulerat. Et quamuis omnes in optimo regimine partes suas adimplerent melius tamen consultum duxit esse Reipublicæ, si omni suspicione venalitatis inposterum carerent dignitates, quæ optimè meritis ex eo ordine magistratus solent non raro conferri; quamobrem jure meritò liceat mihi æquissimum Pontificem alloqui verbis ex Plinio acceptis, *amas constantiam civium, rectosque, ac vividos animos, non ut alii, contundis, ac deprimis, sed foves, & attollis. Prodest bonos esse. His honores, his Sacerdotia, his provincias offers, hi amicitia tua, hi judicio florent acuuntur isti integritatis, & industriæ pretio. Tu amicos ex optimis legis, & Hercule æquum est, esse eos charissimos bono Principi, qui invisi malo fuerint.*

Cæterum virtutem numisma repręsentat ea forma, quam recenset in sua Iconologia Cæsar Ripa scilicet venustam adolescentulam alis instructam, hastæ innixam, sinistra manu lauream coronam, in pectore solis imaginem habentem. Pulchra quidem illa est, & à Viro virtus ideo dicitur, quòd virum Virtus maxime honestet, ob id habita ab antiquis pro Dea. Juvenis fingitur, nam virtus senectam non timet, semperque floret vividior. Cum autem virtute pręditi ex hominum consortio ad Cælum usque evehantur, & quodammodò Deo similes evadant, alas proinde ostentat. Hasta, cui innititur, vitutis imperium supra vitia indicat, sol verò in pectore micans, virtutis nitorem explicat, quo humanę affectiones foventur, ut solis splendore Orbis partes universæ. In corona ex lauro compacta, quæ semper vivida, nec ipsa fulmina timet, Virtutis constantiam agnoscimus, in adversis semper florentem, virtuteque præditum virum nihil extimescere, quare Horatius cecinit eleganter.

Justum, & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque auster.
Dux inquieti turbidus Adriæ
Nec fulminantis magna Jovis manus
Si fractus illabatur Orbis
Impavidum ferient ruinæ.

✠ IX ✠


IVSTITAE, ET PIETATI MDCXCV.

INscriptio numismatis hujus exculpta legitur in duabus lapideis tabulis impositis supra duas minores Ianuas magnifici Palatii, quod Innocentius XII. ad publicam commoditatem excitavit, ut in eo cuilibet de suo jure coram Judicibus altercari fas esset, illucque omnes conveniendo acta publica recognoscere facile possent, in certas officinas optime distributa, nec duro labori inposterum obnoxii essent quicumque, causarum patrociniis susceptis, totam penè Urbem pervagari cogebantur, dispersos per eam Judices adeundo, nón sine ingenti clientulorum, pauperumque detrimento.

Tale ædificium numisma ipsum repræsentat, cujus fundamenta Princeps Ludovisius vivente Innocentio X. delineatione Equitis Laurentii Bernini posuerat, sed morte præveniente, haud potuerat ad ultimum fastigium perducere; otiosam idcirco rudemque molem incœptam pretio triginta millium nummorum proprio ære coemit Innocentius XII. die 9. Junii anni 1694. publicisque tabulis descripta fuit emptio à duobus Notariis ad id rogatis, scilicet Antamoro, & Peloso, ut quamprimùm perficetet, dicaretque non tantùm Justitiæ, id est juri dicendo, ut supra enarravimus, sed & Pietati; nam annui proventus, desumendi impo-


pag. 627
DELINEATIO PALATII AE
TORIO


OCENTIO XII IN MONTE CITA
RVCTI
Hieron. Frezza incidit.


Ichnographia
eiusdem
Ædificij
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
Scala Palmorum

PIETATI

ET IVSTITIÆ

pag. in 29

ICHNOGRAPHIA
PALATII
PRO IVRE DICENDO
AB INNOCENTIO XII
IN MONTE CITATORIO
ÆDIFICATI

FONS

uia publica

uia publica

Atrium

inposterum à solutionibus factis ab incolis, quibus ædes illæ locandæ erunt, pro alendis pauperibus insumi decrevit, quibus Pontificium Palatium apud Lateranum addixit, ut infra dicemus. Atque ejusdem decreti monumentum in tabula lapidea externo ædium parieti voluit exculptum his verbis.

PAVPERVM INVALIDORVM HOSPITIO

Vastam hanc, atque excelsam ædificii molem juxta delineationem Bernini absoluit Eques Carolus Fontana, qui atrium addidit in theatri speciem parastatis & loculamentis pro statuis excipendis exornatum, fontem etiam addidit viginti uncias aquæ eructantem, quas jussu Pontificis ex Aquę Felicis ductu in eum locum corrivavit quatuor millium nummorum expensis. Decidentes undas amplum labrum excipit ex lapide Ægyptio, quem dicimus *granito*, efformatum, quod ipse Eques Fontana forte detexit anno 1697. sepultum in littore prope lacunas, ubi antiquitus Trajanus Portus naves excipiebat.

Ut atrium illud Porticibus Palatii coequaret, collem integrum removere opus fuit, qui juxta parietes exurgebant, nec sine magno sumptu, & labore absolutum est opus. Fuerat autem collis ille appellatus *Mons Citatorum*, ut Blondus affirmat, quem antiquitus ascendebant ji, qui in Comitiis publicis post vota enunciata ex Septis exibant; quam Blondi sententiam refutat Nardinus. Andræas Fulvius illum *Citatorum appellatum asserit à citandis tribubus, seù acceptatorium ab acceptandis suffragiis, ac denique collem Septorum à proximis Septis, additque fuisse potius tumulum, quam montem ex agestione terræ manu factum, ex fundamentis, ut creditur, proximæ columnæ cochlidis, quam Antoninam dicimus*. Bartholomęus autem Marlianus *prope columnam* (inquit) *Antonini surgit tumulus, quo Populus Romanus ad creandos magistratus conveniebat, ab eoque Citorus videtur nunc appellari*, „ licet „ sint, & qui ab acceptandis suffragiis, tamquam acceptorium, & qui à pro- „ ximis Septis tamquam septorum nomen obtinuisse velint. Eum autem monti- „ culum, quam hodie videmus ex ruinis amphitheatri Claudii Villæ publicæ, „ aliorumque publicorum ædificiorum, quæ ibi fuisse constat, esse opinamur. Non probat hanc sententiam Nardinus, simulque reiicit vulgi opinionem, sibi suadentis ex ea humo excrevisse, qua Agrippa usus fuisse dicitur in extruendo Panthei tholo ob rationes ab eo expositas, concluditque potius, ex terra factum ex fundamentis proximarum ędium ægesta; ex ruinis vero domorum circumjacentium compactum esse deduxit Pater Franciscus Eschinardus Societ. Jesu de agro Romano scribens, à fundamentis detectis Palatii Ludovisiani, quæ paulò infra planitiem proximi fori posita fuisse recognovit. Ut ut sit de hujusmodi collis origine, *Citatorum*, vel *Citatorium* dictum esse putat supralaudatus Nardinus à voce Præconis, qua centuriæ singillatim citabantur, ut septa ad ferenda vota ingrederentur, quod quidem non nisi, quam ex eminenti loco perfici melius poterat à Præcone inibi tubam inflante, dicente Livio lib. 6. Decad. 3. *Tunc centuria &c. petit à Consule, ut centuriam seniorum citaret, velle se se cum majoribus natu colloqui, & ex authoritate eorum Consules dicere &c.* In eadem sententia sunt Sigonius, & Gruchius. Illos adeat curiosus Lector, Nos ad Innocentii XII. gesta redeamus.

Lib. 6. c. 6.

Fol. 35.

Lib. 5. c. 4.

Pag. 278.

Itaque Innocentius, semper erga pauperes liberalis, hanc excelsam fabricam Mense Februarii anni 1695. incœptam, brevi tempore absoluit expensis unius tantùm anni spatio centum sexmillibus quadrigentis triginta tribus scutis, prout relatum vidi in libro expensarum apud Equitem Carolum Fontanam. Horologium etiam addidit prudentissimus Pontifex, quo tum horæ, tum horarum partes indicantur ob publicam utilitatem; magnoque ære campano signa bis in die dari jussit ad tribunalia aperienda post campanæ sonitum, quę in proximo Collegio Romano Auditores excitat ad studia, quod Gregorius XIII. pro sua in Christianam Religionem, omnesque Nationes charitate, bonis Artibus, ac Societatis Jesu Alumnis à fundamentis extruxit, & dotavit.

Hujus Innocentianæ Ædis Scenographicam descriptionæm exponimus cum ejusdem Ichnographia, in qua delineationem lineis signatam Berninus excogitavit, quę vero punctis nigris obducitur Eques Carolus Fontana complanato colle superaddidit.



X

QVAESTVS MAGNVS CVM SVFFICIENTIA.

Aliam ędificii molem publicæ commoditati condidit Innocentius pretio insumpto plusquam quinquaginta millium, centum, ac triginta trium scutorum, in qua merces, terrestri itinere Romam aduectę reponerentur, donec soluto vectigali, suas quisque optime servatas indè auferret. Quam commode cellas omnes in eum finem pernecessarias dispoſuerit sagax Architectus Eques Franciscus Fontana Caroli Filius ex apposita Ichnographia clare apparebit, quam sequenti explicatione illustramus.

A Atrium est, in quo Sarcinis Equi, Currusque exonerantur.
B Aula, in qua Custodes morantur, & vectigalia solvuntur.
C Telonium, cui assident Tributorum Collectores.
D Cubiculum, in quo moratur vectigaliorum Gubernator.
E Cubiculum, in quo plurimæ merces custodiuntur.
F Cubiculum, in quo merces ex lana publico sigillo notantur.
G Aula, in qua mercium sarcinæ asservantur.
H Cubiculum, in quo exigitur vectigal pro carnibus.
I Cubiculum, in quo solvuntur vectigalia vini ab exteris Romam advecti.
K Cubiculum, in quo solvitur vectigal pro mercibus laneis.
L Cubiculum, in quo soluitur vectigal pro frumento.

In contignationibus superioribus ædes extructæ sunt, ubi Telonarii, tributorum Collectores, aliique ad vectigalia exigenda, vel recensenda addicti, commodè commorantur.

Ortographicam vero delineationem in tabula alia exposui, quæ frontem ejusdem ædis ostentat, columnis undecim, iisque striatis exornatam cum coronicę juxta leges Ordinis Corinthii affabre elaboratis. Reliquias illas esse antiquæ Basilicæ ab Imperatore Antonino Pio extructę, eamque exornatam fuisse quadraginta duabus similibus columnis referunt aliqui. Negat tamen Nardinus, eam ab Antonino extructam sed ab Agrippa in honorem Neptuni excitatam ait ex Dione, & Spartiano; forum ubi tales columnæ, sunt vulgo dicebatur *Piazza di pietra*, quod nomen à fragmentis lapidum dirutę Basilicę ortum fuisse affirmat Flaminius Vacca; Martinellus tamen cum Fulvio Ursino putant corruptum nomen esse ab alio italico nomine, quo dicebatur *Piazza di Preti* ob Nosocomium in quo pauperes Sacerdotes hospitabantur. Horum loco decursu temporis Virgines Deo oblatæ in eadem Domo habitarunt,& forum ampliavit Alexander VII. ædes, de quibus sermo est septem tantummodo mensium spatio extruxit Innocentius, ut pauperibus alendis annui census ex locatione earumdem provenientibus inservirent. Hujus beneficentiæ monumentum extat his verbis in porticu ædis expressum.

Eschinardus in Agr. Rom. pag. 28.

Lib 6. c. 9.

Pag. 1 8.

HOSPITII APOSTOLICI PAVPERVM INVALIDORVM.

Tale ædificium numisma refert, quod anno Pontificatus V. vulgatum est, in quo tamen adiectæ sunt statuę columnis adhuc non impositę, signa sunt undecim Provinciarum, quę ditioni Pontificię tributarię subjiciuntur, scilicet Avenionensis, Flaminię, Patrimonii, Latii, Sabinę, Bononiensis, Ferrariensis, Urbinas, Umbrię, Picæni, & Beneventana.

Inscriptio numismatis verbis constat, quę Divus Paulus Timotheo scripsit, idest QVAESTVS MAGNVS PIETAS CVM SVFFICIENTIA, in quibus est correctio quædam

Epist. 1. c. 6 t. i.


Ædificium ab Innocentio
XII extructum
pro mercibus Romam aduectis
uia terrestri


pag. 426

quędam juxta Cornelium à Lapide. Cum enim dixerit Apostolus Hæreticos existimare quæstum esse pietatem, hic quasi seipsum corrigit, quasi diceret. Imo verò ego ipse dicò quod vere quæstus magnus sit pietas, sed alio sensu, quam Hæretici idipsum dicunt; illi enim pietate abutuntur ad quæstum, & opes corrodendas; ego vero dico magnum quæstum esse pietatem in se ipsa cum sufficientia, ideft si conjuncta sit sufficientię, sive animo sibi sufficienti, ideft sua sorte contento, quem parit ipsa. Rursum sufficientia (inquit idem Auctor doctissimus) proprie, & ample capi potest sic *vere magnum lucrum est pietas*; affert enim secum quidquid homini satis est. Ita Maldonatus in notis M. S. *Quæstus* ergo *magnus est pietas*, quia opes supernaturales secum adfert, & amicitiam Dei, quę opes Cælestes piis præparat, & promittit. Rursum sufficientia jam dicta magnus est quæstus, & thesaurus, quia is, cui sua parva, & pauca sufficiunt, nec plus cupit habere, hic dives, hic fœlix est, unde Ausonius *quis dives? qui nil cupiat. Quis Pauper? Avarus*. Qui enim adhuc aliquid concupiscit non habet satis, ac consequentur dives non est. Sic dicit Divus Paulus falso isti falsi Doctores arbitrantur, quæstum esse pietatem, ideft Christianam Religionem rem esse per se inutilem, & insufficientem, nisi ad quæstum, & turpe lucrum referatur, ut ipsi referunt, ego plane contrarium censeo, scilicet veram pietatem conjunctam cum sufficientia, & quiete animi quæstum esse maximum, sic Divus Paulinus, qui se èx opulento pauperem effecit, ut suos Cives redimeret, vere dives effectus est, nam ut de eo narrat Sanctus Augustinus libro primo de Civitate cap. 10. Cum Barbari Nolam vastarent, sic corde Deum precabatur. *Domine non ego excrucior propter aurum, ubi enim sint omnia mea tu scis*. Ibi enim inquit Sanctus Doctor. Habeat omnia sua Paulinus ubi eum condere, & thesaurizzare Christus noverat.

Potest insuper sufficientia accipi, quasi tam inopiæ, quàm copiæ opposita pro rebus ad vitam necessariis, & sufficientibus, quod petiit Salomon Prover. 30. *Mendicitatem*, dicens, *& divitias ne dederis mihi, tribue tantùm victus meo necessaria*. Hoc modo hic accipi posse sufficientiam indicant verba quę sequuntur, ac præsertim quod ait *habentes alimenta & quibus tegamur his contenti sumus*. „ Moraliter Sanctus Chrysostomus homil. 79. in Joannem. Nonne (ait) in hoc ab „ Angelis differimus, quod ipsi non egent, ut nos igitur quantò paucioribus in- „ digemus, tantò magis Angelis appropinquamus, quantò pluribus, tantò ma- „ gis ad hanc caducam vitam deflectimus.

Hæc omnia optime callens Sanctissimus Pontifex Innocentius ejusmodi verba numismati proposito inscribens, eorum audaciam retudit, qui diram auri sitim animo Pontificio inesse præcipiti ausu suadere sibi auderent, dum pro vectigalibus exigendis novas ædes cernerent excitari; si eas Innocentius extruxit, ad publicam commoditatem hoc egit, ac Pauperum invalidorum bonum, pro quibus alendis pecuniam in conducendis alienis domibus profusam, tamquam dotem perpetuam addixit.

✠ XI ✠

IMPETVS LAETIFICAT.

Quartum ędificium à Pont. Innocen. XII. excitatũ in numismate fuso ostenditur cum imagine senis aquam è vase effundentis, qui fluvium Tyberim indicat. Fundamenta enim habet tale ædificium prope Urbis Portam, quam dicimus *Portuensem* in ripa Tyberis, cujus aquę ædificium versus decurrunt per mediam Urbem jam devolutę, non verò (ut Sculptor effinxit) in contrario situ ab vrna senis effusę; sed errorem diluit imperitia; ex eadem ratione apictum lemma mihi suadeo, quod potius ænigma vocaverim. Quid enim significare voluerit ejus Author prorsus ignoro, nec umquam conciliare potui cum re expressa ejusmodi inscriptionem, quę utrum sit ei incongrua lector indicabit.

Ejus ædificii imaginem in lamina delineatam damus, ut etiam Roma absentibus

tibus pateat adamuſſim expreſſa. Eminet ſupra porticum imago Salvatoris cum addita inſcriptione.

HOSPITII APOSTOLICI
PAVPERVM INVALIDORVM.

Proventibus enim ex locatione ejus cubiculorum emanantibus Pauperes aluntur, ſicuti in numiſmate ſuperiori dictum eſt; locantur autem exigentibus vectigalia mercium, quę in Urbem ab Exteris per fluvium Tyberim allatę, in eodem ędificio deponuntur. In eo excitando providus Pontifex, publicę etiam utilitati conſuluit; nam cum antea in loco humiliori merces ſervarentur, Tyberi non rarò intumeſcente, ob quarum illuvionem naufragii damnis etiam inter parietes & ſub tectis ſubiacebant, nunc eminentiori in littore ſervatę à fluminis inundatione ſunt immunes, copioſo quamvis aquarum acceſſu intumeſcat. Ædificii ichnographiam, quam hic ſubiicimus ſequens indiculus explicabit.

A Porticus.
B Aula, in qua cuſtodes morantur, & vectigalia ſolvuntur.
C Telonium, cui aſſident tributorum collectores.
D Menſa pro Gubernatore.
E Cubiculum, ubi quamplurimæ merces cuſtodiuntur.
F Cubiculum ubi ſigillo notantur merces Roma alio deferendæ.
G Cubiculum pro militibus, cuſtodiæ addictis.
H Scalæ, quibus ad ſuperiora cubicula aſcenditur.
I Atrium.
K Aula ampliſſima, in qua mercium ſarcinę ſervantur.
L Porta Urbis dicta Portuenſis.
M Urbis męnia ab Urbano VIII. reſtituta.
N Turris ad Tyberis ripam erecta à Leone IV.
O Tyberis Fluvius.


XII

A DEO, ET PRO DEO.

IN muliere tribus pueris ſociata Charitatem dignoſcimus. E tribus inverſis ollis nummos illa effundit, indicans in lemmate theſauros à Deo acceptos eoſdem pro Deo ſe Pauperibus erogare. Voluit numiſmatis Author in ollis alludere gentilitio ſtemmati Pontificis, ejuſque eximiam in pauperes charitatem celebrare. Quantùm hæc virtus cæteras ſuperaverit, haud paucis poteſt ſatis explicari; immenſa auri copia, quam in excitandis ædificiis, ſupra indicatis inſumpſit pauperum invalidorum bono, illam commendat. Ingens pecuniarum vis quamplurimis Religioſorum familiis erogoavit, eamdem concelebrat; eleemoſynę, quas è proprio patrimonio egentibus familiis diſtribuit, quibus virginum honeſtatem in tuto poſuit aluitque fame oppreſſos cibis, etiam propriæ menſæ ſubtractis, abundanter confirmant; optimè ſibi ſuadens, Pontificias opes à Deo ſibi tributas, ut ſolos pauperes ob Dei largitoris amorem ditaret. Ob id Summi Sacerdotis munus non arte, ſtudioque quæſitum, ſed ſponte oblatum ità excepit ut nihil proprię cupiditati totum alienę utilitati deberi exiſtimarit, neque ab hoc onere privatas opes ſuas immunes eſſe voluit, non enim eas ſervavit, ſumens ex communi ærario, unde menſam Pontficiam inſtrueret, ſed in ærarium contulit, ut ex illis viveret; vixit de ſuo, donec omne patrimonium conſumptum omnino fuit, ut de Pontificiæ dignitatis redditibus interim viverent ejus Subditi.

SINVM

Ichnographia eiusdem Ædificij




Ædificium prope Tiberim pro Mercibus
Romam aduectis ab Innocentio XII exctructum


pag. 630.
Hieron. Frezza incidit

✠ XIII ✠

SINVM SVVM APERVIT EGENIS.

EAmdem Innocentii charitatem Pellicani Symbolo explicuit in hoc alio numismate fuso sine ulla publica authoritate privatus Artifex, aptè quidem ad illam significandam, sed aliena à veritate expressione; constat enim, ut alibi diximus, & historicorum narratione comprobatum est, Pellicanum è suo pectore rostro vulnerato guttas sanguinis emittere, quibus ejus pulli semimortui reviviscunt; non verò copiosum rivum sanguinis emanare, ad quem hauriendum cujuscumque generis volucres accurrant, ut numisma repræsentat. Cæterum Innocentius in Pontificem electus illico jussit, ut omnia sua bona mobilia venderentur, ac distribuerentur in pauperes, propriam pariter bibliothecam Seminario adolescentium Civitatis Neapolitanæ elargitus est; tanta etiam est illi Cameræ Apostolicæ ærarii cura, ut nihil inutile insumi velit, nihilque in seipsum, etiam minimum derivare permittat.

✠ XIV ✠

VOTA PVBLICA.

NUmisma in Germania cusum ab incognito authore, in quo Justitia, & Pax insignia gentilitia sustinent Innocen. XII. cujus electionem publicis votis exoptatum fuisse meritò affirmatur. Nihil ad historiam pertinens illud suggerit, sed ejus stemmatis originem detegit scitu dignissimam.

Sua igitur vetustate Pignatella Familia, ex qua Innocentius ortum habuit maximam redolet Nobilitatem; nam, si audiamus Scriptores de ipsa agentes, ejus gentis primordia in oblivionis tenebris latere ob antiquitatem fatentur. Joannes Antonius Summonte in historia Regni Neapolitani huic Familiæ agnomen cum insigibus ante annum 1102 attributam fuisse affirmat, occasione, qua Gisulphus Neapolitanus strenuus Militum Dux in direptione Imperialis palatii Constantinopolitani, tres ollas abstulit secumque detulit in eximiæ animi fortitudinis signum, quòd interiora palatii intrepidus penetraverit, atque eas Regi Rogerio obtulit. Qua de re ab illa ætate huic nobilissimæ familię stemma tributum est cum agnomine Pignatellæ; nam vox ista italice idem significat, ac latine ollula: hæ tres ollulæ deinde colore nigro in aureo campo sunt expressę.

Aliam parum dissimilem enarrationem recensuit Philadelphus Munos in historia stragis Gallorum à Siculis factę. Refert ille postquam Rugerius Rex arma Constantinopolim intulisset, ulturus injurias ab Imperatore Emanuele Latinis illatas, depopulantibus Militibus Imperialę palatium, Equitem quemdam ex Beneventanorum Ducum prosapia nomine Landulphum ex coquina palatii tres argenteas ollulas fumo denigratas, & stemmate Imperiali ornatas ad Regem asportasse, qui viri animum & fortitudinem admirans, eum quinque triremibus prefecit; ac ollulas tum Landulphi tum Posterorum ejus stemmata decrevit.

Philibertus verò Campanile in sua stemmatum historia narrat in navali quodam conflictu aliquos hujus nobilissimę Familiæ Viros ollulis bitumine, sulphuroque plenis immanem fecisse inimicorum stragem; quamobrem nonnulli ollulas cũ prosilientibus flammulis depictas se vidisse testati sunt. Addit idem Author ex nominum proprietate, nempè Landulphi, & Pandulphi, quæ à Longobardis usurpabantur ducere originem, & quidem à Beneventanis Ducibus, nec desunt qui existimant, à Græcis Familiam hanc ortum habuisse, cum Græci Civitatis Partenopeæ fundatores fuisse existimentur.

Carolus de Lellis Familiarum nobilium Neapolitani Regni Scriptor opinionem suam

suam exponit, scilicet ex tanta sententiarum varietate hujus Familiæ nobilissimam originem deduci, quippe Familię omnes, quorum incerta origo ab antiquis ignoratur, vetustissima sibi vindicant, nobilissimaque primordia.

XV

HAEREDITAS SANCTA.

Bononię cudit hoc numisma peritissimus sculpendi arte Ferdinandus de S. Urbain Aurelianensis, in quo Charitatem sub typo mulieris expressit, pecuniam egenis elargientem, cum inscriptione accepta ex cap. quadragesimo quarto libri Ecclesiastici, ubi laudantur viri, quos *misericordiæ* appellat, dicens HAEREDITAS SANCTA *nepotes eorum*. Optime illa congruit Innocentio XII. erga egenos liberalissimo, quos hæredes Pontificii thesauri à Deo constitutos judicavit, non verò nepotes, aut cæteros sibi affinitate conjunctos. Manebat enim in Pontificis mente alte reposita Constitutio moderatoria donationum, ac distributionum redditnum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel Affines Romani Pontificis, seu eorum loco adlectos, quam edere Innocentio XI. animo fuerat. Idcirco, seposita quacumque ratione, eam firmare decrevit, atque ob id Eminentissimorum Patrum animos ad illam subscribendam disposuit, eamque die vigesima octava Julii publicari jussit. Quamobrem de hoc tanto Pontifice pronunciare meritò possumus quod de Cantuariensi Antistite Thoma celebrat Catholica Ecclesia, idest *non respexit sanguinem, aut carnem, nec ullus in eo humanitatis sensus Pastoralis Officii constantiam labefactavit*. Suos proinde hæredes pauperes existimans, haud rejici à se ob sordidam mendicitatem patitur, imo egentibus quibuslibet solatium, auxiliumque afferre satagit. Et vigentibus adhuc contra Christiani nominis hostem bellis, tam Cæsarem, quam Polonię Regem, atque etiam Jacobum Regem Anglię pecunia adiuvit non obstante Pontificis ærarii penuria. Venetos quoque suis armatis adjunctis triremibus contra communem hostem adiumento fuit; quamobrem Sanctissimi hujus Pontificis charitatem bonique publici curam meritò admiramur, cui die, noctuq; non aliud obversatur animo, quam commisso sibi Christiano Populo prodessę.

XVI

EGENOS, VAGOSQVE INDVC IN DOMVM TVAM.
Isa. 58.7.

Innocentianę charitatis perenne monumentum in hoc numismate vulgavit Illustrissimus Præsul Urbanus Giorius Angeli Giorii Cardinalis Nepos, cum in eo Lateranense Palatium expressit, à Sixto V. extructum addita inscriptione quæ verba fert Isaiæ Prophetę EGENOS, VAGOSQVE INDVC IN DOMVM TVAM, *cum videris nudum operi eum &c.* Quam bene huic Divino Consilio paruerit Innocentius ex sequenti enarratione patebit.

Nimium in Urbe excreverat eorum numerus, qui paupertate oppressi victum continuò non tantùm per publicas vias, sed in templis emendicabant. His otiosorum turba se se addiderat, qui ob segnitiem laborare recusantes, publicis privatisque eleemosinis enutriti, egenos invalidos eisdem orbabant, atque orantibus in templis molesti, in domibus importuni, procaces in viis, salutaribus præceptis omnino rudes, in pessima vitia quotidie corruentes, commiserationis loco, iram potius Fidelium provocabant, quorum Advocati apud Deum Pauperes solent esse ut docet Divus Paulinus, non legum Divinarum contemptores: tantę Christianę probitatis jacturę ob mendicitatem exortę remedium afferri Urbs tota exoptabat, sed operis arduitatem humanis viribus superari hud posse, fere omnes ajebant

bant, cum præsertim decreta Sanctissimi Pii V. Gregorii XIII. ac Sixti V. hujusmodi turbam egenorum pessimam eiicere omnino ab Urbe non potuissent; non tamen animo cessit beneficentissimus Pauperum patronus Innocentius Duodecimus, qui Divino fretus consilio, rei arduitatem à se superari posse speravit; quamobrem generosis ausis opus aggrediens, idoneos viros primum selegit; quorum solertiam Christianæ charitatis amor urgeret, secumque suos labores impenderent, ut pari celeritate, ac studio omnia præscriberentur idonea, ad fundationem Hospitii, in quo Pauperes omnes imposterum alerentur, & mendicitate seclusa charitatis Christianæ opera à Divitibus in eorum utilitatem exercerentur.

Duos proinde Societatis Jesu Operarios è Gallia Romam accersivit, quorum studiis Rex Christianissimus plurima hospitia pauperibus aperuit, pari eorumdem commodo, ac publicæ populorum utilitati; quippè variis artibus addicti victum; cum viribus valent, sibi, cæterisque invalidis lucrantur. Fuerunt illi pari zelo, ac doctrina instructi, diuque in missionibus salutaribus versati. Vocabatur alter P. Honoratus Scioran, alter verò P. Andreas Guevar. Suas sententias, suaque consilia pluries illi protulere in Conventu cæterorum, quibus Pontifex opus perficiendum imposuerat, multaque post diuturnam disceptationem rationibus in diversas partes agitatis, sancita sunt, quæ in praxim redigi posse decreverunt, tum ad pauperum directionem utilia, tum ad eos alendos pernecessaria. Unum tamen, quod maximus obex judicabatur, superari necesse erat circa locum, in quo adeo ingens in Urbe commorantium multitudo collocanda erat, ut certis legibus alicujus moderatoris subjacerent, & sine confusionis periculo dirigi commodè possent, bonosque mores erudiri; tanta enim erat mendicorum turba, ut non domus unicæ, sed Urbis quodamodo integrę ad eos excipiendos opus esse videretur. Verùm obicem superavit magnanimus Innocentii animus, qui consilii Divini memor, dicentis, *frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam*. Pontificium Palatium apud Basilicam Lateranensem Egenis perpetuo addixit, vocavitque.

PAUPERUM INVALIDORUM HOSPITIUM.

Addiditque se pauperes omnes in proprium cubiculum libentissime, si fas esset, excepturum, ut eos sua mensa enutriret.

Hoc præclarę pietatis Decreto Pontificia manu firmato amplissima ejus Palatii cubicula in commodam pauperibus habitationem redacta primò sunt, additęque officinæ pernecessariæ, ne quid deesset ad communes labores, actionesque opportunum, deindè etiam Villam Palatio proximam Pontificio ære coemptam, ut in ea relaxare animum possent, pari liberalitate Innocentius donavit, atque pro annua pensione ad eos pauperes alendos plusquam triginta millia aureorum addixit.

In eo igitur collocati sunt pauperes viri, mulieres, ac puellæ (pueri verò in æde in ripa Tyberis extructa, ut diximus) qui omnes novis ac similibus vestibus induti eodem die longissima supplicatione, cruce pręlata bini bini ad Lateranum pocesserunt, effundente interim præ lætitia lachrymas Romana Urbe, quæ Innocentii XII. charitatem eximiam laudibus extollens, Divinam providentiam veluti miraculis comprobatam venerabatur.

In ædibus adeo magnificis inclusi pauperes variis artibus sunt addicti, ne otio torpentes vitia foveant, ac pietatis studio operam dantes, cura optimorum Directorum Chrstianis rudimentis imbuuntur, ut honestam pariter, & tranquillam vitam traducant. Pauperibus verò qui matrimonio impediti, seù morbo aliquo insanabili in tale hospitium admitti non potuerunt, congruas eleemosinas Pontifex assignavit, quę semel in hebdommada iisdem distributa, aliam ostiatim emendicare vetabat. Ut verò pium hoc opus in dies semper magis ecresceret, regulas, & statuta confici præscripsit, quibus tum hospitii Gurbernatores, ac famuli, tum pauperes ipsi obsequerentur. Extant illa typis Camerę Apostolicæ impressa anno 1693. ab ipso Summo Pontifice probata, quæ supralaudati duo

Patres Societatis Jesu excogitarunt, qui etiam in libello anonimo, cui titulus *la mendicità proveduta nella Città di Roma cell' ospitio publico fondato dalla pietà e benificenza di Nostro Signore Innocentio XII.* aptas responsiones eddiderunt quadraginta obiectionibus, quæ contra ejusmodi fundationes solent à nonnullis excogitari.


Itaque Innocentii XII. charitas summis laudibus celebranda ob tale hospitium pauperibus addictum, quod opus majus videri debet, quàm vallo Civitates munire, portus, & navalia ædificare, & similibus terrenę magnificentiæ exemplis sui memoriam Posteris prodere; Hoc enim hospitandi genere amor communis augetur, charitatis vinculo arctissimo externę gentes colligantur, ac religio nostra non modò apud nos retinetur, sed in locis à nobis remotissimis & disseminatur, & alitur.

Hæc agendo Innocentius memoriam retulit Sancti Pontificis Zachariæ, qui (referente Anastasio) statuit, *ut crebris diebus alimentorum sumptus, qui & eleemosina usque nunc appellatur de venerabili Patriarchio, à Paracellariis pauperibus, & peregrinis, qui ad Beatum Petrum morantur deportari, eisque erogari. Nec non & omnibus, & inopibus, & infirmis per universas Regiones istius Romanæ Urbis costitutis eamdem similiter distribui ipse alimentorum constituit eleemosinam.* Ac eamdem pietatis decora ipse transtulit, quibus Sanctus Pontifex Simmachus emicuit, quo ex eodem Anastasio hæc habemus. „ Decernens ejus ter beatitudo, „ atque promulgans sub validissimis obligationibus inter ditionibus, ut omni „ die centum Fratres Nostri Christi pauperum etiam si plures fuerint aggregentur „ in Lateranensi Patriachio, & constituantur in porticu, quę est juxta scalam, „ quæ ascendit in Patriarchio, ubi & ipsi pauperes depicti sunt, & quinquaginta „ panes pens. per unum quemque panem libras duas, simulque, & decimatas „ vini duas, pensante per unamquamque decimatam libras sexaginta, & caldaria „ plena de pulmento erogentur omni die per manus unius fidelissimi paracellarii „ ejusdem pauperibus, accipiens unusquisque eorum portionem panis atque „ portionem vini, idest cuppam capientem calices duos necnon, & carnium „ de pulmento, ità videlicet statuens ejus almifica beatitudo promulgavit una „ cum Sacerdotali Collegio, ut in nullis aliis utilitatibus ex frugum redditibus „ vel diversis periculis ante fatæ domo cultæ erogetur, aut expendatur, nisi „ tantummodo in propriis, & quotidianis alimentis prædictorum fratrum „ Nostrorum Christi pauperum cuncta proficiant, atque perenniter erogentur; „ hucusque Anastasius.

Mirata est Posteritas Antonini liberalitatem expressam in nummo relato à Patre Pedrusio, cum, ut beneficus pauperibus esset, (referente Julio Capitolino) *Salaria multis subtraxit, quos otiosos videbat accipere, dicens, nihil esse sordidius, imò crudelius, quam si Rempublicam ji arroderent, qui nihil in eam suo laborem conferrent.* Balnea ille sua in publicum usum aperiri jussit, atque proprias opes adeò profusa liberalitate egenis impertiebatur, ut à Faustina uxore, tamquam inepte prodigus argueretur, verùm sapienter reprehensionem elusit, cum ait, *se ob imperium acceptum suarum opum Dominium amisisse.* Justius mirabuntur Posterorum ætates Innocentii XII. erga pauperes beneficentiam; Antoninus enim ob quandam elati animi jactantiam, inanisque gloriæ cupiditatem opes suas profudit. Pauperes verò ob Dei amorem dilexit Sanctissimus Pontifex Innocentius.

Num. 6. pag. 170.

Faustino Dolce in vit. Imp.



BEATVS,

❦ XVII ❦

BEATVS, QVI INTELLIGIT SVPER EGENVM, ET PAVPEREM.

BEatitudinem, quam Regius propheta auguratur in lemmate hujus numismatis fruiturum esse Innocentium XII. spem facit audientia publica, in eodem numismate expressa, in qua Pontifex cuicumque è Populo benignas aures præbet. A primo enim suscepti Principatus die cum Civibus suis, quasi cum liberis parens conversari cœpit, nulla hominum conditione à conspectu suo seclusa, nec divites tantùm, & in dignitate constitutos, sed statis diebus miseros quoque, ac pauperes ad pedes suos admisit, ut indigentium necessitatibus occurreret, eorumque mierias sublevaret, aures suas omnibus credens, ut omnibus beneficia impertiretur, nec Urbi tantùm sed Orbi quoque Catholico curam, sollicitudinemque suam impendit.

❦ XVIII ❦

SED MAIOR CHARITAS.

TRes ollas Puer festivus sustinet ardentes, quarum media flammas vehementiores emittit. Insignia gentilitia Innocentii XII. dum in illis exprimuntur, ejusdem præclarę virtutes explicantur, quibus semper effulsit, quas inter major charitas splendidius emicuit, quæ in superioribus numismatis exposita sunt illam satis declarant. Ex ære fuso tale numisma vulgavit Mediolani incognitus Author. Servatur in Musæo Eminentissimi Cardinalis Carpinei.

❦ XIX ❦

INNOCENTIVS XII. VNIVERSAE ECCLESIAE PONTIFEX MAXIMVS.

SAVVS CARDINALIS MELLINVS VRBEVETANAE ECCLESIAE EPISCOPVS.

❦ XX ❦

IN INNOCENTIA, ET SAPIENTIA FVNDATA ANNO DOMINI M DC XCIII. DE MENSE IVNII IN TERRA VVLSINI.

UTramque faciem numismatis proponimus, quod cudi Romæ curavit Eminentissimus Cardinalis Savus Millinus Episcopus Urbevetanus, ut monumentum esset Templi, in oppido Vulsini extructi eleemosinis, tum Innocentii XII. Pontificis, tum piorum virorum, in honorem Sanctissimæ Eucarestię, ob prodigium, quod ibi accidit anno millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, cujus brevem enarrationem exponimus ex oculatis, ac fidelissimis testi-

bus acceptam; sed ante in memoriam revocandum est prodigium, quod anno 1264. ibidem in Templo Sanctę Christinę dicato accidit, rei series à Ciacconio his verbis ennunciatur. *Tom. 2. col. 148.*

Dum Presbyter quidem Sacra Missarum solemnia celebraret, Sacramento jam perfecto de panis, & vini transubstantiatione, & Christi Corpore dubitavit, unde statim (dictu, & auditu mirum) ex sanctissima, quam in manibus tenebat Hostia vivus Sanguis emanare cœpit, qui totam mappam, quam *Corporale* vocant tinxit. Quo miraculo attonitus Pontifex Urbanus IV. Corporale primùm ad se ab Episcopo loci illius cum processione Urbemveterem transferri voluit, & illud, solemnitate instituta in Ecclesia Urbevetana recondidit. In cujus postea memoriam Cives Urbevetani tunc ditissimi, & potentes nobilissimum Templum Deo, & Beatæ Virgini Marię à fundamentis construere cœperunt, tanta mole apparatu, & impensarum magnitudine celebre, ut nullum in toto terrarum Orbe tunc ei potuerit comparari. Cæterum non nisi vigesimo quinto anno, post Christi verò 1290. factum fuit Nicolao IV. Pontifice Maximo, qui eodem duodecima die Novembris primum lapidem in maximi, & Augustissimi Templi fundamentis, Cardinalibus cum omni Romana Curia, multis Peregrinis, Prælatis, Episcopo Civitatis, Clero, Magistratibus, & universo Urbevetano Populo adstantibus; post celebres supplicationes habitas solemniter, posuit. In quo celeberrimo Templo cum perfectum penè fuisset, postea Sanctum Corporale collocatum est in Altare, & Tabernaculo ad illud conservandum elegantissime fabrefactis. Hæc ex supradicto Ciacconio, & ex Panvinii annotatione in Platinam ad Urbanum IV. desumpta.

Vulsinii verò extant adhuc lapides eo pretioso Sanguine tincti, quibus Altare extructum erat, supra quod ex Sacrosancta Hostia effluxerat. Ante hos cum anno 1693. medicus Urbis, veteris, agnomine dictus Migliorati suas preces effunderet, repente sacro quodam horrore perculsus, circumstantibus affirmabat, suis oculis Vultum Christi patientis recognoscere in sanguineis maculis affabre ad vivum delineatum. Aderant tunc temporis in Templo Eminentissimus Cardinalis Millinus Episcopus Urbevetanus, Illustrissimus Præsul Albergottus ejusdem Urbis Gubernator, plerique multi, qui omnes eamdem imaginem inspexerunt, pias prę gaudio lachrymas non sine magna cordis commotione profuse emanantes. Eadem imago numquam antea ab ullo visa, singulis accedentibus recognoscitur, magnitudinem ungulę humani digiti fere non excedit, sed omnes vultus partes perfecte exhibet spinea corona redimiti, radiisque circumdati.

Ob tale prodigium (& si fortasse antiquum saltem nunquam observatum) ac ob quamplurimas gratias in eo Templo Christifidelibus à Deo concessas, Eminentissimus Cardinalis Millinus, sua, qua viget in Deum pietate, novi, & augustioris Templi fabricam molitus est, in quo lapides Divino Sanguine tincti decentius collocarentur. Ut id citissime perficeretur Innocentii XII. pietas non modicę pecunię summa erogavit, atque 20. Junii Divo Petro Apostolorum Principi dicato Eminentissimus Episcopus ritu solemni primum lapidem posuit; Pontificio habitu indutus, adstante Clero, Urbis Gubernatore, aliisque permultis. In lapide hæc verba insculpta legebantur.

VERE LAPIS ANGVLARIS
PETRA ERAT CHRISTVS
IN DIE PETRI HANC POSVIT PETRAM
SAVVS CARDINALIS MILLINVS,

Adiecta insuper fuerunt numismata similia illi, quod nos delineatum attulimus.



NVNTIA-

XXI



XXII





XXIII





XXIV













XXI

NVNTIATE INTER GENTES.

INter Collegia, in quibus diversarum Nationum Alumni educantur ad Propagandam per Orbem Terrarum Fidei Christianę Religionem, insigne illud est, quod anno 1627. annuente Urbano VIII. Summo Pontifice fundavit Illustrissimus Præsul Joannes Baptista Vives Valentinus ipsi Pontifici familiaris, tributis ex proprio ære pro annuo, perpetuoque censu scutis septingentis, ut in eo exterarum Nationum juvenes ad Sacros Ordines promoti, ritumq; Romanum edocti idonei ad Evangelium promulgandum evaderent operarii. Extat ejus erectionis Bulla sub dat. Kal. Augusti 1627. quę incipit *Immortalis Dei &c.*

Hanc piam fundationem auxit deinde anno 1637. Cardinalis Antonius Barberinus, *Sancti Onuphrii* nuncupatus, ipsius Pontificis Ubani Frater, tributo annuo censu, ut duodecim alii in eodem Collegio alerentur, selectis ex Asiaticis, & Africanis Regionibus, scilicet Georgianis, Persicis, Nestorianis, Jacobiticis, Melchitis, Cophtis, seu Ægyptiis, ut apparet in Bulla ejusdem Urbani VIII., cujus initium est *Altitudo divinæ &c.* eo anno emanata. Tribuit præterea idem Sacrę Romanę Ecclesię Purpuratus Pater alimenta pro aliis tredecim Alumnis ex Ætiopibus, Brachamanis, seu Armenis Populis seligendis, quam fundationem anno 1639. Urbanus VIII. Pontificio diplomate confirmavit, quod incipit *Onerosa Pastoralis &c.*

Ex hoc Pontificio Collegio, quod *Urbanum*, seu *de Propaganda Fide* appellatur, bonarum Artium studiis eruditi ad Patrias Regiones redeunt Alumni, ubi ex ipsorum industriis non modica Fides Christiana recipit incrementa, ac tum pręcipue cum novi Apostolici Missionarii Pontificio jussu accedentes, veluti novis calcaribus admotis, eodem in opere omnes adlaborant.

Quamobrem Fidei Catholicę dilatandę maxime percupidus Sanctissimus Pontifex Innocentius XII. novos Ecclesię operarios mittere decrevit anno 1697. ut amplum Regnum, præcipue Sinarum in Asia, & Æthiopicam Regionem in Africa excolerent falsis dogmatibus expunctis, veręque Fidei Mysteria Idololatras edocendo, Cælesti præeunte luce, viam salutis indicarent. Ut pia hæc vota quamprimum implerentur centum quinquaginta millia scutorum tribuit Innocentius, atque delectis ex diversis Religiosorum Familiis quadraginta operariis, triginta ex illis in Asiam, decem verò in Africam transmisit.

Hanc Sacram Missionem numisma profert, in quo Summus Pontifex Redemptoris in Cruce affixi imaginem ostendens Evangelicis Operariis, ad ipsius pedes procumbentibus, eisdem imperat, ut Christi nomen inter Gentes enuntient ut olim Redemptor suos Discipulos extimulavit verbis à Divo Matthæo relatis *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

Omnem in eum finem suam industriā contulit Illustrifs. Pręsul Carolus Augustinus Fabronus Sacrę Congregationis de Propaganda Fide à Gregorio XV. erectę à Secretis, cui muneri Religionis, ac Fidei dilatandę amor egregie in illo respondet.



OLLA

XXII

OLLA SPEI MEAE.

IN Museo Eminentissimi Cardinalis Carpinei servatum vidi numisma ex fuso ære ab incognito Auctore formatum, in cujus aversa Pontificię imagini parte sub typo mulieris Ecclesiam Romanam exculpsit, hæresim pedibus prementem, ramum olivę, & Crucem dextera habentem, sinistra autem ollam, quam offert Spiritui Sancto specie columbę expresso, adiecto lemmate ex verbis Psalmi quinquagesimi noni OLLA SPEI MEAE, quę verba explicans doctissimus Jacobus de Valentia ait. *Moab factaest olla, idest refectio spei meæ, eo quod de terra Moab veniebant omnia victualia in Hierusalem cum terra Moab esset valde fertilis. Item ait David non solum subieci mihi omnes Populos supradictos, sed etiam in idumeam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt, idest calcabo idumeam sub dominio meo, & ampliabo regnum meum usque ad eam, & alienigenæ, scilicet Philistæi &c.* Hæc omnia sibi auguratur Romana Ecclesia hæresim calcans, & ollam ostentans. Nam in olla tamquam in stemmate Innocentii XII. ipsum Innocentium sibi repræsentat, ac proprias spes sub tanto Pontifice reficiendas, imo explendas omnino, pro certo affirmat.

XXIII

ASSAGGIVM GENERALE.

1699.

NUmisma anno VIII. Pontificatus Innocentii XII. conflatum ex particulis auri, & argenti servatis post probationem monetę, quam singulis annis fieri diximus, antequam in publicum usum erogetur. Superioribus ejus generis numismatibus omnino est simile, & eleganter expressum à perito incisore Ferdinando à S. Urbain.

XXIV

FVNDAMETA FIDEI.

CLaudit numismatum Pontificiorum seriem numisma, quod anno proxime elapso 1698. Innocentius XII. fœliciter regnans die Sanctis Apostolis Petri, & Paulo sacra vulgavit. Eorumdem Apostolorum imaginibus in eo expressis inscriptionem addidit FVNDAMENTA FIDEI. Fuerunt enim Apostoli Ecclesię Dei & Fidei Christianę Fundatores, & fundamenta juxta illud Psalmi 86. *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*, ubi Glossa; *idest Apostolis*, quia omnes Apostoli fundaverunt Ecclesiam in Fide, & Doctrina Christi, sicut fundaverat Apostolus Paulus, qui dicebat in prima ad Corinth. *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi ut sapiens Architectus fundamentum posui* idest juxta Glossam *Fidem Christi non aliam.* (Cap. 2.) (C. 3. 10.)

(Ad Eph. c. 2. v. 20.) „ Hæc enim Domus Dei Sacra, inhærendo metaphorę fabricę (inquit Cornelius noster) Domus sive Templum est Ecclesia, quę ædificata est supra fundamentum Apostolorum, idest supra Apostolos, qui sunt fundamentum Ecclesię; Apostolorum enim Fidei, Doctrinę, Prædicationi, Institutioni, quasi fundamento Ecclesia incumbit, quare dixit D. Paulus *In fundamentum Ecclesiæ positi sunt Apostoli, vos Ephesii, cæterique Christiani illis superadificati estis*, „ & reliquam structuram domus hujus, & Templi completis. Ita Chrysostomus Theophi-

„ Theophilactus, & Augustinus in illud Psalmi, *fundamenta ejus in montibus Sanctis*.

Advertit tamen D. Augustinus Christum esse *Fundamentum fundamentorum*, sive primum, cui ipsi Apostoli, & tota Ecclesia incumbit, Apostolos verò post Christum esse secundum fundamentum, sicut in fundamentis domus sua est latitudo, ut aliud sit imum fundamentum sub terra, aliud superius in ipsa terræ superficie, nec hoc secundum priori officit aut repugnat: aperte id expressit D. Joannes Apoc. 21. videns Sanctam Civitatem Jerusalem, idest Ecclesiam subdit vers. 14. *& murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni*. *In Psal. 86.*


Christus tamen est quasi lapis angularis validissimus, qui continet fundamentum, & structuram totam Ealesiæ, ejusque utrumque parietem, Judæos scilicet, & Gentes ad se conversos ipse quasi medius in se quasi angulo in pacis osculo nectit, & unit; ideo subdit D. Paulus *ipso summo angulari lapide* (scilicet existente) *Christo Jesu*.

Sunt itaque Apostoli Ecclesiæ Fundatores, & Fundamenta, quia, ut cum Alcazario loquar „ admirabilem illam fidei summam ediderunt, & effusi cruoris „ testimonio, nec non prędicatione atque miraculis in hominum animis inserue- „ runt. Diuus tamen Petrus singulari quadam prerogativa post Christum fuit, & & dictus est fidei fundamentum. Ille enim primus inter Apostolos in Nationibus fecit fidei fundamentum, sive ut inquit Beatus Anacletus, Primus ad fidem virtute suæ prędicationis adduxit, ipse enim primos Judæos primos Gentiles post Christi Ascensionem ad Christi fidem couvertit. Has rationes sapientissime innuit in suo numismate Innocentius, ut erga BB. Apostolos Populorum Religionem augeret; plures alias exposuerunt Card. Joannes de Turrecremata lib. 2. de Ecc. cap. 17. & Noster P. Tehophilus Raynaudus de corona aurea super Mitram Romani Pontificis, cujus nitore Innocentius XII. semper Augustus in Cathedra D. Petri ad hanc usque diem clarissimæ effulsit; Effulsit, inquam, non Pontificia tantùm dignitate, sed suis pręclaris virtutibus, quas non modò Romani Cives sed exteri suspexerunt, idest assiduum, & nunquam otio interruptum mentis studium, quo publico bono semper intentus omnium Pater cujuslibet utilitatem prosequitur. Vidimus illum semper aures supplicantium votis perbenigne præbentem, vidimus ingentes pecuniæ thesauros in pauperum utilitatem effundere & Populorum levamini patrimonium quoque ab eo erogatum. Non absimilia imo majora pręclara facinora sanctiores futuri anni dies expectant, quibus nova numismata insignita ejus Nominis ęternitatem futuris ętatibus consignabunt. Fœlix ille vivat. Ejusque fœlicitati nestoreos annos omnium vota adprecantur. *In cap. In novo dist. 21.*



INDEX QUINTUS NUMISMATUM

Eorum Magnitudinem, Materiam, & Annum indicans, & apud quem singula serventur.



MARTINI V.

Ordo	Forma	Materia	Cuf. vel Fuf.	Annus	Possidentes.
I.	4.	Arg.	cusum	1417.	Mola
II.	4.	Arg.	cusum	1417.	Mola
III.	——	Aes	fusum	1417.	Lorenzanus
IV.	5.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
V.	4.	Arg.	cusum	rest.	Mola
VI.	4.	——	——	——	Oldoinus
VII.	——	——	——	——	Tipotius

EUGENIUS IIII.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	4.	Aes	fuſum	——	Scilla
III. IV.	——	Aes	fuſum	1441.	——
V.	4.	Aes	cuſum	1431.	Mola
VI.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
VII.	——	——	——	——	Palatius
VIII.	——	——	——	——	Tipotius

NICOLAUS V.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	4.	Aes	cuſum	1447.	Scilla
III.	4.	Aes	fuſum	——	Lorenzanus
IV.	4.	Aes	fuſum	——	Lorenzanus
V.	——	Aes	fuſum	——	——
VI.	4.	Aes	cuſum	1450.	Mola
VII.	4.	Aes	cuſum	1450.	——
VIII.	——	Aes	fuſum	1454.	Auctor
IX.	——	——	——	——	Tipotius

CALISTUS III.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	4.	Aes	fuſum	——	Mola
III.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
IV.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
V.	——	——	——	——	Tipotius

PIUS II.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
III.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
IV.	2.	Aes	fuſum	——	Mola
V.	4.	Aes	fuſum	——	Mola
VI.	——	——	——	——	Tipotius
VII.	3.	Aes	fuſum	1460.	——

PAULUS II.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
III. IV.	4.	Aes	fuſum	——	Mola
V.	4.	Aes	fuſum	——	Mola
VI.	4.	Aes	fuſum	——	Mola
VII.	1.	Aes	fuſum	——	Brancaccius
VIII.	5.	Aes	fuſum	——	Mola
IX.	4.	Aes	cuſum	——	Auctor
X.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
XI.	4.	Aes	fuſum	1470.	Mola
XII.	4.	Aes	fuſum	1470.	Mola

Ordo	Forma	Materia	Cus. vel Fus.	Annus	Possidentes
XIII.	5.	Aes	fusum	1465.	Mola
XIV.	5.	Aes	fusum	——	Mola
XV.	4.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
XVI.	5.	Aes	fusum	——	Mola
XVII.	7.	——	fusum	——	Lorenzanus
XVIII.	5.	Aes	fusum	1465.	Mola
XIX.	4.	Aes	fusum	——	Mola
XX.	5.	Aes	fusum	——	Mola
XXI.	4.	Aur.	çusum	——	M. D. Etru.

SIXTUS IV.

I. II. }	4.	Aes	cusum	——	Mola
III.	4.	Aes	fusum	——	Mola
IV.	——	——	——	——	——
V.	4.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
VI.	4.	Aes	cusum	1475.	Mola
VII.	4.	Aes	fusum	——	Mola
VIII.	4.	Aes	fusum	——	Mola
IX.	2.	Aes	fusum	1481.	Lorenzanus
X.	4.	Aes	cus. rest.	1475.	Mola
XI.	——	——	——	——	——

INNOCENTIUS VIII.

I. II. }	4.	Aes	cusum	——	Mola
III.	4.	Aes	cusum	——	Mola
IV.	2.	Aes	fusum	——	Mola
V.	——	——	——	——	Tipotius
VI.	4.	Aes	fusum	——	——
VII.	2.	Aes	fusum	——	——

VLEXANDER VI.

I. II. }	4.	Aes	cusum	1492.	Mola
III.	4.	Aes	fusum	1492.	Mola
IV.	4.	Aes	cusum	1500.	Mola
V.	5.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
VI.	3.	Aes	fusum	——	Mola
VII.	——	——	——	——	Tipotius

PIUS III.

I. II. }	3.	Aes	cusum	1503.	Mola
III.	4.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
IV.	4.	Aes	cusum	1503.	Mola
V.	——	——	——	——	Tipotius

JULIUS II.

I. II. }	4.	Aes	cusum	——	Mola

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes.
III.	—	—	—	—	—
IV.	5.	Aes	Cuſum	—	—
V.	3.	Aes	fuſum	—	Mola
VI.	6.	Aes	fuſum	—	—
VII.	5.	Aes	cuſum	1506.	Mola
VIII.	2. 5.	Aes	cuſum	1509.	Mola
IX.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
X.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
XI.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
XII.	6.	Aes	fuſum	—	—
XIII.	2.	Aes	fuſum	1506	Mola
XIV.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
XV.	6.	Aes	cuſum	—	Mola
XVI.	3.	Aes	fuſum	—	Mola
XVII.	—	—	—	—	Mola
XVIII.	—	—	—	—	—
XIX.	—	—	—	—	Tipotius
XX.	6.	Aur.	cuſum	—	—

LEO X.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes.
I. II. }	4.	Aes	cuſum	—	Mola
III.	4.	Aes	fuſum	—	Mola
IV.	4.	Aes	fuſum	—	Mola
V.	4. 5.	Aes	cuſum	—	Mola
VI. VII. }	6.	Aes	cuſum	—	—
VIII.	4.	Aes	fuſum	—	Mola
IX.	5.	Aes	fuſum	—	—
X.	5.	Aes.	cuſum	—	Mola
XI. XII. }	—	—	—	—	Tipot.
XIII.	6.	Aur.	cuſum	—	M. Dux. Etr.
XIV.	—	—	—	—	—
XV. XVI. }	6.	Arg.	cuſum	—	Illuſtr. Ciamp.
XVII.	5.	Arg.	cuſum	—	M. Dux. Etr.

ADRIANUS VI.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes.
I. II. }	4.	Aes	cuſum	—	Mola
III.	4.	Aes	cuſum	—	—
IV.	4. 5.	Aes	cuſum	—	Mola
V.	5.	Aes	cuſum	—	—
VI.	—	—	—	—	Tipotius

CLEMENS VII.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes.
I.	4.	Aes	cuſum	—	Lorenzanus
II. III. }	4.	Aes	cuſum	1525.	Mola
IV.	6.	Arg.	—	—	Mola
V.	4.	Aes	cuſum	an. ij.	Mola
VI.	3.	Aes	fuſum	—	—

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes
VII.	5.	Aes	cuſum	——	Mola
VIII.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
IX.	——	——	——	——	——
X.	5.	Aes	cuſum	——	——
XI.	5.	Aes	cuſum	——	Mola
XII. XIII. XIV.	——	——	——	——	Tipotius
XV. XVI.	5.	Aes	fuſum	——	Lorenzanus
XVII. XVIII.	5.	Aes	cuſum	——	Mola
XIX.	5.	Aes	cuſum	——	Eq. Car. à Puteo
XX.	5.	Aur.	cuſum	——	March. Raggius

PAULUS III.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes
I. II.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
III.	5.	Aes	cuſum	——	Mola
IV.	4.	Aes	cuſum	——	——
V.	5.	Aes	cuſum	——	Mola
VI.	——	——	——	——	——
VII.	4.	Aes	fuſum	——	Lorenzanus
VIII.	——	——	——	——	——
IX.	——	——	——	——	——
X.	5.	Aes	cuſum	1538.	Mola
XI.	4.	Aes	fuſum	——	Lorenzanus
XII.	4.	Aes	cuſum	an. xvj.	Mola
XIII.	4.	Aes	cuſum	an. xvj.	Mola
XIV.	——	——	——	——	——
XV.	——	Aes	cuſum	1550.	——
XVI.	5.	Aes	fuſum	——	Lorenzanus
XVII.	5.	Aes	cuſum	an. xvj.	Mola
XVIII.	6.	Aes	cuſum	an. xiij.	Mola
XIX.	4.	Aes	cuſum	an. xvj.	Mola
XX.	6.	Arg.	cuſum	——	Magn. Dux Etrur
XXI.	5.	Aes	fuſum	an. xvj.	Mola
XXII.	5.	Aes	cuſum	——	——
XXIII.	——	——	——	——	——
XXIV.	——	——	——	——	——
XXV.	5.	Aes	cuſum	——	——
XXVI.	6.	Arg.	cuſum	an. xiiij.	Mag. Dux Etrur.
XXVII.	5.	Aes	cuſum	an. xvj.	Mola
XXVIII.	——	——	——	——	——
XXIX.	2.	Aes	fuſum	——	Mola
XXX.	——	——	——	——	——
XXXI.	——	——	——	——	——
XXXII.	——	——	——	——	——
XXXIII.	3.	Aes	fuſum	an. xii.	Mola
XXXIV.	——	——	——	——	——
XXXV.	——	——	——	——	——
XXXVI.	5.	Arg.	cuſum	——	——
XXXVII.	——	Arg.	——	——	——
XXXVIII.	5.	Aes	cuſum	——	Silvius Renzius
XXXIX.	4.	Aes	cuſum	——	Princ. Juſtinianus
XL.	6.	Arg.	cuſum	——	Mag. Dux Etrur

Julius

JULIUS III.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	5.	Arg.	cuſum	1550.	Mag. Dux Etrur
III.	4.	Aes	cuſum	1550.	Mola
IV.	6.	Aes	cuſum	1550.	Mola
V.	4.	Aes	cuſum	1550.	Lorenzanus
VI.	6.	Aes	cuſum	——	——
VII.	4.	Aes	cuſum	1550.	Mola
VIII.	5.	Aes	fuſum	——	Lorenzanus
IX.	6.	Aes	cuſum	an. v.	Mola
X.	——	——	——	——	——
XI.	6.	Arg.	cuſum	an.iij.	Mag. Dux.Etrur.
XII.	——	——	——	——	Mola
XIII.	6.	Aes	cuſum	an. v.	Mola
XIV.	5.	Aes	cuſum	——	Molà
XV.	4.	Aes	cuſum	an. v.	Mola
XVI.	7.	Aes	cuſum	——	——
XVII.	6.	Aes	cuſum	——	Lorenzanus
XVIII.	5.	Aes	cuſum	——	Mola
XIX.	7.	Aes	cuſum	——	Lorenzanus
XX.	6.	Aes	fuſum	——	
XXI. XXII. XXIII.	2.	Aes	fuſum	——	Mola
XXIV.	5.	Aes	cuſum	an. iv.	Mola
XXV.	——	——	——	——	——
XXVI.	4.	Aes	cuſum	——	——
XXVII.	3.	Aes	fuſum	an.iv.	Scilla
XXVIII.	5.	Arg.	cuſum	——	Mag. Dux Etrur.
XXIX.	6.	Aes	cuſum	1550.	——
XXX. XXXI.	5.	Arg.	cuſum	——	——
XXXII.	——	——	——	——	——

MARCELLUS II.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	6.	Aes	cuſum	an. j.	Mola
III.	1.	Aes	fuſum	——	Mola
IV.	4.	Aes	fuſum	——	Mola
V.	5.	Aes	cuſum	——	——
VI.	3.	Aes	fuſum	——	——
VII.	——	——	——	——	Tipotius

PAULUS IV.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	4.	Aes	fuſum	——	Mola
III.	6.	Aes	cuſum	——	Mola
IV.	5.	Aes	cuſum	an. v.	Mola
V.	6.	Aes	cuſum	——	——
VI.	——	——	——	——	——
VII.	5.	Aes	cuſum	——	——
VIII.	1.	Aes	fuſum	——	Mola

IX.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes
IX.	5.	Aes	cuſum	—	—
X.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
XI.	5.	Aes	cuſum	—	Lorenzanus
XII.	1.	Aes	fuſum	—	Mola
XIII.	—	—	—	—	—
XIV.	6.	Aes	cuſum	an. j.	Mola
XV.	2.	Aes	fuſum	—	Lorenzanus
XVI.	—	—	—	—	Tipotius
XVII.	moneta	Arg.	cuſa	—	—

P I U S I V.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes
I. } II. }	4.	Arg.	cuſum	— —	— —
III.	4.	Aes	cuſum	—	—
IV.	1.	Aes	fuſum	—	Mola
V.	5.	Aes	cuſum	—	—
VI.	—	—	—	—	—
VII.	6.	Aes	cuſum	—	Lorenzanus
VIII.	5.	Aes	fuſum	—	Mola
IX.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
X.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
XI.	4.	Aes	cuſum	—	Mola
XII.	6.	Aes	cuſum	—	—
XIII.	3.	Aes	cuſum	—	Mola
XIV.	6.	Aes	cuſum	—	Mola
XV.	6.	Aes	cuſum	—	Mola
XVI.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
XVII.	5.	Aes	cuſum	—	Lorenzanus
XVIII.	5.	Aes	cuſum	—	Lorenzanus
XIX.	5.	Aes	cuſum	an. iij.	Mola
XX.	5.	Aes	cuſum	—	—
XXI.	—	—	—	—	Mola
XXII.	5.	Aes	cuſum	—	
XXIII.	—	—	—	—	—
XXIV.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
XXV.	—	—	—	—	—
XXVI.	—	—	—	—	—
XXVII.		Aes	cuſum	—	Mola
XXVIII.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
XXIX.	7.	Aes	fuſum	—	Lorenzanus
XXX.	7.	—	—	—	Tipotius
XXXI.	—	Aes	cuſum	an. j.	Mola
XXXII.	3.	Aes	fuſum	—	—
XXXIII.	5.	Aes	cuſum	—	Mola
XXXIV.	5.	Aes	cuſum	—	—
XXXV.	5.	Aur.	cuſum	an. j.	Mag. Dux Etru.
XXXVI.	5.	Arg.	cuſum	—	Mag. Dux Etrur.
XXXVII.	6.	—	cuſum	—	Mola
XXXVIII.	7.				

P I U S V.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes
I. } II. }	5.	Aes	cuſum	—	Mola
III.	6.	Aes	fuſum	—	Lorenzanus

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
IV.	4.	Aes	cuſum	an. vi.	Mola
V.	6.	Aes	cuſum	———	Mola
VI.	6.	Arg.	cuſum	———	Mag. Dux. Etr
VII.	4.	Aes	cuſum	an. vi.	Mola
VIII.	4.	Aes	cuſum	———	Mola
IX.	4.	Aes	cuſum	an. v.	Mola
X.	5.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
XI.	5.	Aes	cuſum	an. vi.	Mola
XII.	4.	Aes	cuſum	1571.	Mola
XIII.	4.	Aes	cuſum	an. v.	Mola
XIV.	4.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XV.	6.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XVI. XVII.	6.	Aes	cuſum	———	Mola
XVIII.	5.	Aes	cuſum	1571.	Mola
XIX.	6.	Aes	cuſum	———	———
XX.	6.	Aes	cuſum	———	Mola
XXI.	4.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XXII.	6.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XXIII.	6.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XXIV.	6.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
XXV.	———	———	———	———	———
XXVI.	4.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XXVII.	3.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
XXVIII.	5.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
XXIX. XXX. XXXI. XXXII.	———	———	———	———	Tipotius
XXXIII.	———	———	———	———	———
XXXIV.	5.	Aes	cuſum	———	Mola
XXXV.	5.	Aes	cuſum	———	S. Urbain.

GREGORIUS XIII.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I.	5.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
II. III.	5.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
IV.	5.	Aes	cuſum	1583.	Mola
V.	5.	Aes	cuſum	an. iv.	Mola
VI.	5.	Aes	cuſum	———	Mola
VII.	5.	Aes	cuſum	1583.	Mola
VIII.	5.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
IX.	4.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
X.	4.	Aes	fuſum	———	Mola
XI.	4.	Aes	fuſum	———	Mola
XII.	6.	Aes	cuſum	———	———
XIII.	1.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
XIV.	6.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XV.	5.	Aes	cuſum	———	Mola
XVI.	3.	Aes	fuſum	———	Mola
XVII.	4.	Aes	cuſum	1575.	Mola
XVIII.	5.	Aes	cuſum	1575.	Mola
XIX.	4.	Aes	cuſum	an. iij.	Mola
XX.	5.	Aes	cuſum	an. iij.	Mola
XXI.	4.	Aes	cuſum	an. 1575.	Mola
XXII.	5.	Aes	cuſum	1575.	Mola

XXIII.

Ordo	Forma	Materia	Cus. vel Fus.	Annus	Possidentes
XXIII.	3.	Aes	fusum	1575.	Mola
XXIV.	5.	Aes	cusum	——	——
XXV.	5.	Aes	fusum	an. viii.	Mola
XXVI.	6.	Aes	cusum	——	——
XXVII.	6.	Aes	cusum	an. i.	Mola
XXVIII.	4.	Aes	cusum	1583.	Mola
XXIX.	5.	Aes	cusum	an. viij.	Mola
XXX.	5.	Aes	cusum	——	Mola
XXXI.	4.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
XXXII.	4.	Aes	fusum	1575.	Mola
XXXIII.	5.	Aes	cusum	——	Mola
XXXIV.	5.	Aes	cusum	——	Mola
XXXV.	4.	Aes	cusum	——	Mola
XXXVI.	4.	Aes	cusum	——	Mola
XXXVII.	4.	Aes	fusum	an. viij.	Mola
XXXVIII.	5.	Aes	cusum	an. ii.	Mola
XXXIX.	6.	Aes	cusum	——	——
XL.	5.	Aes	cusum	1580.	Mola
XLI.	4.	Aes	fusum	an. viij.	Mola
XLII.	5.	Aes	fusum	——	——
XLIII.	3.	Aes	fusum	——	Mola
XLIV.	3.	Aes	fusum	an. vii.	Mola
XLV.	3.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
XLVI.	3.	Aes	fusum	——	Mola
XLVII. XLVIII.	2.	Aes	fusum	an. x.	Mola
XLIX. L.	2.	Aes	fusum	an. x.	Mola
LI. LII.	2.	Aes	fusum	——	Dom. Prof. Rom.
LIII. LIV.	2.	Aes	fusum	an. x.	Mola
LV. LVI.	2.	Aes	fusum	an. x.	Mola
LVII.	3.	Aes	fusum	——	Dom. Prof.
LVIII.	4.	Aes	cusum	——	Mola
LIX.	4.	Aes	cusum	——	Mola
LX.	4.	Aes	cusum	1585.	Mola
LXI.	3.	Aes	fusum	1585.	——
LXII.	2.	Aes	fusum	an. xiij.	Mola
LXIII.	——	——	——	——	——
LXIV. LXV.	——	——	——	——	Palatius
LXVI.	——	——	——	——	——
LXVII. LXVIII.	——	——	——	——	Palatius
LXIX.	2.	Aes	fusum	——	——

SIXTVS V.

I. II.	5.	Aes	cusum	——	Lorenzanus
III.	4.	Aes	cusum	——	Lorenzanus
IV.	5.	Aes	cusum	an. ij.	Mola
V.	5.	Aes	cusum	——	Mola
VI.	——	——	——	——	——

Ordo	Forma	Materia	Cus. vel Fus.	Annus	Possidentes
VII.	—	Aes	—	—	—
VIII.	5.	Aes	fusum	—	Lorenzanus
IX.	5.	Aes	cusum	an. ii.	Mola
X.	5.	Aes	fusum	1587.	Lorenzanus
XI.	4.	Aes	fusum	1688.	Lorenzanus
XII.	5.	Aes	cusum	—	Lorenzanus
XIII.	5.	Aes	cusum	an. ii	Mola
XIV.	—	Aes	—	—	—
XV.	6.	Aes	cusum	—	Lorenzanus
XVI.	5.	Aes	cusum	—	Lorenzanus
XVII.	6.	Aes	cusum	an. iv.	Mola
XVIII.	5.	Aes	cusum	—	Lorenzanus
XIX.	6.	Aes	cusum	1588.	Lorenzanus
XX.	5.	Aes	cusum	an. iv.	Mola
XXI.	4.	Aes	cusum	—	—
XXII.	—	Aes	—	—	—
XXIII.	—	Aes	—	—	—
XXIV.	4.	Aes	cusum	—	—
XXV.	5.	Aes	cusum	an. iv.	Mola
XXVI.	5.	Aes	fusum	an. vi.	Mola
XXVII.	4.	Aes	cusum	an. ii.	Mola
XXVIII.	4.	Aes	fusum	an. ii.	Mola
XXIX.	5.	Aes	cusum	—	Lorenzanus
XXX.	6.	Aes	cusum	an. v.	Mola
XXXI.	5.	Aes	cusum	an. iv.	Mola
XXXII.	4.	Aes	cusum	an. iv.	Mola
XXXIII.	5.	Aes	cusum	an. vi.	Mola
XXXIV.	3.	Aes	cusum	1589.	—
XXXV.	7.	Aes	cusum	—	—
XXXVI.	4.	Aes	fusum	—	—
XXXVII.	2.	Aes	fusum	—	Lorenzanus
XXXVIII.	6.	Aes	cusum	—	Lorenzanus
XXXIX.	5.	Aes	cusum	an. iij.	Mola
XL.	4.	Aes	cusum	1588.	Mag.Dux Etr.
XLI.	5.	Aes	cusum	an. vi.	Mag.Dux Etr.
XLII.	5.	Aes	cusum	an. vi.	Mag.Dux Etr.
XLIII.	6.	Aes	cusum	—	Mag.Dux Etr.
XLIV.	5.	Aes	cusum	—	Mola

URBANUS V.

Ordo	Forma	Materia	Cus. vel Fus.	Annus	Possidentes
I. II. }	5.	Aes	cusum	1590.	Mola
III.	—	Aes	cusum	an. i.	Mola
IV.	4.	—	—	—	—
V.	5.	Aes	cusum	an. I.	Mola
VI.	—	—	—	—	Tipotius
VII.	4.	Aes	fusum	—	Lorenzanus
VIII.	4.	Aes	fusum	—	Mola
IX.	7.	Aes	cusum	—	—

GREGORIUS XIV.

Ordo	Forma	Materia	Cus. vel Fus.	Annus	Possidentes
I. II. }	5.	Aes	cusum	—	Mola
III.	4.	Arg.	cusum	—	Eques de Angelis

IV.

Ordo	Forma	Materia	Cus. vel Fus.	Annus	Possidentes
IV.	5.	Aes	cusum	———	Mola
V.	5.	Aes	cusum	1591.	Mola
VI.	5.	Aes	cusum	an.1591.	Mola
VII.	——	——	——	———	Tipotius
VIII.	5.	Aes	cusum	1590.	Mola

INNOCENTIUS IX.

I. } II. }	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
III.	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
IV.	5:	Aes	cusum	1591.	Mola
V.	——	——	——	———	——
VI.	6.	Aes	cusum	———	——
VII.	6.	Aes	cusum	an. j.	Mola
VIII.	6.	Aes	cusum	an. j.	Mola
IX.	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
X.	6.	Aes	cusum	———	——

CLEMENS VIII.

I. } II. }	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
III.	5.	Aes	cusum	———	Mola
IV.	6.	Aes	fusum	———	——
V.	5.	Aes	cusum	1594.	Lorenzanus
VI.	5.	Aes	cusum	———	Lorenzanus
VII.	6.	Aes	cusum	———	Lorenzanus
VIII.	6.	Aes	cusum	an. j.	Mola
IX.	7.	Aes	cusum	an.v.	——
X.	5.	Aes	cusum	———	Lorenzanus
XI.	5.	Aes	cusum	———	Lorenzanus
XII.	5.	Aes	cusum	———	Lorenzanus
XIII.	5.	Aes	cusum	———	——
XIV.	4.	Aes	cusum	an. vij.	Mola
XV.	7.	Aes	cusum	an. vij.	Mola
XVI.	4. 5.	Aes	cusum	an. vij.	Mola
XVII.	7.	Arg.	cusum	1598.	——
XVIII.	6.	Aes	fusum	1598.	——
XIX.	4.	Aes	cusum	an.x.	Mola
XX.	5.	Aes	cusum	an.v.	Mola
XXI.	4.	Aes	cusum	an. 1600.	Mola
XXII.	7.	Aes	cusum	1600.	Mola
XXIII.	4.	Aes	cusum	an.1600.	Mola
XXIV.	4.	Aes	cusum	———	——
XXV.	4.	Aes	cusum	1600.	——
XXVI.	——	——	——	1600.	——
XXVII.	——	——	——	1600.	——
XXVIII.	4.	Aes	fusum	———	Lorenzanus
XXIX.	5.	Aes	cusum	an.iv.	Mola
XXX.	——	——	——	1594.	——
XXXI.	4.	Aes	cusum	1601.	Mola
XXXII.	4.	Aes	fusum	———	Lorenzanus
XXXIII.	——	——	——	1598.	——
XXXIV.	4.	Aes	fusum	———	Lorenzanus
XXXV.	4.	Aes	——	———	Lorenzanus

Ordo	Forma	Materia	Cus. vel Fus.	Annus	Possidentes.
XXXVI.	5.	Aur:	cusum	an. j.	Mag. Dux. Etrur.
XXXVII.	4.	Aes	cusum	1603.	Lorenzanus
XXXVIII.	4.	Aes	cusum	an.xii.	Mola
XXXIX.	5.	Aes	cusum	an.v.	Mola
XL.	——	——	——	——	——
XLI.	4.	Aes	cusum	1604.	——
XLII.	4.	Aes	cusum	1600.	Mola
XLIII.	2.	Aes	fusum	1604.	Mola
XLIV.	3.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
XLV. XLVI.	——	——	——	——	Tipotius
XLVII.	4.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
XLVIII.	7.	Aes	cusum	an.j.	Mola
XLIX.	4.	Aes	fusum	——	Mola

L E O XI.

I. II.	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
III.	4.	Aes	fusum	an. j.	Lorenzanus
IV.	4.	Aes	fusum	an. j.	Mola

P A U L U S V.

I. II.	6.	Aes	cusum	an. j.	Mola
III.	6.	Aes	cusum	an.xiv.	Mola
IV.	7.	Aes	cusum	an. ij.	Mola
V.	4.	Aes	cusum	an.xiij.	Mola
VI.	2.	Aes	fusum	an. iij	Mola
VII.	4.	Aes	cusum	——	Mola
VIII.	3. 4.	Aes	cusum	a.iij.& xvj.	Mola
IX.	2.	Aes	fusum	an.xiij.	Mola
X.	2.	Aes	fusum	xj.	Mola
XI.	4.	Aes	cusum	1616.	Mola
XII.	3. 4.	Aes	cusum	a.1619	Mola
XIII.	5.	Aes	cusum	a.1612	Mola
XIV.	2.	Aes	fusum	an.j.	Mola
XV.	6.	Aes	cusum	an.ij.	Mag. Dux Etrur.
XVI.	4.	Aes	cusum	an.xiij.	Mola
XVII.	4.	Aes	fusum	1613.	Lorenzanus
XVIII.	3.	Aes	fusum	1619.	Mola
XIX.	5.	Aes	cusum	an. iv.	Mola
XX.	4.	Aes	cusum	an.xj.	Mola
XXI.	5.	Aes	cusum	a.1610	Mola
XXII.	6.	Aes	cusum	an.vj.	Mola
XXIII.	4.	Aes	fusum	1612.	Mola
XXIV. XXV.	2.	Aes	fusum	1612.	Apud PP. Bernab.
XXVI.	5.	Aes	cusum	an. iv.	Mola
XXVII.	5.	Aes	cusum	——	Lorenzanus
XXVIII.	5.	Aes	cusum	an.v.	Mola
XXIX.	2.	Aes	fusum	an. vj.	Mola
XXX.	3.	Aes	cusum	an. xvj.	Mola
XXXI.	2.	Aes	fusum	——	——

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
XXXII.	2.	Aes	fuſum	an. ix.	Mola
XXXIII.	3.	Aes	fuſum	——	Ferrariæ
XXXIV.	3.	Aes	fuſum	——	——
XXXV.	5.	Aes	cuſum	an. vj.	Mola
XXXVI. XXXVII.	1.	Aes	fuſum	1619.	Bononię
XXXVIII. XXXIX.	6.	Arg.	cuſum	——	Monetę
XL.	5.	Arg.	cuſum	an. j.	Author

GREGORIUS XV.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	5.	Aes	cuſum	an. j.	Mola
III.	5.	Aes	fuſum	an. ij.	Mola
IV.	5.	Aes	cuſum	an. iij.	Mola
V.	5.	Aes	cuſum	an. iij.	Mola
VI.	5.	Aes	cuſum	1622.	Mola
VII. VIII.	4.	Aes	cuſum	1622.	Col. Rom.
IX.	5.	Aes	——	——	——
X.	——	——	——	——	——
XI.	2.	Aes	fuſum	——	Bononię

URBANUS VIII.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	7.	Aes	cuſum	an. j.	——
III.	4. 5.	Aes	cuſum	an. iij.	Mola
IV.	5.	Aes	cuſum	an. ij.	Mola
V.	4.	Aes	cuſum	an. iij.	Mola
VI.	4.	Aes	cuſum	an. iij.	Mola
VII.	4.	Aes	cuſum	an. ij.	Mola
VIII.	3.	Aes	fuſum	an. xxj	Mola
IX.	3.	Aes	cuſum	——	——
X.	4.	Aes	cuſum	an. viij	Mola
XI.	4.	Aes	cuſum	an. vj.	Mag. Dux Etrur.
XII.	4.	Aur.	cuſum	an. iv.	Mola
XIII.	4.	Aes	cuſum	an. iv.	Mola
XIV.	4.	Aes	cuſum	an. x.	Mola
XV.	4.	Aes	cuſum	an. iv.	Mola
XVI.	4.	Aes	cuſum	an. iv.	Mola
XVII.	4.	Aes	cuſum	an. xiij	Mola
XVIII.	4.	Aes	cuſum	an. viij	Mola
XIX.	4.	Aes	cuſum	an. xj.	Mola
XX.	4.	Aes	cuſum	an. xij.	Comeſtabilis Col.
XXI.	5.	Aur.	cuſum	an. v.	Mola
XXII.	3.	Aes	cuſum	an. xx.	Mola
XXIII.	3.	Aes	cuſum	an. xx.	Mola
XXIV.	4.	Aes	cuſum	an. xj.	Mola
XXV.	6.	Aes	cuſum	an. iij.	Mola
XXVI.	4.	Aes	cuſum	a: xvij.	Mola
XXVII.	3.	Aes	cuſum	a. xix.	Mola
XXVIII.	4.	Aes	cuſum	an. vij.	Mola
XXIX.	3.	Aes	fuſum	an. vj.	Mola
XXX.	3.	Aes	cuſum	a. xvij.	Mola

Ordo	Forma	Materia	Cus. vel Fus.	Annus	Possidentes
XXXI.	4.	Aes	cusum	an. xv.	Mola
XXXII.	3.	Aes	cusum	an. xviij	Mola
XXXIII.	2.	Aes	fusum	1635.	Mola
XXXIV.	6.	Aes	cusum	an. viij.	Mola
XXXV.	6.	Aes	cusum	an. 4.	——
XXXVI.	6.	Aes	cusum	an. x.	——
XXXVII.	6.	Aes	cusum	an. xix.	Mola
XXXVIII.	7.	Aes	cusum	an. xvj.	Mola
XXXIX.	4.	Aes	cusum	an. xxj.	Mola
XL.	4.	Aes	fusum	an. xxj.	——
XLI.	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
XLII.	7.	Aes	cusum	an. xiij.	Mola
XLIII.	6.	Aes	fusum	——	Lorenzanus
XLIV.	7.	Aes	cusum	——	Lorenzanus
XLV.	7.	Aes	cusum	an. xiij.	Mola
XLVI.	7.	Aes	cusum	an. xiij.	Mola
XLVII.	6.	Aes	cusum	an. xx.	Mola
XLVIII.	4.	Aes	fusum	an. 17.	Lorenzanus
XLIX.	6.	Aes	cusum	an. v.	Mola
L.	5.	Aes	cusum	1639.	Mola
LI.	4.	Aes	cusum	1643.	Mola
LII.	4.	Aes	cusum	an, xvij	Mola
LIII. LIV. }	4.	Aes	fusum	1639.	Mola
LV.	5.	Aes	fusum	an. xv.	Mola
INNOCENTIUS X.					
I. II. }	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
III.	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
IV.	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
V.	6.	Aes	cusum	an. j.	Mola
VI.	5.	Aes	cusum	an. j.	Mola
VII.	——	Aes	——	——	——
VIII.	4.	Aes	cusum	an. vij.	Mola
IX.	5.	Aes	cusum	an: ij.	Mola
X.	4.	Aes	cusum	an: v.	Mola
XI.	4.	Aur.	cusum	2650.	Mag. Dux Etrur.
XII.	5.	Aes	cusum	an: ij	——
XIII.	5.	Aes	cusum	an: vj	Mola
XIV.	5.	Aes	cusum	1650.	——
XV.	6.	Aes	cusum	an: vij.	Mola
XVI.	7.	Aes	cusum	a. 1650	Mola
XVII.	6.	Aes	cusum	an: vij.	Mola
XVIII.	7.	Aes	cusum	——	——
XIX.	4.	Aes	cusum	an. ix.	Mola
XX.	5.	Aes	cusum	an: iij.	Mola
XXI.	4.	Aes	cusum	an: iv.	Mola
XXII.	4.	Aes	cusum	an: x.	Mola
XXIII.	4.	Aes	cusum	an: v.	Mola
XXIV.	4.	Aes	cusum	an: ij.	Mola
XXV.	4.	Aes	cusum	an: v.	Mola
XXVI.	4.	Aes	cusum	an: v.	Mola
XXVII.	4.	Aes	cusum	an: viij.	Mola
XXVIII.	5.	Aes	cusum.	an: ij.	Lorenzanus
XXIX.	5.	Aes	cusum	——	Mola

ALEXAN-

ALEXANDER VII.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſsidentes
I. II.	5.	Aes	cuſum	an. i.	Mola
III.	6.	Aes	cuſum	an. i.	Mola
IV.	5.	Aes	cuſum	——	Mola
V.	5.	Aes	cuſum	——	Mola
VI.	5.	Aes	cuſum	an. i.	Mola
VII.	5.	Aes	cuſum	an. iv.	Mola.
VIII.	6.	Aes	cuſum	an. i.	Mola
IX.	5.	Aes	cuſum	an. ij.	Nola
X.	5.	Aes	cuſum	an. iii.	Mola
XI.	5.	Aes	cuſum	an. iij.	Mag. Dux Etr.
XII.	4.	Aes	cuſum	an. xij.	Mola
XIII.	5.	Aes	cuſum	an. iv.	Mola
XIV.	5.	Aes	cuſum	an. v.	Mola
XV.	5.	Aes	cuſum	an. v.	Mola
XVI.	1.	Aes	fuſum	1658.	Lorenzanus
XVII.	2.	Aes	fuſum	1665.	Mola
XVIII.	2.	Aes	fuſum	an. viij.	Mola
XIX.	4.	Aes	cuſum	an. xi.	Mola
XX.	2.	Aes	cuſum	an. 1659.	Mola
XXI.	4.	Aes	cuſum	an. vi.	Mola
XXII.	4.	Aes	cuſum	an. vij.	Mola
XXIII.	4.	Aes	cuſum	an. vij.	Mola
XXIV.	4.	Aes	cuſum	an. xij.	Mola
XXV.	4. 1.	Aes	cuſum fuſum	—— an. xij.	—— Mola
XXVI.	4.	Aes	cuſum	an. viij.	Mola
XXVII.	4.	Aes	cuſum	an. ix.	Mola
XXVIII.	4.	Aes	cuſum	an. xij.	Mola
XXIX.	4.	Aes	cuſum	an. x.	Mola
XXX.	4.	Aes	cuſum	an. iv.	Mola
XXXI.	4.	Aes	cuſum	an. vi.	Mola
XXXII.	4.	Aes	cuſum	an. viij.	Mola
XXXIII.	4.	Aes	cuſum	——	Lorenzanus
XXXIV.	2.	Aes	fuſum	1662.	Mola
XXXV.	2.	Aes	fuſum	an. vij.	Mola
XXXVI.	2.	Aes	fuſum	an. vii.	Mola
XXXVII.	2.	Aes	fuſum	an. viij.	Mola
XXXVIII.	1.	Aes	fuſum	1663.	Mola
XXXIX. XL.	1.	Aes	fuſum	1659.	Mola
XLI. XLII.	2.	Aes	fuſum	an. ij.	Lorenzanus
XLIII. XLIV.	2.	Aes	fuſum	1655.	Bononiæ
XLV.	2.	Aes	fuſum	an. x.	Lorenzanus
XLVI.	2.	Aes	fſſum	——	Silveſtri
XLVII.	2.	Aes	fuſum	——	Silveſtri
XLVIII.	6.	Aes	cuſum	——	——

CLEMENS IX.

I. II.	5. 4.	Aes	cuſum	an. i.	Mola

III.

Ordo	Forma	Materia	Cuf. vel Fuf.	Annus	Pofsidentes
III.	5.	Aes	cufum	1667.	Mola
IV.	5.	Aes	cufum	an. i.	Mola
V.	5.	Aes	cufum	an. i.	Mola
VI.	5.	Aes	cufum	an. iij.	Mola
VII.	5.	Aes	cufum	an. iij.	Mola
VIII.	4.	Aes	cufum	an. iij.	Mola
IX.	5.	Aes	cufum	an. j.	Mola
X.	5.	Aes	cufum	an. ij.	Mola
XI.	5.	Aes	cufum	an. ij.	Mola
XII.	4.	Aes	cufum	—	—
XIII.	4.	Aes	cufum	an. iij.	Mola
XIX.	1.	Aes	fufum	an. iij.	Mola
XV.	1.	Aes	fufum	1669.	Mola
XVI.	—	—	—	an. j.	P.La Chaize
XVII.	6.	Aes	cufum	—	Mola
XVIII. } XIX.	5.	Arg.	cufum	1669.	Lorenzanus
XX.	6.	Aeg.	cufum	1669.	Mola

CLEMENS X.

Ordo	Forma	Materia	Cuf. vel Fuf.	Annus	Pofsidentes
I. } II.	5.	Aes	cufum	an: j.	Mola
III.	4.	Aes	cufum	an: j.	Mola
IV.	4.	Aes	cufum	1672.	Mola
V.	4.	Aes	cufum	1675.	Mola
VI.	5.	Aes	cufum	an: v.	Mola
VII.	4.	Aes	cufum	an:v.	Moneta
VIII.	4.	Arg:	cufum	—	Mola
IX.	4.	Aes	cufum	an: v.	Mola
X.	4.	Aes	cufum	an: vi.	Mola
XI.	4.	Aes	cufum	an: xi.	Mola
XII.	4.	Aes	cufum	an: ij.	
XIII.	4.	Aes	cufum	—.	
XIV.	6.	Aes	cufum	—	Mola
XV.	5.	Aes	cufum	an: ij.	Mola
XVI.	5.	Aes	cufum	an: j.	
XVII.	6.	Aes	cufum	—	Mola
XVIII.	5.	Aes	cufum	an: j.	Mola
XIX.	5.	Aes	cufum	an: iv.	Mola
XX.	4.	Aes	cufum	1676.	Mola
XXI.	4.	Arg:	cufum	an: vij.	Mola
XXII.	—	Aes	cufum	1672.	Mola
XXIII.	5.	Aes	cufum	an: iii.	Mola
XXIV.	5.	Aes	cufum	an: iv.	Mola
XXV.	4.	Aes	cufum	an: i.	Mola
XXVI.	6.	Aes	cufum	an: i.	Mola
XXII.	4.	Aes	cufum	1670.	Mola
XXVIII.	5.	Aes	cufum	an; iv	Mola

INNOCENTIUS XI.

Ordo	Forma	Materia	Cuf. vel Fuf.	Annus	Pofsidentes
I. } II.	4.	Aes	cufum	—	Mola
III.	5.	Aes	fufum	—	Mola
IV.	4.	Aes	fufum	1679.	Lorenzanus

V.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
V.	4.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
VI.	5.	Aes	cuſum	an. v.	Mola
VII.	5.	Aes	cuſum	an: x.	Mola
VIII.	1.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
IX.	5.	Aes	cuſum	an: iij.	Mola
X.	5.	Aes	cuſum	an; v.	Mola
XI.	1.	Aes	fuſum	1676.	Mola
XII.	2.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XIII.	6.	Aes	cuſum	an: j.	Mola
XIV.	4.	Aes	cuſum	———	Mola
XV.	3.	Aes	cuſum	———	Mola
XVI.	5.	Aes	cuſum	an: viij	Mola
XVII. XVIII. }	1.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
XIX.	5.	Aes	cuſum	———	Mola
XX.	5.	Aes	cuſum	an: v.	Mola
XXI.	4.	Aes	cuſum	an: xij.	Mola
XXII.	6.	Aes	cuſum	———	Mola
XXIII.	4.	Aes	cuſum	an: xiij.	Mola
XXIV.	2.	Aes	fuſum	an: vii.	Mola
XXV.	6.	Aes	fuſum	an: i.	Mola
XXVI.	———	———	———	———	———
XXVII.	4.	Aes	cuſum	an: vj.	Mola
XXVIII.	6.	Aes	cuſum	———	Mola
XXIX.	4.	Aes	cuſum	———	Mola
XXX.	6.	Aes	cuſum	an: ij.	Mola
XXXI.	6.	Aes	cuſum	———	Mola
XXXII.	1.	Aes	fuſum	1687.	Mola
XXXIII.	1.	Aes	fuſum	an: viij.	Lorenzanus
XXXIV.	3.	Aes	cuſum	1683.	Mola
XXXV	4.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XXXVI.	1.	Aes	fuſum	———	Lorenzanus
XXXVII.	4.	Aes	cuſum	1684.	Mola
XXXVIII.	4.	Aes	cuſum.	an: xij	Mola
XXXIX.	5.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XL.	5.	Aes	cuſum	an: xi.	Mola
XLI.	2.	Aes	cuſum	an: ix.	Mola
XLII.	4.	Aes	cuſum	an: ix.	Mola
XLIII.	4.	Aes	cuſum	———	Mola
XLIV.	3.	Aes	cuſum	1688.	Mola
XLV.	5.	Aes	cuſum	an: v.	Mola
XLVI.	5.	Aes	cuſum	an: vij.	Mola
XLVII.	5.	Aes	cuſum	an: v.	Mola
XLVIII.	6.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
XLIX.	6.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
L.	7.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
LI.	4.	Aes	cuſum	1688.	Mola
LII.	5.	Aes	cuſum	1688.	Mola
LIII.	6.	Aes	cuſum	———	———
LIV.	4.	Aes	cuſum	———	Lorenzanus
LV.	6.	Aes	cuſum	———	Mola
LVI.	1.	Aes	cuſum	———	Bon. Silvius Ren.

ALEXANDER VIII.

I. II. }	4.	Aes	cuſum	———	———

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
III.	1.	Aes	fuſum	1690.	Mola
IV.	6.	Aes	cuſum	an: i.	Mola
V.	6.	Aes	cuſum	an: j.	Mola
VI.	6.	Aes	cuſum	an: j.	Mola
VII.	4.	Aes	cuſum	1689.	Mola
VIII.	6.	Aes	cuſum	——	——
IX.	6.	Aes	cuſum	——	——
X.	5.	Aes	cuſum	1690.	Mola
XI.	2.	Aes	cuſum	——	Lorenzanus
XII.	2.	Aes	fuſum	——	Lorenzanus
XIII.	5.	Aes	fuſum	——	Lorenzanus
XIV.	5.	Aes	fuſum	1689.	Mola
XV.	5.	Aes	cuſum	——	Mola
XVI.	4.	Aes	cuſum	——	Mola
XVII.	4.	Aes	cuſum	1689.	Mola
XVIII.	——	——	——	——	——
XIX.	4.	Aes	cuſum	an: j.	Mola
XX.	6.	Aes	cuſum	——	Mola

INNOCENTIUS XII.

Ordo	Forma	Materia	Cuſ. vel Fuſ.	Annus	Poſſidentes
I. II.	6.	Aes	cuſum		Mola (I.–XVIII.)
III.	6.	Aes	cuſum		
IV.	6.	Aes	cuſum		
V.	6.	Aes	cuſum		
VI.	5.	Aes	cuſum		
VII.	4.	Aes	cuſum		
VIII.	4.	Aes	cuſum		
IX.	5.	Aes	cuſum		
X.	5.	Aes	cuſum		
XI.	4.	Aes	fuſum		
XII.	6.	Aes	cuſum		
XIII.	1.	Aes	fuſum		
XIV.	——	——	——		
XV.	2.	Aes	cuſum		
XVI.	1.	Aes	fuſum		
XVII.	6.	Aes	cuſum		
XVIII.	4.	Aes	cuſum		
XIX. XX.	4.	Aes	cuſum		
XXI.	5.	Aes	cuſum	1697.	Mola
XXII.	1.	Aes	fuſum	——	Card. de Carpineo
XXIII.	6.	Arg.	cuſum	1699.	Fer. à S. Urbain.
XXIV.	5.	Aes	cuſum	1699.	Mola

INDEX

INDEX SEXTUS
RERUM NOTABILIUM.

A

Abundantia; vide *Copia*, & *Annona*.
Ablutio pedum; v. *Pedum ablutio*.
Adriani VI. electio. Pag. 181.
Ædificium excitat Innocentius XII. pro mercibus, & vectigalibus. 828. aliud in ripam Tyberis. 829.
Ædes; v. *Palatium*.
Agni è quorum lana componitur pallium, in festo B. Agnetis Deo oblati. 32.
S. Agnetis ossa honorificata à Paulo V. 523. Eidem Templum extruxit Innocentius X. in foro agonali. 634.
Agonales ludi. 634.
Agnus Christi Symbolum. 706.
Alexandri VI. electio. 115. Alexander VI. Portam Sanctam primum aperuit. 125. Lineam statuit in America dividentem Regna Hispanica, & Lusitana 132. Arcem Adriani munit. 133.
Alexandri VII. electio. 641.
Alexandri VIII. electio. 785. In numismate numeris expressa. 812. Lateranum solemni equitatu petiit. 786. Ejus insigne gentilitium explicatur. 801. 807. Elogia ejus tumulo inscripta. 802.
Alphonsus Estensis Dux supplex ad Pontificem venit. 147. A Julio II. absolvitur. 148.
Altare magnificum pro Eucharistia servanda excitat Clemens VIII. 464.
Alteriæ stirpis nobilitas. 722.
Angliæ Rex Oratorem misit Innocentio XI. 776. illum excepit honorifice Collegium Romanum S. J. 777.
Angliæ Regnum Ecclesiæ Romanæ reconciliatur. 250.
S. Andreas Corsinus ab Urbano VIII. declaratus. 571.
Annonæ typus. 151. 165. 202. 249. 308. 325. 460. Ejus Præfectus Romę ibid. Annona, quid significet. 202. Annonæ horrea extruxit Urbanus VIII. 589. Annonam auget Alexander VIII. 801. v. etiam *Ceres*.
Anconę Leocomium extruxit Urbanus VIII. 592. Ejus nomen unde dicatur. 424. Quare Dorica ibid. cur Civitas Fidei appelletur ibid.
Angelus significat Divinam vindictam. 337. Et inspirationem 450.
Angelorum simulachra in Ponte Ælio. 716.
S. Anastasię Templum; v. *Templum*.
Annulum cur gestet Summus Pontifex. 360.
Annus Jubilæi celebratus à Clemente X. 724.
Annum centesimum Societas Jesu solemni celebrat pompa. 605. Et seq.
Annus Sanctus, & Jubilæi explicatur. 22. Quando primum celebratus. 22. Quare variatus. 24. an celebratus fuerit à Martino V. 25.
Aquę fontes Bononiæ extruxit Pius IV. 279.
Aquę Virginis descriptio. 278.
Aquam Romam adduxit Sixtus V. eamque Felicem appellavit. 402.
Aquam restituit in Janiculo Paulus V. 532. Ejusdem aquę inscriptiones. 533. Ejusdem fontem exornat Alexander VIII. ibid.
Aquæ erogandę mensura qualis Romę. 405.
Arca Noe typus Ecclesię Romanę. 733.
Arcem apud Centumcellas Julius II. extruxit 157. Julius III. munivit. 251.
Arcem propè Bononiam destruxit Gregorius XIII. 341. Ferrarię fabricat Paulus V. 540.
Arcem Adriani munit Urbanus VIII. 583. Aliam in agro Bononiensi. 591.
Arma congregat Urbanus VIII. 588.
Assaggium Generale quid significet. 560. 646. 838.
Audientiam publicam Paulus II. præbuit. 75.

B

Basilicam S. Petri consecrat Urbanus VIII. 574. Liberianam exornare cæpit Clemens IX. absolvit Clemens X. 723. v. etiam *Templum*.
Baculo Pastorali cur non utatur Pontifex Summus. 153.

Baptifterium Conftantini exornat Urbanus VIII. 577. Baptifterium quomodo conftruendum 578. & feq.
Baptifma ubique olim fiebat. 577.
Barbam an Julius II. primum inter Pontifices aluerit. 139.
Beatificatio S. Francifci Salefii peculiari pompa celebratur. 654.
Benedictio quo ritu celebanda fit. 354. & feq.
S. Bibianæ Templum; v. *Templum*.
Bibliothecam Vaticanam Libris ditat Alexander VIII. 804. Idem domefticam inftruxit 807. Vaticanam ampliat, & exornat Sixtus V. 428. eadem à variis Pontificibus incrementa accepit. 429.
Bibliothecam publico bono aperuit in Ædibus Sapientiæ Romanæ Alexander VII. 687.
Bilances Juftitiam fignificant. 48.
Biretum; v. *Camelaucium*.
Birro utuntur foli Pontifices fupra Rocchettum. 65.
Blanchinus Abbas Francifcus celebratur. 795.
Bononia à Julio II. liberata. 143.
Borromeorum Familiæ Symbolum eft Humilitas. 527.
Britannia; v. *Anglia*.
Budæ expugnatio. 774.

C

CAdauceum quid. 330.
Calcei Pontificis; v. *Sandalia*.
Califti III. electio, 57. Ante Pontificatum vovit in Turcas bellum gerere. 61. Muros Romæ reftauravit. 62.
Calendarium; v. *Kalendarium*.
Camelaucium quo utuntur Pontifices, quid fit. 65. 118.
Camerarii munus Sede Vacante. 234.
Campanula cur deferatur cum Umbella in Proceffionibus. 239.
Canonizatio, quibus Ritibus variatur. 39. S. Nicolai Tolentinatis defcribitur. 44. An fuerit celebrata in Vaticano Templo. 43. S. Rocchi quo Ritu facta 42. Oblationes in Canonizatione non femper eædem. 43. Canoniz. S. Didaci à Sixto V. celebrata. 407. SS. Ignatii, & Xaverii à Paulo V. 548. S. Thomæ de Villanova ab Alexandro VII. 652. S. Francifci Salefii ab Alexandro VII. 654. B. Laurentii Juftiniani. 810. Alia à Clemente IX. 711. S. Andreæ Corfini. 571. S. Elifabeth 601.
Candelabrum Mofaicum Epifcopus, & Pontifices fignificat. 437. Ejus forma defcribitur. 434. & feq. illud an Titus Romam detulerit. 436.
Capita SS. Petri, & Pauli in Laterano gemmis privata à furibus. 48.
Capuccinorum Ædes Romæ Urbanus VIII. ædificat cum Templo. 571.
Capitolium à multis Pontificibus exornatum. 631. Et feq. ejus Ædes excitavit Gregorius XIII. 349. Turrim campanariam addidit. 350. Alias addidit Clemens VIII. 497. Antiqui defcriptio. 208. Unde nomen habuerit. 351.
Cardinales creati ab Innocentio XII. anno 1695. 825. eorum numerus non femper fuit idem. 77. Pileo ante Paulum II. utebantur in Confiftorio. 79. Rubrum conceffit Innocentius IV. 79. Quid fignificet ibid. Eminentię Titulum Urbanus VIII. conceffit. 80. Defignant folùm Pontificem non conferunt dignitatem. 796.
Carola Regina Cypri à Sixto IV. excepta 94. Moritur Romę. 94.
Carolum Borromæum inter Sanctos adfcribit Paulus V. 525. Ejus Templum; v. *Templum*.
Carroccium quid fuerit. 239.
Caftri novi expugnatio an. 1687. 765.
S. Catherinæ Templum fub Pio IV. abfolvitur Romæ. 284.
Cathedra D. Petri depicta cum columba infidente quid fignificet. 798.
Catharina Regina Bofniæ à Sixto IV. excipitur. 94.
Cathecumenorum, & Neophitorum domum fundavit Paulus III. S. Ignatio fuadente. 221.
Cæremonias Sacras Paulus V. maxime coluit. 267.
Cæfaris fignificatio triplex. 4.
Centumcellarum Urbem Leo IV. condere incœpit 250. Ejus Arx; v. *Portus Centumcellarum*.
Ceres; vnde dicta. 730.
Centefimum annum; v. *Annum*.
Chriftina Suecorum Regina Romam petit. 647. Excipitur cum pompa ibid.
Chriftus quomodo depictus. 291. In horto an bene pingatur cum Angelo Calicem ferente. 262.
Chifiorum ftemma quercu ornatum. 699

Circum

Circum Romulus primùm condidit. 225.
Citatorius mons unde dictus. 827.
Classem in Turcas Paulus III. expedivit. 230.
Claves Pontifici oblatæ simul colligatæ rubro serico. 114. 450. Cur à Nicolao V. in stemmate depictæ. 49. Quid significent. 252. 260. Quo metallo formatæ. 235. Cur ternæ aliquando pictæ ibid. Sunt insigne Basilicæ Lateranensis, & Vaticanæ sed diuersimode dispositæ. 236. Olim numero septem offerebantur Pontifici in ejus consecratione. 789. Quid significaverint. 790. Cur clavibus imponatur umbella Sede Vacante. 236. in forma Crucis dispositis pro insignibus utebantur olim Pontifices. 30.
Clementis VII. electio. 185. Multa ille perpessus. 187. Clementiam ostendit Florentinis. 189. Parcit Romanis coniuratoribus. 191. Ejus fuga ab Arce Adriani. 192. 169. Puteum aperit in Urbe veteri. 192. Pacem firmat cum Cæsarianis. 194. Fortunæ aversæ injuriis superior. 195. Ejus pietas in B. Virginem. 197.
Clementis VIII. electio 457. Illi S. Philippus Nerius Pontificatum prædixit ibid.
Clementis IX. electio eujusque possessio ad Basilicam Lateranam. 706.
Clementis X. electio. 719. Ejus in Deiparam cultus. 722. Beatos quinque inter SS. refert. 727.
Collegium Romanum Societ. Jesu extruxit Gregorius XIII. beneficio omnium Nationum. 352. 357. & seq. Germanicum idem auxit, & dotavit. 363. ejusdem Collegii laudes. 364. In eo laurea doctoratus collata duobus alumnis insigni cum pompa. 364. Collegia alia instituit Gregorius XIII. 376. Et seq.
Collegia Lovanii quatuor pro Alumnis. 183.
Coll. Jurisconsultorum Mediolani Pius IV. instaurat. 275. Ghislerium Papiæ erigit Pius V. 295.
Coll. dictum de Propaganda Fide Romæ dotavit Card. Antonius Barberinus. 837. Eique Innocentius XII. magnam auri copiam tribuit ibid.
Colles Janiculus, & Vaticanus cur Sancti dicantur. 257.
Columba supra Cathedram D. Petri quid significet. 798.
Columnas Trajani, & Antonini restaurat Sixtus V. 393. earum consecrationis Ritus exponitur. 395. Earumdem mensuræ. 397.
Colore Purpureo ut plurimum utitur Pontifex Summus. 450.
Columnam sacrat B. Virgini Paulus V. 518.
Columnensium Familiæ nomen, & origo 6.
Concilium Tridentinum inchoatum sub Paulo III. sub Pio IV. absolvitur. 275.
Conclave pro electione Eugenii IV. celebratum apud S. Mariam supra Minervam. 38.
Congu Rex Oratorem misit ad Paulum V. 530.
Constantiæ typus. 102.
Confessionem S. Petri exornat Paulus V. 507. & Urbanus VIII. 573.
Consecratio Altaris S. Petri. 462. quo ritu peragatur ibid.
Consistorium publicum apud Lateranum habuit Sixtus V. 414.
Constantia S. Silverii sibi proponit Clemens IX. 708.
Constantini Baptisterium; v. *Baptisterium*.
Copiæ typus. 111.
Coronę in numismatibus expressæ. 793. Antiquitus signa lætitiæ. 794. 51. Et diversæ. 87.
Corona multiplex supra caput Pontificis & à quo tempore. 120. Cur triplex, & quid significet. 122. Ritus imponendi coronam explicatur. 14. Cur à Diacono imponatur. 15. Ubi celebratur 18. 123. Coronam cur gerat Pontifex 18. Pontificia diversimode appellata. 116. Pontificibus non concessa à Clodoveo. 120.
Corona ex olea virtuti tributa. 113.
Cornucopiæ quid. 330.
Corporis Christi delatio in Processione quando inceperit. 665. Quo ritu delatum à Summo Pontifice. 666. A Concilio Tridentino stabilitur. 668.
Cretæ insulæ opem tulit Clemens IX. 713.
Cripta quæ dicitur *Ferrata* ejusque principium. 612.
Crux Templis præcipue imponitur. 21. Pro malo navis expressa. 55. In vertice Regni Pontificii. 123. Ecclesiæ dominatum peperit. 458. Victoriam parat. 469. In nummis signari solita. 617. Ab Innocentio X. expressa ibid.
Cur

Cur Pontifici, & quo à tempore præferatur. 625. & seq. cur Christi arbor æterna. 774. Quare deferatur in Processionibus. 675. Ejus usus à quo tempore incœperit. 677. Quam formam habeat, 678. Stationalis quæ nam fuerit 679. & seq. antiquitus cum columba, & agno pingebatur. 677. Stationalis cur in Basilica tantùm Vaticana servata. 684. In pede Pontificis. 96.
Cuculla quid sit. 65.
Curiam ad Montem Citatorium transfert Innocentius XII. 827.
Currus quatuor equorum apud Antiquos. 203.
Cursum equorum in carnis privio Paulus II. constituit. 84.
Cyborum Familiæ origo. 107.

D

Dalmatica est vestis Diaconi propria. 16. Ejusdem vestis origo, & forma. 16.
Demones fugantur à Pio V. 307.
Deus Pater an bene sub imagine Senis exprimatur. 619. Cur Orbem manu sustineat ibid.
Dextera pars an sit honorabilior sinistra. 176.
Diaconus quare coronam imponat Pontifici. 15. Tunica indutus, quę dicitur Dalmatica. 16.
Diadema; v. *Regnum*.
S. Didaci Canonizatio à Sixto V. celebratur. 407.
Divi titulus cui tributus. 200. Etiam Summis Pontificibus. 201. 254.
Draco typus vigilantiæ. 326. Symbolum salutis. 378.

E

Ecclesiæ typus est navis. 266. Ejus dominatum Crux peperit. 458. Ejusdem unitas. 475. 763.
Ecclesię petra non est confessio fidei non cœtus Christianorum, aut Apostolorum. 459.
Ecclesiæ Romanæ perpetuitas. 778.
Ecclesia; v. *Templum*.
S. Elisabeth Canonizatio. 601.
Episcopus quilibet dicebatur olim Sacerdos Summus. 241.
Equum æneum in Capitolium transtulit Paulus III. 207.
Eucharistiæ cultus indictus Clemente VIII. 464. In altari variis modis conservata. 465. Vas in quo servatur variis nominibus appellatur. 467.
Eugenii IV. electio 29. Ejusdem diadema valde pretiosum. 29.

F

Ferula quid sit ejusque usus apud Pontifices. 154. & seq.
Ferrarię arcem condidit Paulus V. 540. Ferrariam recuperat Clemens VIII. sine clade 470. Idem Ferrariam petiit, & magnifice excipitur. 472.
Feram memorem beneficii imitatur Dominicus Jacobatius. 697.
Ferri fodinas aperit Urbanus VIII. 595.
Fides Romana vera est, & unica 337. Ejus fundamenta sunt Apostoli sed primarium D. Petrus. 839.
Florentini absolutionem obtinent à Sixto IV. 103.
Flos vitæ brevitatem significat. 502.
Flabellorum usus circa Summum Pontificem. 672. Et seq. quid significent ibidem.
Fœdus contra Turcas initum inter Imperatorem, & Polonię Regem 747. Et inter eosdem, & Venetorum Rempublicam 750. Firmatum coram Pontifice Innocentio XI. 758.
Fons Villæ Juliæ cur Virginis dicatur. 255. Fons in foro agonali describitur 639. Fontem restaurat Alexan. VII. in Regione Transtiberina. 696.
Fortunę typus. 249.
Forum carnarium Pius IV. Bononiæ statuit. 281. antiquitus quale fuerit Romæ ibidem.
Fortitudo quomodo expressa. 568.
S. Francisca Romana inter Sanctos adscripta. 522.
S. Franciscus Salesius inter Sanctos Relatos ab Alexandro VII. 656. Ejus Beatificatio peculiari pompa celebrata. 654.

G

Gandulphi castrum exornat Urbanus VIII. 594. Aquas illuc adducit, & aerem purgat Paulus V. 594.
Gheusii Hæretici; v. *Hæretici*.
Georgius Podiebratius Rex Bohemię à Paulo

Paulo II. excommunicatus. 80.
Gladium benedictum Andreę de Auria mitit Paulus III. 232.
Grati animi Virtus in Leone. 697
Gratiæ quomodo pingantur. 776.
Græcorum unio cum Ecclesia Romana in Concilio Florentino celebrato sub Eugenio IV. 35. Et seq.
Gregorii XIII. electio. 323. Virtutes, & beneficentia. 326. 328. Et seq.
Gregorii XIV. electio 441.
Gregorii XV. electio. 545.
D. Gregor. Naziãzeno Sacellum extruxit Gregorius XIII. in Basilica Vaticana. 343.
Griphus an sit animal fabulosum. 225.

H

HAsta erat olim signum Dominii. 273. ea donabantur olim victores. 440.
Hæretici in Flandria dicti Gheusii. 303. Hugonotti devicti in Gallia 336.
Henricus IV. Ecclesiæ Romanę reconciliatur. 483. Et seq. Ejus absolutio à censuris. 485.
Hermas quid significet. 380.
Hilaritas; v. *Lætitia.*
Horrea amplificat Romæ Urbanus VIII. 589.
Hospitale S. Spiritus à quo fuudatum. 663. Illud Alexander VII. exornat, ejusque œconomiam curat. 664.

I

JAni portæ bello aperiebantur. 128. 195.
Janiculus collis; v. *Collis*
Jansenii doctrinam damnat Innocentius X. 628.
Japoniorum Legatio ad Gregorium XIII. 373.
D. Ignatii, & Francisci Xaverii Cononizatio; v. *Canonizatio*.
Imagines Sacræ in Numismatibus sub Leone X. primùm expressę. 169.
Imagines expressę in nummis grati animi causa. 256.
Incensi proprietates Principi conveniunt. 800.
Innocentius VIII. Zizimum admisit 109. Injurias dissimulat 112. Ejus electio. 107.
Innocentii IX. electio 449.
Innocentii X. cultus erga B. Virginem 618. beneficentia in anno Sancto. 624.
Innocentii XI. electio 737. Ejus integritas in judicando 740. Charitas in pauperes 741. 744. Ipso regnante multi Romanam fidem amplectuntur 743. novas hereses damnat 743. Ejus fiducia in Deum 760.
Innocentii XII. electio 815. Ejus coronatio 816. Lateranum petit cum pompa 821. vivit de suo ne patrimonium D. Petri minuatur 830. Ejus liberalitas erga egenos 831. Palatium Lateranense illis attribuit 832. ejus stemmata ollis expressa nobilitatem familiæ indicant. 832.
Insigne gentilitium an primùm expresserit Eugenius IV. 30.
Indulgentiarum thesaurus est in Ecc: 22.
Inquisitionis Tribunal Paulus III. erexit Paulus IV. ampliavit. 265. 267.
Inscripiones in picturis quis primùm posuerit 795.
S. Joseph cur cum ramusculo virenti pingatur. 272.
Jubilæi vox explicatur. 478. Jubilæi annus, qui Sanctus dicitur. 22. Cur sanctior cæteris dicatur. 621. redactus ad ann. 25. 98. Celebratus ab Alexandro VI. 125. A Clemente VII. 185. A Julio III. 244. A Sixto IV. 105. A Gregorio XIII. 331. A Clemente VIII. 477. ab Urbano VIII. 566. Ab Innocentio X. 624. A Clemente X. 725. Illum non celebravit Paulus III. 212.
Julii II. electio. 139. Ejus Effigies aliquando imberbis, aliquando cum barba. 139. Bononiam ab obsidione liberat. 143. Palatium ad jus dicendum incœpit Romæ. 145. Immeritò ut crudelis repræhensus. 153.
Julii III. electio 243. Jubilæum celebrat. 244. 246.
Jurisconsultorum Collegium; v. *Collegium*.
Justitia in bilance significatur. 48. Ejus typus. 111. 165. 268. 339.

K

KAlendarium corrigit Gregorius XIII. 368. & seq.

Lapis

L

Lapis quadratus præclaris imaginibus ſuppoſitus. 380.
Lateranenſis Eccleſiæ Poſſeſſionem, qua pompa olim adirent Pontifices. 794. quo tempore illa ceſſaverit. ibid.
Lauretanum Templum; v. *Templum*.
Lauretanum Oppidum in Urbem erigit Sixtus V. 384. Mœnibus cingit. 385.
Laurus ſymbolum Victoriæ. 242. Inſigne Familiæ Barberinæ. 599.
B. Laurentium Juſtinianum inter Sanctos refert Alexander VIII. 810.
Lætitia ramis arborum indicata. 145. Ejus typus qualis. 83. Quomodo expreſſa in nummis. 86. 90. 246. 261.
Leocomium extruxit Urbanus VIII. 592.
Leonis XI. electio. 501. Leonis in ore mellificant Apes. 501.
Leones exprimendi mos in Principum ſoliis, & apud januas Templorum. 46.
Leonis X. electio. 163.
Leo gratum ſe exhibet homini. 697.
Libri ſunt ſapidiſſima pabula. 806. Et theſaurus. ibid.
Liberalitatis typus. 167.
Lilia Mediceorum; v. *Mediceorum*.
Linea dividens Regna Hiſpanica, & Luſitana in America ſtatuta ab Alexandro VI. 132.
Lirim fluvium Ponte munit Paulus V. 537.
Lotio pedum; v. *Pedum lotio*.
Ludi Agonales; v. *Agonales*.
Ludoviſius Cardinalis Templum Divo Ignatio excitat. 551.
Lupa duobus Infantibus ubera præbens apud Romanos ſacra. 228.

M

Magi an fuerint Reges. 811. Cur non ſemper coronati pingantur. 173.
Mandias genus veſtis. 3.
Manus è nubibus exerta cur multoties exprimatur. 47. Manum alteri præberi ad unionem ſignificandam. 160.
Marcelli II. electio. 259. Cur nomen retinuerit. 259.
Margarita Auſtriæ Regi Hiſpaniarum nubit Ferrariæ præſente Clemente VIII. 489.
Maria Medicea in Matrimonium data Regi Galliarum. 492. Ejus diſceſſus Florentia. ibid.
Maria Virgo ab Innocentio X. culta. 618.
Marci Antonii Odeſcalchi pietas in pauperes. 744.
S. Martinæ corpus repertum Urbanus VIII. veneratur 596. Templum ejus nominis erigit. ibid.
Martinus III. cur Quintus dicatur. 3. Ejus electio, & coronatio. 9.
Maronitæ ſub Paulo II. Romanæ Eccleſiæ dogmatibus eruditi. 74.
Mauſoleum Hadriani munitum ab Alexandro VI. 133. Quomodo & à quo tempore in Arcem mutatum. 133. & ſeq.
Mediceorum in ſtemmate cur lilia appingantur. 164.
Michael de Molinos damnatus carcere ſub Innocentio XI. 743.
Miraculi nomen etiam rebus miris tribuitur. 208.
Mirandulam Julius II. expugnat. 152.
Miſſiones ad Infideles plurimas inſtituit Gregorius XIII. 338. Ad fidei propagationem multo ære dotavit Innocentius XII. 837.
Mitrę origo & uſus apud Pontifices. 57. Diverſa apud Latinos, Græcos, & Ruthenos. 58. Gemmis ornata Pontifices utuntur. 59. 116. Ejus cornua quid ſignificent. 59.
Molendina extruxit Innocentius XI. ſub fonte Aquæ Paulæ. 536.
Monetæ probatio. 647. Quomodo fiat Romæ. 562.
Mons Pietatis, quando fundatus, ejuſque progreſſus, ac leges. 610. Citatorius, undè dictus. 827. Montis Alti Oppidum in Urbem mutat Sixtus V. 427.
Mozzetta; v. *Birro*.
Muros Romæ reſtauravit Caliſtus III. 63. A quibus primùm extructi. 63. Alios addidit Urbanus VIII. 585.

N

Nativitas Jeſu Chriſti quomodo exprimenda. 271.
Navale Centumcellis ędificat Alexander VII. 658.

Navis

Navis in numismate Nicolai V. quid significet. 55. Typus Ecclesiæ. 55. 89. 266. 327. 426. 494.
Neophiti; v. *Cathecumeni*.
S. Nicolai Tolentinatis Canonizatio. 39.
Nicolai V. electio. 49. Urbem exornat. 53. Annum Sanctum celebrat. 54. Ejus Epitaphium Æneas Silvius composuit. 55.
Nomen an semper mutent Pontifices. 259.
Numismata Pontificia sub Martino V. primùm vulgata. 1. Antiqua cur verbis, & caracteribus insignita. 72. sunt veluti lapis lydius historiæ. 88. Aliquando laureata; v; *Corona*. Fictitia pluribus modis fiunt. 172. Sacra à Pio V. distributa. 309.
Numismata Adriani VI. 181.
- - Alexandri V. 115.
- - Alexandri VII. 641.
- - Alexandri VIII. 785.
- - Calisti III. 57.
- - Clementis VII. 185.
- - Clementis VIII. 457.
- - Clementis IX. 705.
- - Clementis X. 719.
- - Eugenii IV. 29.
- - Gregorii XIII. 323.
- - Gregorii XIV. 441.
- - Gregorii XV. 545.
- - Innocentii VIII. 107.
- - Innocentii IX. 449.
- - Innocentii X. 615.
- - Innocentii XI. 737.
- - Innocentii XII. 815.
- - Julii II. 139.
- - Julii III. 243.
- - Leonis X. 163.
- - Leonis XI. 501.
- - Martini V. 1.
- - Marcelli II. 259.
- - Nicolai V. 49.
- - Pauli II. 71.
- - Pauli III. 199.
- - Pauli IV. 263.
- - Pauli V. 505.
- - Pii II. 65.
- - Pii III. 137.
- - Pii IV. 271.
- - Pii V. 291.
- - Sixti IV. 91.
- - Sixti V. 381.
- - Urbani VII. 433.
- - Urbani VIII. 563.

Nundinæ in Foro Agonali, à quo tempore incœperint. 636.

O

Obeliscum erigit in foro Minervæ Alexander VII. 701. Quatuor Cruci consecrat Sixtus V. 412. 413. 414. 415. Lateranensem 417. Ante Portam Flaminiam. 419. Pamphilium in foro agonali Innocentius X. 635.
Olivarum corona victoribus tributa. 113.
Optimi nomen Martino V. tributum 19. Etiam Pio II. 68. Pio IV. 272.
Optimi Principis partes, quę nam sint. 19.
Ornatus in Veste Pontificia decet. 3.
Osculum signum olim erat adorantis: est etiam pacis, & amoris symbolum. 161.
Ostiæ Portum munit Sixtus IV. 99.
Ottobonianę Familię Proceres commendantur. 808.

P

Pacis typus. 111. 165. Ejus amor in Leone X. 166.
Palatium Farnesianum Paulus III. excitavit. 214. Vaticano cubicula addit Pius IV. 282. Lateranense cum Mœniano ad Benedictiones extruxit Sixtus V. 416. Quirinale amplificat Paulus V. 510. Munit Urbanus VIII. 593. Illi Ædes addit Alexander VII. 685. In Monte Citatorio ædificat Innocentius XII. 826. Lateranense Pauperibus addixit. 832. Apud S. Marcum Paulus II. excitavit 85. 88. Venetis donavit 88. Ad jus dicendum incœpit Julius II. 145.
Pallium Pontificium explicatur, & describitur. 30. Et seq.
Paludes Pontinas siccari fecit Sixtus V. 410.
Pantheonis porticum exornat Alexander VII. 703.
Papæ vox explicatur. 140.
Parentem in carcere filia lactat. 732.
Pauli II. electio 71. Palatium apud S. Marcum excitavit. 85.
Paulus III. Niceam proficiscitur Cæsarem allocuturus. 209. Arma suppeditat contra Turcas. 233. Ejus electio. 199.

199. Illi Pontificatus prædicitur. 200.
Pauli IV. electio 263. Ejusdem virtutes. 264.
Pauli V. electio. 505. E portento prædicitur. 506.
S. Paulus cur cum gladio, & libro pingatur. 215. an bene à Pictoribus exprimatur ex equo desiliens. 240. Ejus imago qualis. 452. & 453. Saulus quare diceretur. 453. Cur sæpe in dextera parte cum D. Petro pingatur. 174.
Potentiæ typus. 290.
Pauperibus alendis domum extruxit, & dotavit Sixtus V. 391. illos emendicare ostiatim vetuerunt Innocentius XII. aliique Pontifices. 834.
Pax quomodo expressa. 245. 274. 247. 568. Firmata sub Clemente VIII. inter Hispaniarum & Galliarum Reges. 488. Sub Alexandro VII. 644. A Cle-Clemente IX. conciliata. 713. Alia anno 1679. 746. Per totam Europam tempore Innocentii XII. an.1699. 823
Pedum Pontificiorum deosculationis origo. 95.
Pedum à quo adhibeatur ejus forma, & descriptio. 155.
Pedum lotio cur dicatur mandatum. 311. quo ordine à Christo facta. 311. Quo Ritu in Ecclesia celebrata. 312. Et seq. non pertinet ad Sacramentum Baptismi. 313. Quo tempore illam exercere incœperint Summi Pontifices. 313. Quo die, & ritu. 315. cur duodecim, & tredecim Pauperibus. 317. Qua religione Pius V. perfecerit. 318.
Pellicani natura. 68.
Perusiæ Arcem condidit Paulus III. 226.
Pestem arcere studet Alexander VII. precibus. 649.
Petrus Cardinalis Ottobonus celebratur. 808. 813.
Petra fundamentalis Ecclesie quid sit. 459.
S. Petri confessionem exornat Paulus V. 507. Ejusdem templum extendit, & exornat. 507. Ejus primatus ostenditur. 661. 733. Ejus imago quomodo pingenda. 452. SS. Petri, & Pauli elogium. 168. eorum effigies quomodo pingende. 183.
S. Petrus aliquando in dextera parte cum S. Paulo expressus. 219.
Philippinarum incolæ indulgentiis cumulati à Gregorio XIV: 445. Et ab Innocentio IX. 454.
Pii II. electio. 65. Ejus scripta 67. insciptio sepulchralis. 69.
Pii III. electio. 137.
Pii IV. electio. 271.
Pii V. electio. 291. Ejus virtutes. 293. 304. Fœdus in Turcas. 295.
Pietas erga Panperes præclara. 732.
Picturas cum inscriptionibus quis primum expræssit. 795.
Plateam quę dicitur Populi exornat Alexander VII. 695.
Pluvialis Cappę origo. 2. Ejus descriptio 3.
Pœnitentes publici à Templo exclusi. 128.
Pœnitentiarios Sacerdotes Lauretano Templo addixit Julius III. 253.
Pontem super Lirim restituit Paulus V. 537. Ælium statuis exornat Clemens IX. 714. Palatinum Gregorius XIII. refecit. 344. Pelię flumini imposuit idem Gregorius. 346. Supra fluvium apud Forum Livii extruxit. 347. Felicem Tyberi imponit Sixtus V. 422. Janicularem reddit Tyberi Sixtus IV. 100. Ælio domunculę auferuntur sub Nicolao V. 54.
Pontifex unde dicatur 4. Dicitur etiam Episcopus non tamen maximus ut Papa. 6. Olim equitabat cum Sacerdotali amictu. 286. Romanus cur dicatur Fidei regula. 661. Dicitur lingua Cælorum, & Dei. 745. Est Dominus Domus Dei. 105.
Pontificia dignitas à quo conferatur. 796. Et seq. cur dignitatis typus. 260 Ejus potestas triplici corona indicata. 123. Pontificis electionis ritus varius. 10. In Sede Porphiretica collocatus. 13. Ejusdem Coronationis ritus 14. Ei cur Diaconus coronam imponat. 15.
Porta Palatii Vaticani à Paulo V. extructa 508. Sancta cur Cæli dicatur. 622. Cur claudatur in fine Anni Sancti ibid. Piam Pius IV. extruxit cum via pia. 277. Flaminiam aperuit, & viam stravit Pius IV. 286. Alexander VII. exornavit. 647. Portę Jani; v. *Jani Portæ*. Portę Basilicę Vaticanę earumque nomina. 125. Portam Sanctam aperiendi ritus à quo tempore incœperit 125. Illum non celebravit Martinus V. 22. An fuerit talis porta in Basilica Vaticana ante Alexandrum VI. 124. Cur Sancta dicatur. 129. Ejus apertitio quid significet. 129.

Porti-

Porticus in Palatio Vaticano à Julio II. extracta. 158. Aliam addidit Basilicę Alexander VII. 659.
Portum Centumcellarum ejusque Arcem munit Julius II. 157. Julius III. 250. Pius IV. 290. Restauravit Gregorius XIII. 347. Clemens VIII. 496. Urbanus VIII. 586.
Portum prope Fanum Urbem extruxit. Paulus V. 539.
Presbyterium quid significet. 709.
Princeps suaviter regnare debet. 173.
Processio in Festo Corporis Christi; v. *Corporis Christi*.
Processiones, quæ dicuntur Letanię majores, & minores quis instituerit pag. 681.
Providentię typus. 276. 324.
Prudentię typus. 249. 568.
Ptocotrophium quid sit. 285.
Pueris mendicis ædificium Innocentius XII. extruxit. 824.
puteum extruxit in Urbe veteri Clemens VII. 192. ejus putei delineatio. 193.

R

Regnum Eugenii IV. pretiosum. 29. Pontificium; v. *Corona*.
Regnum Dei quodnam sit. 334.
Religionis typus 288. 547.
Roga quid significet 709.
Roma typus qualis 18. 171. 263. Quomodo ab Antiquis depicta. 734. Eam exornare cœpit Nicolaus V. 52. Ejus muros restauravit Calistus III. 62. & Urbanus VIII. 585. Sub Leone X. maxime floruit. 170 Cur dicatur alma. 215. Ejus incrementa. 216.
Resurectio Domini male depicta cum lapide amoto è sepulchro. 289.
Rosę aureę sacrandę ritus exponitur. 490
Ruthenos recipit Clemens VIII. 476.

S

Sacellum in Palatio Vaticano Paulus III. excitavit. 233. aliud Paulus V. in Palatio Quirinali. 509. B. Virgini extruxit Paulus V. in colle Esquilino 513. Ejus Sacelli descriptio. 514.
Sacramenti Altaris miraculum in oppido Vulsini 835.
Sacerdos Summus dicebtur olim quilibet Episcopus. 241.
Sacrorum imagines cur orbiculari circulo coronatæ. 92.
Sandalia Pontificum Cruce insignita. 96.
Sapiam flumen in nouum alveum Pius IV. coercet. 288.
Sapientia dicitur Ædes in qua Romæ scientiarum lectiones habentur. 686. eam ampliat Alexander VII. 687. Ibique bibliothecam extruit, & hortos me dicos addit. 687.
Scolas Bononiæ Pius IV. ædificat. 287.
Scalas Regias excitat in Vaticano Palatio Alexander VII. 662.
Securitatem parit Sixtus V. 383.
Securitas temporum equis in campo pascentibus significata. 210. Ejus typus. 221. 274.
Sedes porphiretica cur stercoraria dicta sit. 13.
Sedis vacantis symbolum. 234.
Sella gestatoria quo tempore Pontifex deferri cœperit. 739. Ejusmodi Ritus non tribuendus superbiæ. 740.
Sepulchrum Martini V. à quo formatum. 25.
Serpens Turcarum Tyrannum significat. 461.
Sfondratorum familia insigne quale. 441.
Siamensis Regis Legatio ad Innocentium XI. 779. Et seq.
Sigilla in lapidibus exculpta Pontificibus olim dabantur. 791.
Sixti IV. electio 91. Dignitatem à Deo sibi datam agnoscit. 92. Reges & Reginas excepit. 93.
Sixti V. electio. 381. Crassatores è dominio Pontificio idem pellit 382.
Societas Jesu centesimum annum celebrat. 605.
Sodalitas B. Virginis dicta Annuciatæ ab Urbano VII. hæres instituta. 438.
Spei typus. 269.
S. Spiritus Nosocomium; v. *Hospitale*.
Spiritus Ecclesiæ dicitur Pontifex. 447.
Stellæ juxta Ægyptios omnia gubernant. 745.
Stemma gentilitium Innocentii XI. in Cælo expressum. 745.
Suecorum Reginæ mors, & funebris pompa 805. Ejus Bibliotheca Vaticanę addita 804. v. *Christina*.
Subdiaconi vestis qualis sit. 17. ejusdem Signficatio ibidem.

T

TAbernaculum pro Euchariſtia; v. *Euchariſtia*.
Taurus in monetis ſignatus. 115.
Templum Vaticanum à Julio II. inſtauratur 148. ob id à Suave ſed immerito reprehenſus ibidem. A Leone X. 178. A Julio III. 243. à Gregorio XIII. 342. ab Innocentio X. 630. eidem tholum impoſuit Sixtus V. 412. Illud amplificat Paulus V. 507. Et conſecrat Urbanus VIII. 574
T. S. Pętri in Janiculo. 257.
- - B. Virginis Laureti Julius II. exornat 149. etiam Clemens VII. 197. idem deſcribitur 149.
- - S. Crucis fundatum à Pio V. in ſua Patria. 305.
- - B. Mariæ Tranſpontinæ Pius V. transfert. 320.
- - B. Virginis in Campitello erectum 520. aliud Bononię. 542.
- - S. Carolo Romæ in via flaminia. 527. apud Catinarios. 528.
- - S. Ingnatio excitat Card. Ludoviſius 551. Ejus templi fundatio deſcripta 552. Et ſeq.
- - Conceptioni B. Virginis ędificat Urbanus VIII. 571.
- - S. Anaſtaſię reparat Urbanus VIII. 580.
- - S. Bibianę reædificat Urbanus VIII. 581.
- - Quod dicitur Regina Cęli extructum ab Anna Columna. 603.
- - Lateranenſe exornat Innocentius X. 628.
- - D. Andreæ Apoſtolo facie exornatur juſſu Alexandri VII. 650.
- - D. Nicolao erigit Alexander VII. 651.
- - S. Mariæ in Via lata exornat Alexander VII. 689. in eo D. Paulus commoratus fuit 689. Servatur imago Deiparę à S. Luca depicta. 689.
- - S. Mariæ in Porticu ejuſque imaginem transfert Alexander VII. ad aream Campitelli dictam 691. Ejus Templi deſcriptio. 693.
- - B. Marię prope Ariciam Alexander VII. inſtauravit. 694. Et aliud in Aricia conſtruxit. 695.
- - Minervæ dicatum Romæ. 701.
- - Panteonis; v. *Panteon*.
- - Deiparę in Eſquilino Colle exornare cœpit Clemens IX. 716. Clemens X. abſolvit ibidem.
- - In oppido Ulſini extructum occaſione miraculi S. Euchriſtiæ. 835.
Thermas Diocletianas B. Virgini ſacravit Pius IV. 284.
Theſaurum in Arce Adriani repoſuit Sixtus V. 387.
Theſaurum an debeant ſervare Pontifices Romani. 389.
D. Thomas de Villanova inter Sanctos relatus. 652.
Thomas Deſpota Peloponenſis à Paulo II. exceptus. 82.
Thuribulum unde dictum. 799. Cur in ſacrificiis adhibitum ibid. Quid ſignificet ibid.
Tiara; v. *Corona*, *Regnum*, *Mitra*.
Triangulum SS. Triadem Perſonarum Divinarum denotat. 620.
Trinitas in Deo tiriangulo exprimitur. 620.
Triremes apud Centumcellas fabricari curat Cadinalis Pamphilius. 640. eas fabricat Sixtus V. & dotat 400. v. *Claſſis*.
Tuneti expugnatio ſub Paulo III. 241.
Turcę devicti ſub Clemente X. 731. Interpretibus pręſignati in Sacra Scriptura. 461. 795. Turcarum obſidio apud Viennam; v. *Vienna*. Expugnatur ſub Pio V. 297. Et ſeq. ejus pugnæ enarratio. 298.
Tuſculanum Epiſcopatum reſtituit Paulus III. 222.
Typographiam inſtituit in Vaticano Sixtus V. 432.

V

VAticanus Collis; v. *Collis*
Vaticani nominis origo. 159.
Vaticano Palatio Portam addidit Paulus V. 508.
Velini fluminis Alveum Clemens VIII. expurgat. 497. Paulus III. præcludit. 229.
Vexillum tradendi ritus alicui Duci. 443. 495. A Rege Poloniæ mittitur ad Innocentium XI. 770. 772.
Via quæ dicitur Alexandrina quęnam ſit Romę. 130. Lauretum verſus complanata à Gregorio XIII. 344. Via in Colle

Colle Exquilino aperuit Sixtus V. 416.
Victoriȩ ſymbolum laurus. 242. Victoria ex Turcis relata ſub Pio V. 297. Curru ſignificatur. 169. Quomodo aliter expreſſa. 227.
Vienna obſeſſa à Turcis anno 1683. auxilio Polonorum, & Innocentii XI. liberatur. 766. & ſeq.
Vigilantia expreſſa à Dracone. 326.
Villæ Aldobrandinæ deſcriptio. 498. Villam Juliam Julius III. extruxit. 255.
B. Virgo cur Maria ſine cognomine appelletur. 546.
Virginis Annunciatæ Sodalitas; v. *Sodalitas*. B. Virginis ſtatuam collocat ſupra columnam Paulus V. 518.
Virtus in arduo collocatur. 113.
Vitæ humanæ brevitas ſymbolis explicata. 26. Et flore. 502.
Vitta quid ſignificet. 29.
Umbella ſupra claves cur Sede Vacante exprimatur. 236. & ſeq. Quid illa ſignificet. 237. Ea qui nam utantur. 238. Cur cum campanula deferatur. 239.
Unitas in numeris Deum exprimit. 642.
Unicornium ſymbolum Principum Farneſianæ Domus. 241.
Votum emittit Populus Romanus Templum ædificandi B. Virgini, ut à peſte liberetur. 691.
Urbani VII. electio. 433.
Urbani VIII. electio. 583.
Urbini Ducatus Ditioni Pontificiȩ additus. 570.
Urbs, quæ dicitur Leonina muris cincta à Paulo III. 203. 206. Illam ȩdificavit Leo III. 204. Eandem ſacravit. 204. Inſtauratur à Pio IV. 283.
Urbes in numis expreſſæ. 51.

Z

Zizimus Turca admittitur ab Innocentio VIII. 109.

Finis Indicis rerum Notabilium.

REGESTUM

TOMI PRIMI.

§ §§ §§§ §§§§ §§§§§

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll

Omnes ſunt Duerniones præter §§§§§ quod eſt Ternio.

TOMI SECUNDI.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z


Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr S Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff

Omnes ſunt Duerniones.

Errata quæ fortuitò irrepſerunt, Lector eruditus corrigere poterit.








SPECIAL OVERSIZE 84-B
P636
-2
v.2
GETTY CENTER LIBRARY

